ZACHARIAE PASQVALIGI VERONENSIS

CLER. REGVLAR. THEATINI

Sacræ Theologiæ Professoris.

VARIARVM QVAESTIONVM MORALIVM CANONICARVM CENTVRIA II.

IN QVIBVS EX PRINCIPIIS THEOLOGICIS.

Et sacris, atque ciuilibus legibus;

Plura dubia, quæ ad Praxim vtriusque fori pertinent tàm quò ad Regulares, quàm quò ad Sæculares breuiter, & dilucidè explicantur.

CVM SVIS INDICIBVS.






ROMÆ,

Ex Typographia Petri Pauli Bronzini. M.DC.XLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.



INDEX QVAESTIONVM.



An

An

INDEX QVAESTIONVM.


AP-

APPROBATIONES.

Centuria secunda Quæstionum Moralium Canonicarum, à R. P. D. Zacharia Pasqualigo Cler. Reg. Theologo composita sanam continet doctrinam, & plurimam eruditionem; dignaque planè est, quæ in commune bonum quam primum typis mandetur. Ita nos infrascripti diligenti recognitione præmissa asserimus, & testamur. Romæ. Die 9. Iunij 1646.

D. Paulus Maria Quartus Clericus Regular. S. Th. Professor.

D. Andreas Sottanus Cler. Reg. S. Th. Professor.



HOC opus inscriptum Centuria secunda Quæstionum Moralium Canonicarum, à R. P. D. Zacharia Pasqualigo nostræ Congregationis Theologo accuratè compositum, cum iuxta præfixam assertionem P.P. quibus id commisimus fuerit approbatum, vt typis mandetur, quò ad nos spectat facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra subscriptas, ac solito nostræ Congregationis sigillo munitas damus. Romæ XI. Kal. Iulij M. DC. XLVI.

D. Gregorius Carafa Præpositus Generalis Congreg. Cler. Reg.

Locus ✠ sigilli

D. Io. Montoya Secretar.

De

DE mandato Reuerendissimi P. Vincentij Candidi S. Apost. P. M. Domini mei perlegi, & consideraui Centuriam secundam Quæstionum Moralium Canonicarum A. R. P. D. Zachariæ Pasqualigi Veronensis Cler. Reg. &c. & in ea non solum nihil offendi, quod cum sana fide, & morum doctrina non optimè cohæreat: imo omnia mihi visa sunt solidam pietatem, & eruditionem omnimodam præferre dignam suo Auctore multis iam lucubrationibus celebri. Vt ergo ad vberiorem studiosorum fructum publici iuris fiat, non solum approbo, sed & maximopere cupio. In cuius iudicij testimonium me subscribo. Ex Conuentu SS. Cosmæ, & Damiani Vrbis. v. Kal. Iulij M.DC.XLVI.

Fr. Antonius Cotone Regular. de Pœnit. Tertij Ordinis S. Francisci S. Th. Magister, & Studiorum SS. Cosmæ, & Damiani Regens.


Imprimatur, si Reuerendiss. P. Mag. Sac. Apost. P. videbitur.

A. Sacratus Episcop. Comacl. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Pandulphus Reuerendissimi Patris Fr. Vincentij Candidi S. A. P. Mag. Ord. Prædicat. Soc.

ZA-



ZACHARIAE PASQVALIGI

CLER. REGVLAR.

QVAESTIONVM MORALIVM CANONICARVM CENTVRIA II.

An patronus Ecclesiæ transferens iuspatronatus in confraternitatem, & instituens ipsam hæredem vniuersalem cum obligatione manutenendi seruitium Ecclesiæ possit eam obligare, vt distribuat oblationes factas Ecclesiæ in certos vsus pios. Quæst. 101.

S V M M A.

1 *Oblationes sunt bona Ecclesiæ.*
1 *Laicis non licet aliquo modo de ipsis disponere.*
2 *Consuetudo, quod Laici disponant de oblationibus, non valet.*
3 *Testator instituens hæredem Confraternitatem, non potest imponere aliquam obligationem circa oblationes.*
3 *Oblationes acquiruntur Ecclesiæ, cui fiunt.*
4 *Præsertim si conuertantur in beneficium Ecclesiæ.*
5 *Laicus non potest vllo modo disponere de bonis Ecclesiasticis.*
6 *Patronus habet ius præsentandi, & ius præcedentiæ.*
6 *Patronus non acquirit aliquod ius, aut dominium circa bona Ecclesiæ: imo amittit circa ea, quæ donat.*
7 *Institutio Confraternitatis in hæredem subsistit, licet non subsistat dispositio circa oblationes.*
8 *Voluntas testatoris debet impleri in ea parte, secundum quam subsistit.*
9 *Voluntas testatoris præsumitur conformis dispositioni iuris communis.*
9 *Quod est contra ius ex interpratatiua voluntate testatoris debet præsumi non dispositum.*

1 
OBLATIONES fidelium esse connumerandas inter bona Ecclesię, nulli dubiū esse debet. id enim habetur expressum in iure. Cap. *Quia*. Cap. *Sanctorum*. Cap. *Hanc consuetudinem*. 10. *Quæst.* 10. & notant D. Thom. 2.2.*q*.86.

2.2. *q.86. art.* 2. Suarez *tom.* 1. *De relig. tract.* 2. *lib.*1. *cap.*7. *num.*3. *in fine*; Quia nimirum, dum offeruntur Deo, transſeunt ad dominium Eccleſiæ, cuius ſunt bona, quæ ſunt Deo dicata. Vnde Laici circa ipſas nullum dominium exercere poſſunt, nec aliquo pacto de ipſis diſponere.

2 Atque hoc ita verum eſt, vt neque oppoſita conſuetudo præualere poſſit, quia habet ius reſiſtens, & prohibens, quod ſpiritualia laicis non applicentur. Cap. *Meſſana*. Cap. *Sacroſancta*. De *elect.* & notant Socin. *De oblat. libel.* 18. *num.* 4. Troil. Maluetius item *de oblation. dub.* 4. *num.* 6. Mareſcot. *Variar. Reſol. lib.* 2. *cap.*42. *num.*5. Rota *in Calarigutana Oblationum.* 21. *Octobr.* 1588. *Coram Cardinali Hieron. Pamphilio*.

3 Ex quibus deducitur reſolutio propoſitæ difficultatis, nimirum non potuiſſe Teſtatorem obligare hæredes, vt conuertant oblationes in alios vſus determinatos, quam aliàs poſſent conuerti. Agitur enim de oblationibus quæ fiunt Eccleſiæ, quæ cum ſit capax ipſarum, eidem acquiruntur, præſertim quia præſumuntur factæ intuitu eiuſdem Eccleſiæ, vt notant Socin. *De oblat. lib.*18. *num.*5. ver. *Hæc tamen opinio*. Rebuf. *De decimis. quæſt.* 1. *num.* 29. & 30. Aufer. *ad Capel. Tholoſan. Quæſt.* 483. ver. *Concluſio igitur ſit*. Abbas *in cap.* 1. *num.* 4. *De ſtatu monachor.* Dec. *Conſil.* 148. *n.* 2. Mantica *De tacit. lib.*13. *Tit.* 21. *num.*38. Mareſcot. *lib.* 2. *Variar. cap.* 42. *num.* 1. Lotter. *De re benefic. lib.*1. *quæſt.*30. *n.*31. Quia cum ſit in poteſtate cuiuſcunque diſponere ad libitum de rebus proprijs, poteſt illas transferre in cuius dominiũ voluerit; & ideo quæ offert alicui Eccleſiæ contemplatione eiuſdem Eccleſiæ, præſumuntur ex intentione ipſius translata in dominium eiuſdem Eccleſiæ, & facit tex. §. *Si quis in nomine*. Auth. *De Eccleſ. titul.*

4 Quod præſertim habet locum, ſi adſit conſuetudo, quod huiuſmodi oblationes conuertantur in beneficium Eccleſiæ, quia tunc conſuetudo declarat intentionem offerentis, quia cum offerens ſciat conſuetudinem, habetur tacita voluntas ipſius, quod velit cooperari conſuetudini, & participare in operibus pijs, in quæ tales oblationes impenduntur, vt notant Troil. Maluet. *De oblat. dub.*4. Genuens. *in praxi Curiæ Archiepiſcopalis. cap.*57. *num.* 6.

5 Vnde cum huiuſmodi oblationes tranſeant in dominium Eccleſiæ, non potuit teſtator de ipſis diſponere obligando Confraternitatem, vt eas conuerteret in certos determinatos vſus, quamtumuis pios, & non potius in beneficium Eccleſiæ. Quia Laicus non poteſt diſponere de bonis Eccleſiarum, cũ ſint omnino exempta à iuriſdictione, & poteſtate Laica, etiam ipſorum principum. Cap. *Generaliter*. 16. *quæſt.* 1. Cap. *Conuenior.* Cap. *In qualibet.* Cap. *Sancimus.* 23. *quæſt. fin.* Cap. *Benè quidem*. *Diſt.* 96. Cap. *Aduerſus*. Cap. *Non minus*. De *immunit. Eccleſiar.* & Cap. 1. Cap. 2. De *immunit. Eccleſ. in* 6. & Cap. *Quamquam*. De *cenſib. in* 6. & *Clement. vnica*. De *immunit. Eccleſ.* & Leo X. *in ſua Conſtitutione* 8. quæ incipit. *Regimini.* Quod præſertim verum eſt, quia huiuſmodi oblationes non tranſeunt in dominium Laicorum, etiam ſi curam gerant Eccleſiæ.

6 Nec iuuat, quod teſtator ſit patronus Eccleſiæ, quia per iuſpatronatus, licet habeat aliquas præeminentias, vt ius præſentandi, ita vt ſine eius præſentatione non poſſit aliquis inſtitui. Cap. *Decernimus*. Cap. *Monaſterium*. 16. *quæſt.* 7. Cap. *fin.* De *inſtit.* Cap. *Ex inſinuatione*. De *iurepatronat.* Ius præcedendi, Cap. *Pia*. 16. *quæſt.* 7. & Cap. *Nobis. in fine* De *iurepatronatus*, & alias huiuſmodi, de quibus Doctores in *Rubrica*, *De iurepatronat.* non tamen acquirit aliquod dominium, aut ius circa bona Eccleſiæ; imò nec retinet ſuper ea, quibus dotat Eccleſiam Cap. *Nouerint.* 10. *quæſt.* 1. ibi *Nouerint conditores Baſilicarum, in rebus, quas eiſdem Eccleſijs conferunt, nullam ſe poteſtatem habere*.

7 Quare ſubſiſtet diſpoſitio teſtatoris, quatenus inſtituit hæredem ipſam Confraternitatem, & dotat Eccleſiam,

non

non autem quatenus obligationem imponit circa oblationes, cum non potuerit imponere iuxta doctrinam Firmani *tract. De Episcopo. lib. 4. par. 2. quæst. 46.* Rochi *De iurepatron. verbo.* Pro eo, quod. *Quæst.* 12 Felini. *Cap. Cum venerabilis.* ver. *Amplia* 2. De except. Rotæ *Decis.* 868. *De testam. in Antiquis*. Quia reijcitur, quod est iuri contrarium, & remanet ipsa dispositio. *l.* 1. & *l. Conditiones* 2. *ff. De condit.* & §. *Impossibilis.* Instit. *De hæredib. instit.* & Cap. *fin.* De *condit. apposit.*

8 Voluntas enim testatoris, quando non potest impleri in totum, debet impleri eo modo, quo impleri potest, & secundum illam partem, quæ potest exequutioni mandari *l. In his.* & *l. In testamento.* & *l. Filiæ suæ.* §. 1. *ff.* De *condit. & demonstrat.* & notant Bald. *in l. Precibus. num.* 34. C. De *impuber. &c.* Roman. *Consil.* 409. *num.* 11. Mant. *lib.* 3. *De coniectur. vlt. volunt. tit.* 3. *num.* 6. & ideo cum in casu nostro non possit impleri voluntas testatoris quò ad dispositionem oblationum, vt pote nulla, implenda erit quò ad institutionem hæredum, & prouisionem pro seruitio Ecclesiæ.

9 Præsertim quia voluntas testatoris præsumitur conformis dispositioni iuris communis. *l. Hæredes mei.* §. *Cum ita. ff.* Ad *Trebel.* vbi latè Ripa *num.* 74. & ideo cum disponere circa oblationes sit contra ius commune, præsumendum est, quod non disposuisset, si sciuisset, vt notāt Glos. *in l. Tale pactū. in fin. ff.* De *pactis*. Gabr. *lib.* 6. *commun. opinion. Tit. de reg. iur. conclus.* 10. *num.* 1. 4. & 5. plura adducens. Mantica *lib.* 5. *de coniect. vlt. volunt. tit.* 15. *num.* 21. Quia, cum sit voluntas pia, præsupponit mentem piam, mens autem pia est regulata ratione, & ideo non mittit falcem in alienam messem, nec intendit aliquid disponere contra ius.

An instituens hæredem Ecclesiam, seu Confraternitatem cū prouentibus sufficientibus pro seruitio Ecclesiæ possit apponere conditionem, quod oblationes impendantur in certos vsus pios. Quæst. 102.

S V M M A.

1 *Instituens hæredem Ecclesiam, non potest apponere conditionem, quod oblationes conuertantur in vsus à se determinatos.*
1 *Testator non potest apponere conditiones contra ius commune, præsertim si concernant spiritualitatem.*
2 *Oblationes acquiruntur Ministris Ecclesiæ.*
3 *Non potest quis auferre alicui liberam facultatem concessam à iure.*
4 *Consensus Rectoris non sufficit, vt quis disponat de oblationibus.*
4 *Bona Ecclesiæ sunt iuris publici.*
4 *Pacto priuato non potest derogari iuri publico.*
5 *Laici non possunt acquirere aliquod ius supra oblationes, sed solum administrare.*
6 *Prouidens seruitio Ecclesiæ potest disponere de oblationibus cum consensu Episcopi, & quomodo.*
7 *Voluntas testatoris est reducenda ad terminos rationis.*
7 *Episcopus ordinat, quæ sunt de iure suarum Ecclesiarum.*
8 *Donatio non perficitur nisi accedente acceptatione donatarij.*
9 *Quando ad actum requiritur consensus alterius sufficit, si superueniat.*
10 *Ecclesia regularis facit suas oblationes.*
10 *Non potest quis disponere de oblationibus Ecclesiæ regularis sine consensu illius, ad quem pertinent iura Ecclesiæ illius.*

1 RESp. huiusmodi conditionē non posse apponi, & si apponatur, nullā esse; quia nō possunt laici disponere circa spiritualia, qualia sunt oblationes, vt constat ex dictis *quæst. præced. num.* 1. nec testator potest apponere conditiones, quæ sint contra ius commune, præsertim quando

concernunt ſpiritualitatem Cap. *Si ex Laicis*. Cap. *Sic quidam*. Cap. *Nouerint*. Cap. *Quia*. & ferè per totam *Cauſam* 10. *quæſt.* 1. & Cap. 2. De *iudic.* Et deſumitur ex ijs, quæ dradunt Bald. *in l.* 2. *C. Vt in poſ. leg.* & *in Cap. Clerici*. De *iudic.* Barbatia ver. *Tu adde*. Petrus de Ancharan. *Conſil.* 129. *dub.* 1. Innocent. *Cap. Quoniam. circa med.* Ne *Prælati vices ſuas*. & in *Cap. Cum in veteri.* ver. *An iſte, cuius conſenſus.* De *elect.* & *in Cap. præterea* 1. *not.* 1. De *iurepatronat.* Iacob. de Aren. *in l. Quoties.* §. *fin. ff.* De *adminis. tut.* Bart. *ibid.* Roman. *Conſil.* 177. Philip. de Sarra *in Rubr. De iure patronat.* ver. *Ideo non poteſt.* & ver. *Nec patronus poteſt.* Iacobus de Zochis. *Cap. Cum dilectus.* De *conſuet.* Rochus *De iurepatron. verbo.* Pro eo *cum Diocœſani.quæſt.* 12. Firman. *lib.* 4. *de Epiſcopo par.* 2. *quæſt.* 46. Felin. *Cap. Cum venerabilis*. ver. *Amplia ſecundo*. De *exception.* Cardin. *Clement.* 2. *in fine*. De *iurepatronat.* Lamberten. *de iurepatronat. lib.* 1. *par.* 1. *quæſt.* 9. *art.* 1. *num.* 37. Rota *Deciſ.* 868. *De teſtam. in antiquis.* Gloſ. *in l. Nemo poteſt*. *ff.* De *Legat.* 1.

2 Cum enim canones diſponant, quod oblationes, quæ fiunt Eccleſiæ, ſint de iure Eccleſiæ, & acquirantur ipſi, & miniſtris Cap. *Quia Sacerdotes*. Cap. *Sanctorum*. Cap. *Hanc conſuetudinem*. 10. *quæſt.* 1. ſi teſtator apponat in dotatione Eccleſiæ, aut in inſtitutione in hæredem pactum, aut conditionem circa diſpoſitionem oblationum, diſponet contra ius commune, & proinde talis conditio, aut pactum non ſubſiſtet.

3 Quod amplius confir. Non poteſt quis auferre liberam facultatem alicui à iure conceſſam *l. Titium, & Meuium init. ff.* De *adminiſtr. tut.* & Cap. *Tua*. De *teſtament.* Teſtator autem apponens conditionem, quod oblationes in certos determinatos vſus impendantur, aufert facultatem liberam conceſſam à iure diſponendi de oblationibus ijs, ad quos ſpectat.

4 Et quod dictum eſt, debet etiam extendi, quod non valeat huiuſmodi conditio, aut pactum, etiam ſi accedat conſenſus Rectoris Eccleſiæ, aut Confraternitatis, quæ in hæredem inſtituitur. nam oblationes connumerantur inter bona Eccleſiæ, vt dictum eſt *quæſt. præced. num.* 1. Bona autem, & res Eccleſiæ ſunt iuris publici Auth. *Ceſſa*. De *Sacroſanct. Eccleſ.* pactum autem priuatorum non valet circa ea, quæ ſunt iuris publici. Cap. *Si diligenti*. De *Foro competenti*.

5 Et hoc à fortiori valet reſpectu Cõfraternitatis, quia cũ conſtet ex laicis, etiam ſi adminiſtret oblationes, non acquirit ſupra ipſas aliquod ius, quod poſſit cedere conſentiendo in pactum, & conditionem teſtatoris, quia laici poſſunt ad ſummum eſſe meri adminiſtratores, vt notant. Dec. *Conſil.* 148. *n.* 3. Riccius *par.* 4. *Deciſ.* 170. *num.* 11. & 12. Rota *in Toletana eleemoſinarum.* 24. *Maij.* 1619. *coram Pirouano*. Quia laici ſunt incapaces iuris ſpiritualis, atque adeo iuris ſuper bona Eccleſiæ.

6 Si tamen conditio appoſita à teſtatore, quod oblationes in tales determinatos vſus conuertantur, approbetur ab Ordinario, ſubſiſtet, vt docent Imola *in Cap. Cum dilectus*. ver. *Item aduerte*. De *conſuet.* Hoſtien. *in Cap. Ea, quæ*. De *ſtatu regul.* Io. Andr. *in Cap. Ex eo*. §. *fin.* De *elect. in* 6. Dominici *ibid.* Innocent. *in Cap. In Lateranenſi*. De *præben.* Abbas *in Cap. Sacroſanctæ*. De *elect.* & *in Cap. Cum dilectus*. De *conſuet.* Cardin. *in Clement. Quia contigit*. ver. *Vt autem.in* 4. *not.* De *religioſ. domib.* Bald. *in l. Vnica*. §. *Accedit. in fine*. C. De *rei vxor. act.* Lamberten. *De iurepatronat. lib.* 1. *par.* 1. *quæſt.* 9. *princip. art.* 1. *num.* 90. Et deſumitur ex Cap. *Eleuterius*. 18. *q.* 2. & ex Cap. *Nobis*. De *iurepatronat.* vbi communiter Doctores.

7 Quando namque interuenit conſenſus Epiſcopi, conditio appoſita à teſtatore habet rationem mere inſtantiæ, quod oblationes in tales vſus conuertantur, nam voluntas teſtatoris ita debet explicari, vt ſit rationabilis, vt notant Decius. *l. In contrahenda. num.* 5. *ff.* De *reg. iur.* Iaſ. *l. Quoties in ſtipulatione. n.* 2. *ff.*

De

De *verbor. signif.cat.* Mantica *lib.* 3. *De connect. vlt. volunt. Tit.* 5. *num.* 1. alios citans. Menoch. *lib.* 4. *præsump.* 10. *n.* 10. Consensus vero Episcopi habet rationem dispositionis, ad quem cum pertineat disponere de ijs, quæ sunt sub iure suarum Ecclesiarum Cap. *Sic quidam*. Cap. *Decretum*. Cap. *Quacunq.* 10 *Quæst.* 1. potest statuere, quod oblationes conuertantur in vsus, pro quibus instituit testator; præsertim cum loco oblationum succedat hæreditas.

8 Et quamuis talis consensus Episcopi non interueniat, quando conficitur testamentum, sufficit tamen, quod interueniat, quando acceptatur hæreditas, quia tunc actus consumatur, & ante manet in suspenso, nam se habet per modum donationis, quæ est inter dantem, & accipientem, & ideo non perficitur, nisi quousque superueniat acceptatio, ita vt non subsistat sine animo recipientis *l. In omnibus*. *ff.* De *oblig. & act.* & *l. Quidam inserunt*. *ff.* De *iure codicil.* & *l. Seia. ff.* De *mort. causa donat.*

9 Imo etiam si actus esset consumatus, seu hæreditas acceptata, sufficeret, si superueniret consensus Episcopi, nam quando requiritur pro aliquo actu consensus alicuius, sufficit, si interueniat etiam post actum consumatum per Cap. *Suggestum*. & Cap. *Cura.* De *iurepatron.* vbi Glos. & Abbas. & *in Cap. Cum vos.* De *his, quæ fiunt à prælatis*, & *in Cap. Edoceri. Quæst.* 6. De *rescriptis*. Felin. *tract. Quando lite ap. no. patr. limit.* 10. Cardinal. *Clement.* 1. §. *Verum. in fine* De *heret.* & *Clement.* 1. *init. quæst.* 5. De *rer. permut.* Felin. *in Cap. Edoceri.* ver. *Sequi potest.* De *rescript. in* 6. Corset. *in singular. verbo.* Pupillus. *in fine.* Quia licet actus gestus sine consensu sit inualidus, accedente tamen consensu conualidatur, quia inualiditas non prouenit ex natura actus, sed defectu extrinsecæ causæ: vnde ante consensum remanet veluti in suspenso.

10 Est tamen aduertendum. Quod si Ecclesia sit regularis, cum Oblationes acquirantur eidem Ecclesiæ Cap. *Theodosius*. De *statu monachor.* ibi. *Cum monachis ibi seruientibus debeat proficere, quicquid à fidelibus taliter offerri contingit.* & docet Marescot. *lib.* 2. *Variar. resolution. Cap.* 42. *num.* 3. Lotter. *lib.* 1. *de re benefic. quæst.* 30. *num.* 36. & Ecclesia sit exempta à iurisdictione Ordinarij, & proinde nihil ad ipsum spectet de oblationibus, erit necessarius consensus illius, ad quem spectant iura ecclesiæ, cum illius sit consentire, de cuius interesse agitur.

An, si ex voluntate testatoris dotantis Ecclesiam sint oblationes cum consensu Episcopi destinatæ ad certum vsum pium, possint in alium conuerti. Quæst. 103.

SVMMA.

1 *Vltima voluntas quænam sit.*
1 *Debet esse firmata morte testatoris.*
1 *Voluntas est deambulatoria, nec firmatur irreuocabiliter, nisi per mortem.*
1 *Quando voluntas sit vltima.*
1 *Oblationes per vltimam voluntatem ritè destinatæ ad aliquod opus, non possunt in aliud conuerti.*
2 *Imo nec sine causa ab eo, qui potest commutare vltimas voluntates.*
2 *Princeps non potest sine causa commutare vltimas voluntates.*
3 *Quod fit contra iustitiam, nulliter fit.*
3 *Princeps non potest facere, quæ sunt contra ius naturæ, & si facit, nulliter facit.*
3 *Actus prohibitus quò ad substantiam est nullus.*
4 *Commutare vltimas voluntates sine causa est contra iustitiam.*
4 *Quilibet est rerum suarum moderator, & arbiter.*
4 *Princeps non potest rescindere testamenta ritè confecta.*
5 *Vltima voluntas pro lege habenda.*
5 *Lex semper loquitur.*
5 *Valet argumentum à lege ad dispositionem vltimæ voluntatis.*
6 *Concessio correspondet petitioni, & secundum illam explicatur.*
6 *Concessio Episcopi pro dispositione oblationum fundatur in auctoritate legis, & censetur facta à Pontifice.*

 6 *Con-*

6 *Concessio Pontificis tribuit plenum dominium.*
7 *An oblationes destinatæ pro operibus pijs possint conuerti in ornatum Ecclesiæ.*
8 *Potior causa debet attendi.*
8 *Habens potentius priuilegium præferendus est.*
8 *Pro quibus operibus pijs bona ecclesiæ possint alienari.*

---

1 CVM vltima voluntas sit illa, quæ respicit id, quod post mortem faciendum est, vt desumitur ex §. *Quia vero*. Authent. *De hæred. & falcid.* & Cap. *Vltima voluntas*. 13. *quæst.* 2. & notat Mantica *lib.* 1. *de coniect. vlt. volunt. tit.* 4. *num.* 5. *& sequentibus*; Et proinde morte testatoris debeat esse confirmata, & facta irreuocabilis *l.* 3. §. *vlt.* & *l. sequenti. ff.* De *adimen. leg.* & *l. Cum hic status. ff.* De *donat. inter vir. & vxor.* Vt pote quia, cum voluntas sit deambulatoria vsque ad vltimum vitæ, §. *Ait. oratio. l. Cum hic status.* modo citatæ. & Cap. *Cum Marthæ.* ver. *Cæterùm.* De *celebrat. Missar.* nunquam firmatur irreuocabiliter. *l. Si quis in principio. ff.* De *legat.* 3. vbi Bar. & cæteri, nec vltima est, nisi morte finiatur, *l. Quæsitum. in fine. ff.* Qui, *& à quibus.* & *l. Locatio. ff. Locati.* & Cap. *Si gratiose.* De *rescriptis in* 6. Solum namque vltima est, quando aliquid aliud non potest amplius velle, *l.* 1. C. De *Sacrosanct. Eccles.* & *l. Qui duos. ff.* De *reb. dub.* Manifestè constat, dispositionem circa oblationes, de qua agimus, pertinere ad vltimam voluntatem, cum sit de eo, quod faciendum est post mortem testatoris, & ipsius morte confirmata sit, & consequenter non posse ab ijs, qui curam gerunt Ecclesiæ dictas oblationes in alium vsum à designato à testatore conuertere, cum non possint commutare vltimam voluntatem ipsius.

2 Imo neque ij, qui habent facultatem commutandi vltimas voluntates, poterunt dictam dispositionem de oblationibus sine causa commutare. Quia neque supremus Princeps potest sine causa vltimas voluntates commutare, & si commutat, inualida est commutatio, vt docent Dec. *Consil.* 357. *num.* 5. & *Consil.* 404. *num.* 14. & *Consil.* 519. *n.* 5. August. Bero. *Consil.* 49. *num.* 4. *&* 5. *vol.* 2. Archidiac. *in Cap. Episcopus. Dist.* 88. Martin. Laudens. *tract. De priuil.* §. 22. Craueta *Consil.* 296. Fulgos. *in l. Si testam.* C. De *testam.* Corne. *ibid.* testans de communi. Bald. *ibid. in fine.* Bart. *in l. Filius familias.* §. *Diui. num.* 235. *ff.* De *legat.* 3. Vasquez *lib.* 5. *De success. creat.* §. 1. *num.* 29. Peregrin. *De Fideicom. art.* 52. *num.* 125. *&* 127. *& sequent.* Couaruu. *lib.* 3. *Variar. cap.* 6. *num.* 6. & *num.* 7. ver. *Sextò. hanc sententiam.* Mantica *De coniect. vlt. volunt. lib.* 11. *Tit.* 12. *num.* 32. Didac. Spinus *in Speculo testam. in* 1. *par. Glos. Rubr. num.* 16. *& sequent.* Nauar. *Consil.* 5. *num.* 3. *De præben.* Molina *lib.* 1. *De primogenit. cap.* 8. *nu.* 31. & *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 32. & *lib.* 3. *cap.* 3. *nu.* 10. Alter Molina *De iust. & iure tract.* 2. *disp.* 174. *conclus.* 4. 5. *&* 7. & *disp.* 649. *num.* 1. Michael Cras. *De success.* §. 1. *num.* 8. Moneta *De commut. vlt. volunt. cap.* 6. *n.* 29.

3 Ratio autem est, quia quod fit à quocunque contra iustitiam, nulliter fit, cum obstet lex naturalis, quæ præcipit seruari vnicuique ius suum. & ideo, quando quis priuatur iniustè iure suo, consurgit obligatio resarciendi, & reducendi ad æqualitatem, quod per iniustitiam factum est inæquale. vt notat D. Th. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. Caiet. *ibid.* Sotus *De iust. & iure lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 2. Non enim quis potest, etiam si sit Princeps supremus, facere, quæ sunt prohibita lege naturali; vnde, cum careat facultate, quicquid facit contra ipsam, nulliter facit *l. Nepos Proculo, ff.* De *verbor. significat.* & *l. Non dubium. init.* C. De *legib.* & Cap. *Causam quæ.* De *rescript.* & Cap. *Cum dilectus.* De *consuetudine*. Et proinde actum factum contra legem prohibētem substantiam ipsius esse nullum, tradunt Bar. *in dict. l. Nondubium. num.* 2. ver. *Tu iuuenis.* & *num.* 13. Bald. *ante num.* 1. ver. *Quidam sentiunt*, & *n.* 2. ver. *Quartò nota.* Castrens. *num.* 2. ver. *In secunda.* Ias. *num.* 17. *not.* 8. Tiraquel. *Ad leg.*

leg. connub. glos. 4. *num.* 7. Virgin. Bocat. *ad Consti.*, *Piceni. glos.* 6. *num.* 110. Suarez *lib.* 5. *de legib. cap.* 25. *n.* 1. *&* 2. & *cap.* 27. *num.* 2. Salas *disput.* 15. *De legib. sect.* 8. *num.* 16.

3 Commutare autem vltimam voluntatem sine causa est actus contra iustitiam, atque adeo prohibitus naturali lege; cùm enim quilibet possit ad libitum disponere de rebus suis, vt illarum moderator, & arbiter *l. In re mandata. C. Mandati*, & *l. Dudum. C. De contrahen. emp.* posita dispositione vltimæ voluntatis manet res sub determinatione testatoris; & propterea commutatio sine causa vltimæ voluntatis, vt tollens hanc determinationem, priuat testatorem iure disponendi ad libitum de re propria, non secus ac si viuens impediretur, ne disponeret; & propterea est commutatio iniusta tollens illam æqualitatem, quam iuxta propriam facultatem in rebus constituit testator. Hinc Imperatores agnouerunt, se non posse rescindere testamenta, vt *in l. Si testamentum. C. De testamentis.* ibi. *Si testamentum iure factum sit, & hæres sit capax, auctoritate rescripti nostri rescindi non oportet*, & similiter idem statuitur de donationibus *l. Si donationem. C. De reuocan. donat.* ibi. *Si donationem ritè fecisti, hanc auctoritate rescripti nostri rescindi non oportet.*

4 Quod amplius confir. Voluntas testatoris est irreuocabilis, vt pote morte confirmata. *l.* 3. *§. fin.* & *l. sequen. ff. De adimen. legat.* & *l. Cum hic status. ff. De donat. inter vir. & vxorem.* & moraliter perseuerat, & virtuali modo in dispositione facta. Vnde cum sit habenda pro lege *l.* 3. *C. Communia de legat.* & notat plura allegans Pichar. *in Rubr. Instit. de lege Falcid. num.* 15. & *Disp. de mora. num.* 202. Tanquam lex semper loquitur etiam defuncto testatore, sicut lex semper loquitur etiã defuncto legisfatore *l.* 1. *ff. De condit.* & *l. Ariani. C. De Hæreticis.* & notat Bar. *ibid.* Vnde commutare vltimam voluntatem sine causa est facere contra voluntatem testatoris circa res ipsius, atque adeo contrectare rem alienam inuito domino, sicut non seruare legem est facere contra voluntatem legislatoris. valet enim argumentũ à dispositione legis ad dispositionem testatoris. *l. Non impossibile. ff. De pactis.* & *l. Seruus hac lege. ff. De manumis.* & *l. Cum quidam.* ver. *Quemadmodum enim. ff. De verbor. significat.* & notat Euerar. *Loco* 52.

5 Neque dici potest, quod dispositio de oblationibus nõ sit effectus vltimæ voluntatis testatoris, sed ipsius Episcopi, si quidem dispositio testatoris non valet, nisi accedente consensu Episcopi, & censetur se habere tantum per modum cuiusdam instantiæ, cui condescendat Episcopus præbendo consensum. Nam cum concessio Episcopi sit ad instãtiam vltimæ voluntatis ipsius testatoris, quod concessum est, fuit subiectum dispositioni vltimæ voluntatis; concessio namque regulatur secundum petitionem, à qua accipit interpretationem, ita vt concessum intelligatur, pro quo in petitione fuit instatum: *§. Preterea.* Instit. *De inut. stipulatione.* & *l. Si defensor. §.* 1. & *l. Si fine. §. Qui interrog. ff. De interrogat. act.* & *l.* 1. *C. De diuer. rescrip.* & notant Dec. *Consil.* 142. *num.* 6. Craueta *Consil.* 45. *num.* 2. Bar. *in l.* 1. *num.* 5. ver. *Quandoque illa. ff.* Ad *leg. Iul. maiest.* Abbas *Cap. fin. num.* 2. *De treuga, & pace.* Ias *in l. Caus. num.* 5. *C. De transact.* Paris. *Consil.* 3. *num.* 56. *lib.* 4. alios citans. Menoch. *Consil.* 702. *num.* 4. Vnde cum vltima voluntas testatoris fuerit, quod oblationes, in talem vsum conuertantur, & accesserit consensus Episcopi, iam habetur pro concesso, quod oblationes subijciantur dispositioni vltimæ voluntatis, & ideo mutatio talis dispositionis erit mutatio vltimæ voluntatis.

6 Quod eò amplius verum est, quia consensus huiusmodi præstitus ab Episcopo habet assistentiam, & auctoritatem legis, quatenus ipsi concedit ordinare ea, quæ pertinent ad iura Ecclesiæ Cap. *Sic quidam.* Cap. *Decretum.* Cap. *Quecunque.* 10. *Quæst.* 1. Quod autem est secundum auctoritatem legis, censetur

fetur factum à Principe, à quo lex habet vigorem, cum in lege fit voluntas principis, iuxta illud, Quod principi placuit, legis habet vigorem. *l.* 1. *ff.* De *constit. princip.* Vnde talis concessio, vt habens assistentiam legis canonicæ censenda est facta ab ipso Pontifice. Cum autem concessio Pontificis tribuat plenum dominium rei concessæ Cap. *Si tibi absenti*. De *præbend. in 6.* & Cap. *Dilecti*. De *donationib.* & notant Bart. *l. fin. ff.* De *constitut. Princip.* Alber. *ibid.* Bal. *item ibid.* & *in l. si quando*. 1. C. De *bon. v. can.* & *in Cap. Ad audientiam.* De *præscriptionib.* Angel. *in l. Officium. in fine. ff.* De *rei vendicat.* Alexan. *Consil.* 187. *vol.* 1. Iaf. *in Prælud. Feud. num.* 72. Dec. *Consil.* 191. *num.* 11. & *Consil.* 234. *n.* 14. Eodem pacto se habebit præsens dispositio testatoris, de qua nunc, ac si disposuisset de re, quæ sub pleno dominio ipsius extitisset.

7 Ex quibus deducitur, quod si oblationes ex volūtate testatoris debeāt conuerti in alendos pauperes, dotandas puellas, vel in alia huiusmodi pietatis opera, non poterunt conuerti, per commutationem vltimæ voluntatis ad ornatum ecclesiæ non necessarium, nam talis commutatio non esset in fauorem vltimæ voluntatis, sicut debet esse *l. Legatum. ff.* De *vsu, & vsufruct. leg.* & *l. Legatum. in fine. ff.* De *administr. rer. ad ciuit. pertinent.*

8 Deinde in tali casu concurrit fauor Ecclesiæ materialis, & fauor operum pietatis; Cum autem debeat prævalere, qui potentior est, quia causa potentior debet attendi *l. Quæritur. ff. De statu homin.* & debet præferri, qui habet potentius priuilegium. *l. Verum. S. fin. ff.* De *minor.* & notant Bald. *ibid.* Bart. *Authent. Quas actiones.* C. De *Sacrosanct. Eccles.* Abbas *in Cap. In præsentia.* De *probat.* Dec. *num.* 51. ver. *Secundò. conclusio supradicta.* Potentior autem est causa pauperum puellarum nubilium, & carentium dote, & aliorum huiusmodi operum pietatis, & meliori priuilegio guadent, quàm ornatus Ecclesiæ materialis, siquidem pro his operibus pietatis possunt alienari res ecclesiæ, vt pro redimendis captiuis Cap. *Apostolicus.* Cap. *Et Sacrorum.* Cap. *Sacrorum canonum.* Cap. *Sicut omnino.* 12. *quæst.* 2. Pro alimonia pauperum, vel constructione sepulturæ communis. Cap. *Aurum.* 12. *quæst.* 2. & pro alijs huiusmodi, quorum fauor cum ita præualeat, vt bona ecclesiæ in ipsa conuerti possint, non poterit, quod pro ipsis destinatum est, conuerti in aliquod ornamentum ecclesiæ præsertim si non sit necessarium.

An regulares virtute suorum priuilegiorum possint absoluere ab excommunicatione imposita reuelantibus; quæ tractantur in S. Rituum Congregatione coram Sanctissimo. Quæst. 104.

S V M M A.

1 *Iuramentum, quod emittunt Cardinales S. Rituum Congregationis.*
2 *Regulares virtute priuilegiorum possunt absoluere à reseruatis Pontifici quibusdam exceptis.*
3 *Non possunt Regulares absoluere ab excommunicatione contra reuelantes, quæ tractantur in S. Rituum congregatione coram Sanctissimo.*
4 *Dictio,* dumtaxat, *excludit omnia præter expressa.*
5 *Summus Pœnitentiarius non potest absoluere ab excommunicatione contra reuelantes, quæ tractantur in S. Rituum Congregat. coram Sanctissimo.*
5 *Dictio,* Etiam, *exprimit casum magis dubitabilē, & implicat minus dubitabilem.*
6 *In generali concessione non veniunt, quæ quis in specie non esset verisimiliter concessurus.*
6 *Non est verisimile, quod Pontifex velit Regulares excedere in facultate absoluendi à reseruatis Summum Pœnitentiarium.*

1 EMinentissimi Cardinales S. Rituum Congregationis, & ceteri, quibus communicantur, quæ in eadem Congregatione tractantur coram

coram Sanctissimo, iurant *Sub pœna periurij, & excommunicationis latæ sententiæ, à qua nonnisi à Summo Pontifice dumtaxat, (excluso etiam maiori pœnitentiario) præterquam in articulo mortis absolui possint.* vt habetur ex Formula dicti iuramenti, non reuelare, nec loqui, nisi cum cœteris Cardinalibus dictæ Congregationi tribus Rotæ Auditoribus antiquioribus, Consultoribus, & Officialibus dictæ Congregationis, atque duobus familiaribus ab vnoquoque ipsorum deputandis de ijs, quæ fient, aut tractabuntur non solum in causis spectantibus ad dictam Congregationem, sed etiam quò ad cœtera occurrentia etiam occasione discursus de rebus Magnatum, Religionum, vel alijs grauioribus coram Sanctitate sua. Et similiter sub eadem pœna iurant, se propalaturos commendationes omnes circa causas concernentes dictam Congregationem, siue ore tenus, siue per litteras, aut supplices libellos, nec scienter se huiusmodi litteras aperituros, sed trāsmissuros per Secretarium ad ipsam Congregationem, nec rescripturos, nisi de mandato Congregationis, vt latius in dicta Formula. Quæritur ergo, An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint absoluere ab hac excommunicatione.

2 Et videtur affirmatiuè respondendum, nam possunt absoluere virtute priuilegiorum ab omnibus reseruatis Apostolicæ Sedi, præterquam à contentis in Bulla Cœnæ. à Violatione clausuræ Monialium ad malum finem. à Duello in terminis Concilij Tridentini, & Constitutionis Gregorij XIII. Ab Iniectione Manuum violentarum in Clericos. A simonia reali scienter cōtracta, & confidentia beneficiali. A Violatione immunitatis Ecclesiar. in terminis Gregorij XIV. & à Reseruatis Ordinario loci. Et hoc solum intra Italiam, & extra Vrbem Romæ iuxta decretum *S. Congregationis*, & mandato Clementis VIII. *anno* 1602. & declarationem eiusdem *S. Congregat. die* 17. *Nouemb.* 1628. aprobatam ab Vrbano VIII. Vnde cum dictum Decretum nō habeat locum extra Italiam, & Vrbem Romam; solum remanebunt subtracti facultati Regularium, quam habent in virtute priuilegiorum, Casus contenti in Bulla cœnæ, & reseruati Ordinario loci, Cum sunt intra Italiam. & dum in Vrbe Roma morantur, solum contenti in Bulla cœnæ; non autem dicta excommunicatio.

3 Sed negatiua pars omnino tenenda est, atque adeo priuilegia Regularium non se extendere ad absoluendū ab huiusmodi excōmunicatione, quamuis in reseruatione ipsius non fiat specialis derogatio priuilegiorum, nam modus reseruationis est sufficienter exclusiuus priuilegiorum, & coarctatiuus ad solum Romanum Pontificem.

4 Hoc enim desumitur ex dictione taxatiua, *Dumtaxat*, apposita in reseruatione, qua absolutio reseruatur Summo Pontifici, *Dumtaxat*. Vis enim talis dictionis est, vt excludat omnes personas, præter expressas, vt habetur ex *l.* 3. *§. Cū Titio. ff.* De *adimen. leg.* & *l.* 2. *C.* De *legib.* & Cap. *Cum Ecclesia*. De *verbor. significat.* & Cap. *Statutum*. *§. In nullo*. De *rescrip. in* 6. & Cap. 1. *De iureiur. in* 6. & Cap. *item* 1. De *temporib. Ordinat. in* 6. & notant Zabarel. *in dict. Clemen.* 1. *init. not.* 3. Archidiacon. *in dict. Cap. Statutum.* Bar. *in l.* 1. *num.* 1. *ff.* Si *quis ius dicenti.* Iaf. *num.* 8. *in fine.* Roman. *Consil.* 512. *num.* 2. Oldrad. *Consil.* 186. Natta *Consil.* 78. *num.* 3. *vol.* 1. Sebastian. Medices *De definit. par.* 2. *cap.* 88. *num.* 2. Craueta *Consil.* 201. *num.* 4. Paris. *Consil.* 47. *num.* 18. *lib.* 4. Gozadin. *Consil.* 60. *num.* 7. Mandos. *ad Reg.* 8. *Cancellar. q.* 6. *num.* 6. Tusch. *littera D. Conclus.* 388. *num.* 2. Mascar. *De probat. Conclus.* 1393. *num.* 37. Cenedus *Singul.* 18. *num.* 1. Vndè cum fiat reseruatio Summo Pontifici cum huiusmodi dictione, erit exclusa à qualibet alia persona facultas absoluendi.

5 Quod etiam desumitur ex alia clausula apposita nempe, *Excluso etiam Summo Pœnitentiario*. nam si excluditur etiam Summus Pœnitentiarius, ita vt nec ipse possit absoluere, à fortiori excluduntur etiam cœteri, qui solum ex priui-

priuilegio possunt absoluere à reseruatis Romanæ Sedi; ita vt absolutio taxatiuè, & priuatiuè quó ad alios spectet ad Romanum Pontificem. Dictio namque *Etiam*, exprimit casum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem. *l. Etiam. ff.* De *verbor. significat.* & *l. Conuenticula.C.* De *Episcop.& Cler.*& *l. Etiam. C. Si tutor, vel Curator. &* notant Communiter Doctores, Decius *in cap. vnicum.* De *commodato*. Panorm. *num.* 3. Cardinal. *in Clement. Religiosi. num.* 1. De *priuileg.* & *in Clement. vnicam.* §. *fin. num.* 2. De *supplen. negligent. prælat.* & *in Clemen. Nolentes. num.* 1. De *hæret.* Geminian. *in Cap. Cum de beneficio. num.* 7. De *præben. in* 6. Corneus *Consil.* 163. *num.* 4. *vol.* 2. Socin. *Consil.* 23. *num.* 7. *vol.* 1. Calderin. *Consil.* 4. *in fine*. *De præben.* Paris. *Consil.* 41. *num.* 5. *vol.* 4. & *Consil.* 36. *num.* 9. & *Consil.* 65. *num.* 18. *vol.* 1. Cœphal. *Consil.* 68. *num.* 9. *vol.* 1. Aretin. *Consil.* 1. *num.* 25. *in fine*. Socin. iun. *Consil.* 41. *num.* 32. *vol.* 3. Alexan. *Consil.* 116. *num.* 14. *lib.* 2. Menoch. *Consil.* 116. *nu.* 8. & *Consil.* 158. *num.* 75. & *Consil.* 531. *num.* 7. & *lib.* 1. *De arbitrar. quæst.* 49. *num.* 8. & *lib.* 2. *Casu* 68. *num.* 40. & *lib.* 4. *Præsump.* 180. *nu.* 52. Flamin. *De confident. benef. quæst.* 58. *num.* 32. Surdus *Consil.* 303. *num.* 15. & *Consil.* 445. *num.* 28. Mantica *Decis.* 173. *num.* 3. Dec. *Consil.* 64. *num.* 31. *lib.* 3. Scaccia *De cambijs.* §. 7. *gloss.* 3. *num.* 18. Seraph. *Decis.* 530. *num.* 6. Tusch. *Littera D. Conclus.* 275. Rota Bononiens. *diuer. Decis.* 25. *num.* 15. Rota Romana *apud Farinac. Decis.* 689. *num.* 4. *Nouissimor.* & *Decis.* 222. *num.* 3. *Recent.* & *Decis.* 721. *num.* 6. & 7. *par.* 2. Vnde cum excludatur etiam Summus Pœnitentiarius, de quo magis dubitari poterat, an in dicta reseruatione excluderetur, ex vi Dictionis, *Etiam*, erunt exclusi omnes alij, cum de ipsis minus dubitari possit.

6 Et facit etiam regula, Quod in generali concessione non veniant, quæ quis in specie non esset verisimiliter cōcessurus. Cap. *In generali.* De *reg. iur. in* 6. & proinde priuilegia non continent facultatem absoluendi ab hac censura; quia continent tantum generalem concessionem absoluendi à reseruatis Apostolicæ Sedi. Non est autem verisimile, quod Summus Pontifex sit concessurus in specie omnibus Regularibus priuilegiatis facultatem absoluendi à præsenti excommunicatione, non solum quia reseruata est ipsi soli post concessa priuilegia, sed etiam quia est reseruata cum speciali modo reseruationis, priuatiuè quó ad alios, etiam Summum pœnitentiarium, cui tamen conuenit absoluere à reseruatis; Et quia non est verisimile, quod velit Regulares excedere in facultate absoluendi à reseruatis Romanæ Sedi ipsum Summum Pœnitentiarium.

Quantum se extendat excommunicatio contra reuelantes, quæ in S. Rituum Congregatione coram Sanctissimo tractantur. Quæst. 105.

SVMMA.

1 *Quas personas comprehendat excommunicatio contra reuelantes, quæ tractantur in S. Rituum Congregatione coram Sanctissimo.*
2 *Quæ in S. Rituum Congregat. tractantur secundum duplicem statum considerantur.*
3 *Excommunicatio contra reuelantes, quæ in S. Rituum Congregat. tractantur, comprehendit solum tractatum dictæ Congregat.*
4 *Vbi locum non habent verba legis, nec etiam habet dispositio.*
4 *Reuelatio dicit relationem ad secretum.*
5 *Interuenturi Congregationi Rituum possunt discurrere cū alijs, & eos consulere super articulis tractandis.*
6 *Possunt declarare suum votum ante congressum, sed non post pronunciatum in congressu. n.* 8.
6 *Secretum electionis non læditur, si quis dicat, se velle tali suffragari.*
7 *Non entis nullæ sunt qualitates.*
8 *Cessante ratione legis, cessat etiam lex.*

1 QVó ad personas ex Decretis Vrbano VIII. seruandis in Canonizatione, & Beatificatione Sanctorum. §. *In causis Canonizationum.*

sionum. ver. *Iuramentum*, constat extendi ad Eminentissimos Cardinales, Rotæ Auditores, Prothonotarium, Sacristam, Promotorem Fidei, Consultores, & deputatos à Cardinalibus, & Rotæ Auditoribus pro vidĕdis, & trāscribendis scripturis necessarijs, & opportunis. Vnde solum dubitatur de extensione quò ad materiam. Quia autem materia prohibita est sub pœna excommunicationis, sub qua iurant, est reuelatio eorum, quæ tractantur in Sacra Rituum Congregatione, ideo inquiritur, quam extensionĕm habeat huiusmodi materia.

2 Quæ autem in dicta Sacra Congregatione pertractantur, possunt secundum duplicem statum considerari. Primus est ille, quem habent antequam ad Congregationem deferantur, & continet substantiam rei, de qua est agendū, præparationem scripturarum, informationes, & alia huiusmodi. Secundus continet tractatum, qui super iis fit à Sacra Congregatione, qui consistit in votis tam Consultiuis, quam Decisiuis, & in determinationibus. Et ex *decreto Vrban. VIII.* adiunguntur vt quid accessorium ea, de quibus circa Magnates, Religiones, & alias res graues occasione tractatus occurret discurrere.

3 Respondendum est igitur, quod dicta excommunicatio non se extendit ad res, quæ tractantur in Congregatione secundum priorem statum, quem habent, antequam subijciantur examini Sacræ Congregationis, sed solum secundum posteriorem statum; vnde non se extendit ad ipsas res, sed ad tractatum, qui fit super ipsis à Sacra Congregatione, & proinde non incurret excommunicationem, qui de ipsis pertractabit cum quocunque, dummodo abstineat à tractatu facto super ipsis in S. Congregatione.

4 Ratio autem est. Quia vbi locum non habent verba legis, nec etiam potest habere locum dispositio ipsius. *l.* 4. §. *Toties*. *ff.* De *damno infecto*. & *l. Quod constitutum. ff.* De *militari testamento*. & *l. Ita autem. init. ff.* De *administr. tut.* & *l. Hos accusare.* §. *Omnibus*. *ff.* De *accusat.* & *l. Si ancillas omnes*. *ff.* De *legat.* 1. & *l. Adigere.* §. *Quamuis*. *ff.* De *iurepatronat.* & Cap. *Indemnitatibus*. §. *Sed cum eis.* De *elect. in* 6. & declarant Doctores. Tiraquel. *l. Si vnquam. verbo*, Libertis. *num.* 2. C. *De reuocan. donat.* Hippolit. *Consil.* 25. *n.* 10. & *Consil.* 40. *num.* 12. Surdus *Decis.* 122. *num.* 13. & *Consil.* 152. *num.* 38. & *Consil.* 174. *num.* 8. Gutierez *lib.* 3. *pract. q.* 17. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel. gloss.* 5. *n.* 24. Rota *Decis.* 697. *num.* 7. *apud Farinac. p.* 1. *Recent.* In casu autem nostro verba legis non possunt aptari rebus, de quibus agitur in Congregatione secundum primū statum; sed solum tractatui, qui fit super ipsis in Congregatione. nam excommunicatio est contra reuelantes ea, de quibus tractatur in ipsa Congregatione, & contra loquentes de ipsis cum ijs, qui non pertinent ad Congregationem, atque adeo de loquutione manifestatiua nescientibus. Cum autem reuelatio, & loquutio manifestatiua dicat ordinem ad secretum, solum potest habere locum respectu tractatus, qui fit in Congregatione, non autem respectu rerum, de quibus agitur, quia hæ non sunt secretæ, sed manifestæ, cum sint notæ non solum partibus, sed etiam procuratoribus, aduocatis, notarijs, iudicibus inferioribus, & redacta in acta publica; & proinde non cadunt sub prohibitione, quod non reuelentur, nec de ipsis ineatur sermo.

5 Ex quo deducitur, quod Eminentissimi Cardinales, & cœteri, ad quos spectat, possunt, antequam deueniant ad congressum Congregationis, discurrere de articulis in ipsa pertractandis ad instantiam partium, quia iam notum est, quod sit tractandum de ipsis, & consulere super ipsis peritos, & eos examinare, quia hæc non pertinent ad tractatum ipsius Congregationis, qui solus, vtpote secretus, cadit sub prohibitione manifestationis.

6 Deducitur secundo. Quod possunt Cardinales, & Consultores discurrere super voto, quod pronunciaturi sunt in Congregatione, & illud alteri declarare, nam hoc non est manifestare tractatum dictæ Congregationis, quia

non

non dum tale votum factum eſt pars illius tractatus; nec per hoc aliquid de ipſo tractatu manifeſtatur, nam poteſt votans aliter votum ſuum pronunciare, ac dicit ſe pronunciaturum: & ideo per hoc, quod dicat, tale futurum proprium votum, cum poſſit eſſe diuerſum, non manifeſtatur votum, quod eſt pars tractatus. Sic, qui dicit, ſe in electione ſuffragaturum Petro, non per hoc publicat ſuum ſuffragium, nec facit contra diſpoſitionem Concilij Trident. *ſeſſ.* 25. *Cap.* 6. *De Regular.* præcipientis ſecretum electionis. vt dixi in *Deciſion. moralib. Deciſ.* 262. *num.* 2. *&* 3. & poſtea me citato ſequutus eſt Samuel. *de elect. tr.* 1. *diſp.* 5. *controuer.* 7. *num.* 3. *& ſequent.* aſſerens, per hoc non violari ſecretum electionis.

7 Ratio pro his omnibus eſt, quia nec verba Decreti aptari poſſunt, cum noninterueniat aliqua reuelatio de eo, quod tractatum eſt in Congregatione, atque adeo nec etiam ipſa diſpoſitio, vt dicebatur. Nec ratio legis habet locum. Quia lex intendit prouidere ſecreto tractatuum eiuſdem Congregationis, ex ſupradictis autem nullum præiudicium prouenit dicto ſecreto; quia cum nondum ſint tractatus, nec etiam habet locum ſecretum ipſorum, nec eſt præiudicabile in aliquo; nam non entis nullæ ſunt qualitates. *l. Eius, qui in prouincia.* ver. *Quoniam.* *ff.* Si certum pet. & *l.* 4. *§. Condemnatum.* *ff.* De re iud. & *l. Pomponius.* *§. fin.* *ff.* De *acquiren. poſſeſſ.* & *l. Si ſeruum.* *§. fin.* *ff.* De *act. empti.* & *l. Nec vllam.* *§. Si quis abſentis.* *ff.* De *petit. hæred.* & Cap. *Bonæ.* De *elect.* & Cap. *Ad diſſol.* De *deſponſat. impub.*

8 Quare cum in dictis caſibus ceſſet ratio legis, ceſſabit quoque lex ipſa, nec habebit locum excommunicatio impoſita reuelantibus *l. In omni. ff.* De *adoptionib.* & *l. Quod dictum. ff.* De *pactis.* & *l. Si maritus. §. Scripſi. ff.* Ad *leg. Iul. de adult.* & *l. Adigere. §. Quamuis. ff.* De *iurepatronat.* & Cap. *Et ſi Chriſtus.* De *iureiuran.* Oppoſitum tamen eſt tenendum, ſi votum manifeſtaretur poſt peractã Congregationem, nam tunc manifeſtaretur pars tractatus eiuſdem Congregationis, atque adeo haberent locum verba legis, & conſequenter etiam diſpoſitio ipſius.

An regulares poſsint vti priuilegijs reuocatis per Concilium Tridentinum. Quæſt. 106.

SVMMA.

1 *Pius V. reualidauit quò ad forum conſcientia priuilegia Regular. reuocata per Tridentinum.*
2 *Regulares, non poſſunt vti quò ad forum conſcientia priuilegia reuocata per Trident.*
3 *Priuilegia etiam remuneratoria poſſunt ex iuſta cauſa reuocari.*
4 *Priuilegia ſemper ſubordinantur poteſtati concedentis.*
4 *Intelliguntur conceſſa cum tacita conditione, quod non præiudicent bono communi.*
4 *Viuæ vocis oracula ſublata per Vrbanum Octauum.*
5 *Regulares non poſſunt vti priuilegijs reuocatis per Trident. etiam poſt confirmat. in forma communi.*
5 *Confirmatio in forma communi non tribuit vim non habenti.*
6 *Regulares poſſunt vti priuilegijs reuocatis per Trident. ſi obtinuerunt poſtea confirmat. in forma ſpecifica.*
6 *Confirmatio in forma ſpecifica habet vim noua conceſſionis.*
7 *Quæ priuilegia ex declaratione S. Congregat. non cenſeantur confirmata.*
7 *Incluſio vnius eſt excluſio alterius.*
8 *Vt priuilegia derogata per Tridentinum cenſeantur confirmata, non eſt opus derogatione Concilij.*
8 *Conceſſio contra Concilium generale non valet, niſi Concilio derogetur.*
9 *Reſpectu tamen Concilij Tridentini non requiritur derogatio.*
10 *Stylus quod nõ admittantur Reſcripta Pontificum continentia aliquid contra Tridentinum, niſi ipſi derogetur, non valet.*

1 Affirmatiuè reſpõdent quò ad forum conſcientiæ tantummodo, & non quò ad Forum externũ Henriquez *lib* 7. *cap.* 24. *in Gloſ.*

in Glos. littera K. Veracrux *in Speculo Coniugior. in fine. in Peroratione. vers. Et vltra hoc.* Vega *Par.* 1. *Sum. cap.* 62. *Casu* 4. *circa finem.* Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regular. quæst.* 8. *ar.* 9. & *in Bullam Cruciatæ* §. 9. *num.* 32. Sanchez *lib.* 5. *Sum. cap.* 4. *n.* 16. Beia *par.* 4. *Casu.* 38. Compendium *Priuileg. Societ. Iesu* verbo *Concilium Tridentinum.* §. 3. Et fundantur in eo, Quod Pius V. *anno* 1567. *die* 13. *Martij* concessit Ministro Generali Minorum Frati Aloysio de Puteo, vt possint Minores vti priuilegijs reuocatis per Summos Pontifices, & Concilium Tridentinum, quò ad forum conscientiæ tantum, & hoc per Viuæ vocis oraculum. Et licet Gregorius XIII. *anno primo sui Pontificatus* reuocauerit, quicquid Pius V. concesserat contra decreta Conc. Trident. dicunt, quod talis reuocatio fuit tantum pro foro exteriori ad vitandas lites, & dissensiones inter Ecclesiasticos, vt constat ex inspectione *Motus proprij dicti Gregorij XIII.* Rursus quod reuocatio nō fuit quò ad Viuæ vocis oracula, sed solum quò ad concessiones per Bullas, & Litteras Apostolicas. Prædictam autem Concessionem Pij V. refert Veracrux, Vega, & Rodriquez citati.

2 Sed negatiuam sententiam tradunt Miranda *tom.* 1. *Manual. Prælator. quæst.* 39. *ar.* 1. *Concl. vn.* Io à Cruce *lib.* 2. *de Statu Religioso. cap.* 3. *dub.* 1. *Conclus.* 2. & 3. Sic *verbo.* Religio. *num.* 56. Portel. *in Dub. Regular. verbo*, Priuilegium. *num.* 64. qui tamen oppositam quoque sententiam putat probabilem, & sequitur Diana *par.* 3. *tract.* 2. *de Dub. Regular. Resol.* 59. Merol. *tom.* 3. *moral. theol. disp.* 6. *cap.* 5. *dub.* 1. *n.* 39.

3 In hac difficultate hoc primò certum est, quod non possunt Regulares neque quò ad forum conscientiæ, vti priuilegijs reuocatis per Concilium Tridentinum, nisi rursus à Summis Pontificibus reualidata sint per nouam concessionem. Reuocatio namque facta per Concilium tollit ipsa priuilegia. Quia etiam si sint remuneratoria, vt pote concessa intuitu meritorum eorundem Regularium, possunt tamen ex iusta causa reuocari, vt communiter docent Glos. *in Cap. Suggestum.* De *decimis* & *in Authent. Vt iudex fine.* §. *Quod autem.* Ias. *in l. Si ex toto. ff.* De *leg.* 1. & *in l. Si ex hoc iure n.* 54. *ff.* De *iust.* & *iure.* Castrens. *in l. Digna vox. C.* De *legib.* Bald. *in l. Donationes. C.* De *donat. inter vir & vxor.* Alex. *Consil.* 16. *nu.* 3. *vol.* 3. Dec. *Consil.* 335. *n.* 2. Cacheran. *Decis.* 90. *nu.* 15. Isernia *in Cap.* 1. *De prohibit. feud. alien.* Peregrin. *lib.* 1. *De iure Fisci. tit.* 3. *nu.* 67. Belliga *in Speculo Princip. Rubr.* 11. *nu.* 5. Rolan. à Valle. *Consil.* 1. *n.* 158. & *sequent. vol.* 2. Menoch. *Consil.* 156. *nu.* 48. Tapia *l. vlt. ff.* De *constit. princip. par.* 2. *cap.* 9. *n.* 42. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 33. *n.* 3. Suarez *lib.* 8. De *legib. cap.* 37. *n.* 9.

4 Et desumitur ex *l. Ex facto. ff.* De *vulg. & pupil. substit.* vbi etiam alij Doctores & *l. Cum quis. ff.* De Salut. & Cap. *Suggestum.* De *decimis.* Ratio autem est. Quia priuilegia debent regulari à potestate iurisdictionali concedentis, quæ cum debeat semper respicere bonum communitatis, priuilegia quoque ex natura sua, & in virtute concessionis debent remanere subordinata eidem potestati secundum exigentiam boni communitatis; & ideo quando ita exigit bonum commune, possunt reuocari. Et sicut princeps non potest facere aliquid contra exigentiam boni communis, ita quando concedit aliquod priuilegium semper censetur concedere sub tacita conditione, quod eatenus valeat, quatenus non sit præiuditiale bono communi *l. Ex facto ff.* De *vulg. & pupil. substit.* & notat Thomas del. Bene *De parlam. dub.* 7. *sect.* 3. *n.* 1. Vnde quando bonum commune exigit reuocari priuilegium, quia incipit esse præiudiciale, tunc potest reuocari in virtute tacitæ conditionis, quæ afficit concessionem. Priuilegia autem per Concilium Tridentinum ideo reuocata sunt, quia ita exigebat bonum communitatis, vt nimirum locum haberent prouisiones, quas pro vniuersali Ecclesia instituit. Nec sufficit reualidatio Pij V. de qua *nu.* 1. quia saltem rema-

remanet sublata per reuocationem omnium Viuæ vocis oraculorum factam ab Vrbano VIII. sub *die* 20. *Decembr.* 1631.

5 Rursus etiam certum debet esse, quod non possint Regulares vti dictis priuilegijs reuocatis, etiam si postea confirmata sint, si confirmatio sit in forma cōmuni; nam talis confirmatio non reualidat priuilegia derogata, neque restituit ablata; sed relinquit rem in suo esse, nec tribuit vim non habenti Cap. *Quia diuersitatē.* De *concessione præbend.* & Cap. *Examinata.* & Cap. *Cum dilecta.* §. *Nos igitur.* ver. *Volentes.* De *confir. vtil. & inut.* & Cap. *Ex parte.* De *priuileg.* & Cap. *Inter dilectos.* §. *Cæterùm.* De *fide instrument.* Glos. *in Cap.* 1. verbo. *Confirmationem.* & *in Cap. Ne Sede vacante.* verbo. *In forma communi.* De *confir. vtili, & inut.* Hostiens. *in Sum. De confir. vtili &c.* §. *Qui sint effectus* Butrius *in Cap. Dudum.* De *decimis.* Innocent. & Imola *ibid.* Felin. *in Cap. Inter dilectos. n.* 13. De *fide iustrum.* Abbas *ibid.* Dec. *in Rubr. De confir. vtili. dub. vlt.* Alexan. *Consil.* 123. *nu.* 18. & 22. *lib.* 4. Paris. *Consil.* 3. *n.* 36. *lib.* 4. Cardinalis *Consil.* 64. *num.* 4. Curt. iun. *Consil.* 313. *n.* 6. Mandos. *reg.* 22. *q.* 10. *n.* 9. *De signat. grat.* Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Reg. q.* 8. *art.* 3. Tusch. *Littera C. Conclus.* 708. Garzias *par.* 3. *De benef. cap.* 2. *n.* 221. Suarez. *lib.* 8. *de legib. cap.* 18. *n.* 8.

6 Solum ergo valebunt dicta priuilegia non solum pro foro interiori, sed & pro exteriori, si confirmata sint in forma speciali, ita vt confirmatio sit reuera ex certa scientia, & non secundum nudum nomen. Confirmatio namque huiusmodi habet vim nouæ concessionis, & proinde si feratur cum certa cognitione in priuilegia sublata, illa de nouo restituit, vt habetur ex Cap. 1. & Cap. *Veniens.* De *transact.* & Cap. 2. *De pactis.* & notant. Glos. *in Cap. Quia diuersitatem.* De *concessione præbend.* & *in Cap.* 1. De *transactionib.* Felin. *in Cap. Inter dilectos. n.* 13. & *sequent.* De *fide instrum.* Panorm. *ibid.* Decius *Rubrica.* De *confir. vtili &c. dub.* 4. Bald. *Tit. Per quos fiat inuestitura Cap.* 1. *n.* 2. Oldrad. *Consil.* 257. *n.* 12. Natta *Consil.* 636. *n.* 171. ver. *Sed obstat.* Roland. *à Valle Consil.* 1. *n.* 58. & *sequenti. vol.* 3. Molina *lib.* 2. *De primogenit. Cap.* 7. *n.* 7. Cancer. *tom.* 3. *Variar. cap.* 3. *n.* 185. Bar. *in l. More. n.* 5. *ff.* De *iurisdict. om. iud.* Paris. *Consil.* 3. *n.* 38. *lib.* 4. Gram. *Consil.* 113. *n.* 4. Suarez *lib.* 8. *De legib. cap.* 18. *n.* 12. Tusch. *littera* C. Verbo. *Confirmatio ex certa scientia.* Rosella *verbo* Absolutio. *num.* 223. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. q.* 8. *ar.* 3. & 10. Paschal. *De virib. patriæ potest. par.* 1. *cap.* 1. *n.* 61. & 65. Lanar. *Consil.* 21. *n.* 4. & *sequen.* Io. Vincent. Anna *Allegat.* 47. *n.* 15. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 2. §. 10. *num.* 5. Portel. *in Dub. Regular. verbo.* Priuilegij *confirmatio num.* 3. Megal. *tom.* 2. *Variar. Resolut.* 199. *num.* 8. Giunipar. *in defens. iur. Pontif. disput.* 1. *quæst.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Cum enim concessio priuilegiorum dependeat à voluntate concedentis, eo ipso quod habet certam notitiam in specie de priuilegijs, & ea confirmat, vult habere suum effectum, & ideo restituit, si fuerunt sublata.

7 Quod etiam desumitur ex declaratione S. Congregationis *editæ die* 17. *Nouembris* 1628. & approbata ab Vrbano VIII. qua declaratur, *Per confirmationes Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post S. Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixisse priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decreto sublata, atque extincta, siquæ habebant, absoluendi à Casibus Ordinario loci reseruatis. Quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, vtpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires aut robur acquisiuisse ex subsequentibus priuilegiorum confirmationibus.* Cum ergo dicta Declaratio taxatiuè procedat quò ad priuilegia absoluendi à contentis in Bulla cœnæ, & à reseruatis Ordinario loci, quæ solum excludit tanquam non confirmata per confirmationes subsequutas post Tridentinũ, consequenter habet cœtera pro confirmatis, si aliàs confirmatio ad ipsa se extendat iuxta doctri-

doctrinam Baldi *De feudis. T. t. Per quos fiat inuestitura, cap. 1. num. 2.* Rodriquez *tom. 1. quæst. Regul. q. 8. art. 10.* Nam cum includat in non confirmatis tantum dicta priuilegia, excludit non confirmatis cætera, atq. adeo reponit tacitè inter confirmata, si quidem inclusio vnius est exclusio alterius. *l. Cum prætor. ff. de iudic.* & *l. Cum maritus. C De procurat.* & *l. Quamuis. C. De pignorib.* & Cap. *Nonne. De præsump.* Accedit etiam, quod exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis *l. Tribunus. §. fin. ff. De milit. testam.*

8 Atque doctrina hæc habet locum, etiam si in confirmatione priuilegiorum nō essent appositæ clausulæ, quibus neq. in speciali, neq; in generali derogaretur Concilio Tridentino. Nā licet nulla cōcessio contra constitutiones Conciliares Generalium Conciliorū habeat vigorē, nisi aut in specie, aut saltē in genere derogetur Constitutionibus Cōciliaribus, vt desumitur ex Cap. *Nonnulli. De rescriptis.* & Cap. *Eā te. De ætate, & qualitate &c.* & Cap. *Ex parte. De capel. Monach.* vbi Glos. *verbo,* Nulla *mentio.* Archidiacon. *in cap. 1. De Constit. in 6.* Felin. *in Cap. Nonnulli n. 3. De rescript.* Paris. *Consil. 2. n. 3. vol. 2.* Iacobat. *lib. 5. de Conc il. art. 18.* Alban. *par. 1. De Concil. cap. 2.* Euerar. *Loco à plenitudine potest.* alios citans. Nauar. *in Manuali Cap. 27. n. 265.* Couarua *lib. 4. Variar. cap. 16. n. 6.* & *4. Decret. par. 2. cap. 8. §. 9. n. 5.* Mandos. *ad Reg. 19. Cancel. q. 17. n. 12.* Germon. *de indult. Cardinal. §. Per quæ sublatis n. 58.* Menoch. *Consil. 294. n. 11. & sequent.* Henriquez *lib. 7. sum. cap. 26. n. 3.* Molina *tr. 2. de Iust. & iure disp. 173.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 26. n. 7.* Viual. *par. 3.* Candelab. *cap. 12. num. 22.* Selua *par. 3 de Benef. q. 11. n. 31.* Corduba *lib. 4. q. 9. §. Tertia pars.* Sarmiento *lib. 3. Select. c. 14. n. 3.* Gutierez *in l. Nemo potest. n. 173. ff. De legat. 1.* Gratian. *Reg. 291. n. 4.* Caualcan. *par. 1. Decis. 29. num. 16.* & communiter omnes. Quia cum Decreta Conciliaria procedant ex deliberatione valde matura, non præsumitur, quod Pontifex de facili illis deroget, sed solum re valde ponderata; & ideo ad significandum, quod præcesserit talis ponderatio, requiritur expressa derogatio, aut in speciali, aut in generali.

9 Attamen hoc non habet locum quò ad Concilium Tridentinum, pro quo nulla requiritur derogatio, sed sufficit rescriptum Pontificis contra decreta ipsius, vt contra Sanchez *lib. 3. de matrimon. disp. 26. num. 7.* constat ex praxi, & stylo vniuersali Romanæ Curiæ, qui inducit legem, & notant Germon. *De indult. Cardinal. §. Per quæ sublatis. num. 74.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar. Gloss. 6. n. 120.* Marta *De clausul. par. 4. claus. 14. num. 3.* Bonacina *disp. 2. de Censur. quæst. 5. pun. 2. num. 5. ver. Ratio desumitur.* Moneta *De commut. vlt. volunt. cap. 11. num. 250.* Gratian. *Discep. forens. Cap. 940.* Marescot. *lib. 2. Variar. Resol. cap. 38. num. 41.* Sigismundus à Bononia *De elect. dub. 5.* Massobr. *in praxi habendi concur. Requisito 17. dub. 4. num. 8.* Ricciul. *De iure person. extra grem. Eccles. lib. 5. cap. 14. num. 6. & lib. 8. cap. 4. num. 6.* Giunipar. *in Defens. iur. Pontif. disp. 3. quæst. 3. dub. 2. cap. 2.* Barbosa. *in Collect. ad Trident. sess. 25. cap. 21. de reformat.* Rodriquez *tom. 3. quæst. Regular. q. 37. art. 4. §. Circa quam.* Alter. Rodriquez *in Comp. quæst. regular. Resol. 116. nu. 17.* Garzias *tom. 1. de Benefic. par. 4. cap. 5. n. 30.* Rota Romana *in vna Pensionis S. Angeli. 16. Decemb. 1594. coram Pamphilio.* & ita etiam declarauit S. Congregatio *in vna Abulensi*, quam refert Garzias *nu. 4. loci citati.* & aliam huiusmodi declarationem refert Quaranta *in Summa Bullarij. verbo*, Confessor. *in fine*; & idem Garzias *num. 32. eiusdem loci* refert *Motum proprium* Pij V. ita declarantem anno 1570. Atque hoc est conforme Decretis eiusdem Concilij, nam *sess. 25. cap. 21. De reformatione* declarat, ea, quæ statuta sunt circa morum reformationem, & Ecclesiasticam disciplinā, ita decreta fuisse, vt salua sēper maneat auctoritas Sedis Apostolicæ.

10 Neque audiendi sunt Azeuedo *in l. 2. circa finem. ti. 6. lib. 1. Recopilat.* Ceuallos *De cognit. violent. in Prol. n. 151.*

& *Glos.* 6. *n.* 62. Paz *tom.* 2. *Praxis. prælud.* 5. *n.* 10. Bobadil. *lib.* 2. *Polit. cap.* 18. *n.* 208. dum asserunt, quod in Hispania non admittatur quicquam contra Concilium Tridentinum, nisi contineat expressam derogationem. Quia dato quod lex canonica non obliget, nisi acceptetur, & sit in vsu; non tamen possunt subditi facere, quod lex obliget contra voluntatem Pontificis nolentis, illam obligare, cum obligatio legis dependeat à voluntate habentis debitam, & necessariam iurisdictionem. Et ideo cum Summus Pontifex nolit valere legem quò ad Concilium Tridentinum, quod non censeatur ipsi derogatum, nisi cum expressa derogatione, & introduxerit stylum in contrarium, non possunt subditi velle, quod non habeatur pro derogato, nisi cum expressa mentione; sed hoc est merus prætextus arripiendi occasiones ad impediendas litteras, & Bullas Apostolicas.

An clausula, Ex certa scientia, *sufficiat, vt confirmatio statutorum, aut priuilegiorum sit in forma specifica conualidans, quod est inualidum &c. Quæst.* 107.

S V M M A.

1 *Clausula*, Ex certa scientia, *secundum quosdam facit confirmationem in forma specifica.*
2 *Clausula*, Ex certa scientia, *non sufficit vt confirmatio sit in forma specifica.*
3 *Clausula*, Ex certa scientia, *non facit innotescere in specie, quam scientiam princeps habeat.*
4 *Clausula*, Ex certa scientia, *non operatur circa ea, quæ sunt facti.*
4 *Scientia iuris, non scientia facti præsumitur in principe.*
5 *Confirmatio non conualidans nullitates facti non est in forma specifica.*
5 *Quid requiratur, vt clausula*, Ex certa scientia, *conualidet nullitates facti.*
6 *Princeps non potest confirmare in forma specifica, nisi illam in specie mente concipiat.*
7 *Non est voluntarium, quod non est cognitum.*
7 *Quid voluntarium.*
7 *Ignorantia causat inuoluntarium.*
7 *Intentio occulta nihil operatur.*
7 *Clausula*, Ex certa scientia. *non explicat in specie intentionem operantis.*
8 *An clausula*, Ex certa scientia, *causet præsumptionem informationis in Principe.*
8 *Clausula*, Ex certa scientia, *non extendit confirmationem ad priuilegia, quæ non sunt in vsu.*
8 *Quid requiratur, vt clausula*, Ex certa scientia, *habeat vim nouæ concessionis.*
9 *Confirmatio*, Ex certa scientia, *si potest referri ad valida, & inualida, refertur tantum ad valida.*
10 *Quando constat, quod Princeps fuerit plenè informatus, nunquam confirmatio est incerta.*
11 *Quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus.*
12 *Clausulæ appositæ de consuetudine non debent esse in consideratione.*
12 *Verba non sunt superflua, si aliquid minimum operentur.*
13 *Clausulæ non semper sunt de intentione Principis.*
13 *An voluntas confusa confirmandi in specie causet confirmationem in forma specifica.*
13 *Causæ & causati idem iudicium.*
13 *Effectus regulatur secundum naturam causæ.*
14 *Princeps confirmans motus ex beneuolentia, & cum clausula*, Ex certa scientia, *non confirmat in specie.*
14 *Confirmatio non potest esse in forma specifica, nisi procedat ex scientia specifica, etiam si Princeps vtatur plenitudine potestatis &c.*

1 QVod talis clausula sufficiens sit, vt confirmatio sit in forma specifica, & proinde causet effectus proprios talis confirmationis, tenet prima opinio, etiam si non inferatur tenor rei confirmatæ, quam tradunt Abbas *in Cap. Examinata. circa finem.* De *confirm. vtili, vel inutili;* Dec. *in Cap. Porrectis*

nu. 10.

num. 10. Eodem tit. Velasquez in l. 42. Tauri. Gl os 3. n. 3. Qui tamen possent explicari, quod intelligunt, quando confirmatio procedit circa aliquod vnum, non circa plura, vt sunt priuilegia concessa Religionibus, Constitutiones, Statuta, &c. Insuper idem tenent Ripa Respon. 6. n. 10. lib. 2. Padilla in l. fin. n. 3. C. De diuer. rescrip. Guttierez Consil. 11. n. 13. Garzias de benef. par. 3. cap. 2. n. 233. Qui tamen addunt, non tollere vitium intentionis, aut subreptionis. Item Oldrad. Cons. 257. n. 12. Bart. Consil. 296. n. 2. lib. 1. Molina De iust. & iure tr. 2. disp. 174. Romanus Consil. 216. num. 7. Crot. in Cap. 1. n. 52. De constit. in 6. Milis in Repertorio. littera G. verbo. Gratia motu proprio. Felin. in Cap. Cum vigesimum. num. 12. De offic. deleg. & in Cap. Nonnulli. De rescrip. Dec. Reg. Totum. ff. De reg. iur. Alexan. Consil. 15. vol. 5. Menoch. De arbitr. lib. 1. quæst. 52. num. 9. Palaus par. 1. Oper. Moralis tr. 3. disp. 4. punct. 2. §. 10. Portel. in Dub. Regular. verbo Priuilegium. num. 27. Merol. tom. 3. Theol. moral dispu. 6. cap. 2. num. 108. Suarez 8. De legib. cap. 18. num. 14. qui vult, hanc clausulam habere suum effectum, etiam si adsit ignorantia facti, in quo tamen cap. 19. num. 2. & 4. non satis sibi constat, vt notat Guiniparus Disp. 2. pro defens. iur. Pont. quæst. 2. c. p. 1. num. 3. Verum plures ex his quoque doctoribus præsertim ex Veteribus loquuntur de confirmatione cum clausula, *Ex certa scientia*, circa aliquid vnum determinatum, aut quando constat, quod præcesserit plena informatio.

2 Alij tamen tenent, quod dicta clausula, *Ex certa scientia*, non sufficiat, vt Confirmatio sit in forma specifica, sed requiri, quod sit insertus tenor rei confirmatæ, aut saltem eius substantia. Ita Berois in cap. 1. num. 37. & 42. De confirm. vtili, vel inut. Mandos. ibid. Bald. in l. fin. C. De Fruct. & lit. expens. & in l. fin. C. Senten. rescind. non poss. Dec. Consil. 410. num. 21. Aimon. Consil. 241. num. 20. Ferret. Consil. 38. Gozadin. Consil. 9. num. 8. Alexan. Consil. 123. n. 20. & 22. vol. 4. & Consil. 125. & Consil. 126. vol. 2. Brunus Consil. 12. Aegid. Decis. 392. & 475. Vantius De nullit. Tit. Quis poss. dicere de nullit. num. 18. Barbosa Cons. 24. num. 14. Molina lib. 2. De primogen. cap. 7. num. 9. & lib. 1. cap. 2. num. 21. vbi alios citat. Gabr. lib. 6. De clausu. conclus. 1. num. 10. plures allegans. Garzias par. 3. de benefic. cap. 2. num. 233. Riccius in Collectan. par. 5. Collect. 1592. Tusch. littera C. Conclus. 341. n. 20. & Conclus. 710. immeritò pro opposita sententia citatus à Suerez. nam manifestè requirit, vt hæc clausula operetur effectum confirmationis in specie, quod procedat reuera ex scientia principis informati, qui notitiam habeat defectus, & nullitatis. Socin. iun. Consil. 32. num. 4. & sequen. vol. 3. Vital. de Camb. tract. De clausu. Tit. De clausula ex certa scientia. Seraphin. Decis. 122. Mantica Decis. 222. num. 4.

3 Hæc posterior opinio mihi vera videtur, si tamen ita accipiatur, vt aut tenor rei confirmatę saltem secundum substantiam debeat esse insertus in confirmatione, aut saltem ex ipsa confirmatione aliquo pacto colligatur, quod in confirmante præcesserit plena notitia, & informatio de re confirmata. Ratio autem est, quia clausula, *Ex certa scientia*, stat relatiuè ad ipsam cognitionem principis, & ideo ex sui natura non plus extenditur, quàm extendatur scientia ipsius, ergo non potest habere effectum aliquem, nisi fundetur in scientia ipsius, ergo nec etiam nobis potest innotescere, quam vim habeat, atque quantum extendatur, nisi nobis innotescat etiam in specie, quænam scientia fuerit in principe, quia ita res se habet ad cognosci, sicut se habet ad esse, nec quæ sunt talia dependenter ab alio, & relatiuè ad ipsum, possunt innotescere, nisi & ipsum innotescat.

4 Hinc communiter docent, quod dicta Clausula, *Ex certa scientia*, non operatur circa ea, quæ in facto consistunt, de quibus præsumitur Princeps non habere notitiam, sed tantum quò ad ea, quæ iuris sunt, quæ non præsumuntur à principe ignorari, vt docent Felin.

in Cap. Cum inter. num. 5. ver. *Intelliget benè*. De *except.* Alexan. *Consil.* 123. *num.*20. verbo,*Præmitto*, & *num.* 22. *& sequen. vol.*4. Bald. *l. vlt. num.*9. ver. *Dicas etiam*. C. Sentent. *resc. non poss.* Dec. *Consil.* 407. *num.* 23. Paris. *Consil.* 1. *n.*81. *lib.*1. & *Consil.* 4. *num.* 28. & *Consil.* 74. *num.*29. *lib.* 4. Menoch. *Consil.* 1. *n.*432. *& Consil.* 2. *num* 330. Curtius. Sen. *Consil.*49. *num.* 35. Lotter. *De re benef. lib.* 2. *quæst.*10. *num.* 83. Dec. *in Cap. Ad hæc* ver. *Et prædicta conclusio*. De *rescrip.* & *Consil.*98. *num.*6. Castrens. *Consil.*159. *in fine*. Socin. iun. *Consil.*32. *num.* 4. *& sequen. vol.*3. Menoch. *lib.*2. *Præsumpt.* 20. *num.*2. Cotta *in Memorabil.* verbo *Clausula*. Vantius. *de Nullit.* Tit. *De nullit. ex defectu iurisd. deleg. num.*58. Tusch. *littera C. conclus.* 340. *num.*44. & *Conclus.* 341. *num.*20. Brunorà Sole *in Compen.* verbo,*Clausula*. 18. Marchesan. *De commis. par.*2. *cap.*357. *num.*94. Rodulph. *De suprema principis potest. cap.* 6. *num.*5. Vincent. De Franch. *Decis.*192. *num.*18. Aldrete *Pro omnim. exempt. Regul. par.* 2. *cap.*1. *num.*11. Molina *lib.* 2. *de Primogen. cap.*7. *num.* 21. Garzias *De benef. par.* 3. *cap.*2. *num.*232. Seraph. *Decis.*268. *num.*5. Riccius *in Collectan. par.*5. *Collect.*1592. *in fine*. Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*4. *num.*6. Tamburin. *De iure Abbat. tom.* 1. *disp.*18. *quæst.*6. *num.* 18. Rota *apud Farinac. Decis.*128. *num.*5. *& sequen. tom.* 3. Quia nimirum præsumitur scientia in ijs, quæ sunt iuris Cap. 1. *De constit. in* 6. in ipso Principe, non autem quò ad ea, quæ sunt facti; & ideo, nisi constet de informatione Principis, hæc clausula nihil operatur circa ea, quæ sunt facti.

5 Quod amplius confir. Quando Princeps non conualidat nullitates facti, non confirmat in forma speciali, nec procedit ex certa scientia circa rem cõfirmatam, quia dum relinquit in esse inualido, non sortitur vim confirmationis in forma specifica, vt docent omnes præsertim. Curt. iun. *Consil.* 77. *num.* 105. *lib.* 1. Roland. à Valle *Consil.* 7. *num.* 105. *lib.* 3. Natta *Consil.* 39. *num.* 1. Seraphin. *Decis.* 1575. Quando autem non est insertus in confirmatione tenor rei cofirmatæ, aut non costat, quod innotuerit principi, clausula *Ex certa scientia*, non conualidat nullitates facti, sed tantum iuris, vt pro certo habent Craueta *Consil.* 241. *n.* 20. ver. *Quarto respondeo lib.* 1. Puteus *Decis.*70. *n.*4. *lib.*3. Menoch. *Consil.* 2. *num.* 130. Quia sicut non potest conualidare, nisi illos velit conualidare, & non potest velle, nisi sciat; ita nec possumus dicere conualidasse nisi ex confirmatione constet voluisse, & sciuisse, cum non possimus pronunciare, aliquid factum à Principe, nisi constet, esse factum. Clausula autem, *Ex certa scientia*, non ostendit, Principem sciuisse nullitates, & voluisse conualidare; quia certa scientia, ex qua Princeps dicit, se procedere, significat scientiam iuris, quæ præsumitur in Principe, non autem scientiam facti, quæ non præsumitur.

6 Ratio autem fundamentalis est, Quia non potest confirmatio in forma specifica prouenire à Principe, nisi secundum suam specificam formam sit ab ipso volita, & non potest esse volita, nisi mente concipiatur, & sit illi cognita; & non potest mente concipi, nisi cognitio Principis tendat in illud speciale, quod confirmat, secundum omnes ipsius circumstantias; nam confirmatio in forma specifica dicit, quod res in specie secundum suum esse determinatum, & circumstantiatum ita confirmetur, vt ex voluntate confirmantis absolutè valorem accipiat, ac si ab ipso de nouo fieret. Quando autem princeps non inserit tenorem rei confirmatæ, aut non constat, habuisse plenam informationem, non dat valorem rei secundum esse determinatum, nec declarat suam voluntatem, quod tendat in rem confirmatam secundum esse determinatum, & circumstantiatum; voluntas autem, quæ non exprimitur pro forma specifica, non valet pro forma specifica, quia tantum solum operatur, quantum se declarat, velle operari.

7 Accedit etiam, quod non potest alicui esse voluntarium, nisi quod est cognitum, quia voluntarium est, cuius prin-

principium est intrinsecum cum cognitione, vt communiter docent cum Arist. 3. *Eth. Cap.* 1. D. Damasceno *lib.* 2. *Orthodoxæ Fidei cap.* 24. D. Th. 1. 2. *q.* 6. *art.* 1. *in corpore*. Quod adeo verum est, vt ignorantia reddat inuoluntariũ quicquid ignoratur, quando est ignorantia antecedens, vt cõmuniter docent cum Aris. 7. *Etich. cap* 1. & D. Th. 1. 2. *q.* 6. *ar.* 8. vnde faciens actum turpem, si inuincibiliter ignorat turpitudinem, non peccat. Quia nimirum nihil volitum, quin præcognitum, cum voluntas non possit amplecti, aut respuere aliquid, quod ipsi non proponatur per cognitionem. Ex quo fit, quod confirmans non possit velle per suam voluntatem aliquid operari, quod non cognoscat, atque adeo non possit confirmatio ipsius sortiri aliquem effectum, ad quem non dirigatur cognitio. vnde si non habet cognitionem præcisam, & specificam rei confirmandæ, non potest velle confirmare in forma specifica, quia iam nec cognitio, nec intentio terminatur in forma specifica ad rem confirmandam. Rursus autem cum intentio operantis non causet manens occulta; sed solum quatenus manifestatur *l. Si repetendi. ff.* De *condit. ob. caus.* & notat Rota *Decis.* 354. *n.* 6. *apud Farinac. par.* 1. *Recent.* nisi in confirmatione explicetur, quod præcesserit cognitio, & intentio in specie circa rem confirmatam, non habetur confirmatio in forma specifica. Clausula autem, *Ex certa scientia*, hoc non explicat, non solum, quia est æquiuoca, & potest referri ad scientiam iuris, & ad scientiam facti; sed etiam, quia non explicat in specie voluntatem principis, & intentionem ipsius, atque adeo nec quid in specie operatur; vnde confirmatio vt pote non explicata in forma specifica, non est in forma specifica.

8 Quod si quis dicat. Hanc clausulam, *Ex certa scientia*, operari, vt habeatur præsumptio informationis in principe, vt latè tradit Alex. *Consil.* 15. *nu.* 2. *lib.* 5. & Rota *apud Farinac. Decis.* 180. *num.* 2. *par.* 1. *Recent.* Resp. obstare huic præsumptioni praxim ipsam, nam talis clausula, & aliæ similes solent de consuetudine apponi, etiam si Princeps non fuerit in specie informatus; sed solum signauerit supplicationem, in qua tamen non continebatur informatio in specie. Hinc cum Sixtus IV. confirmasset priuilegia Minorum cum clausula, *Ex certa scientia*, *Motu proprio*, *Mera voluntate*. & *De nouo concedimus*, Iulius II. *in Bulla*, quæ incipit, *In militantis Ecclesiæ agro* apud Rodriquez *tom.* 1. *Bullar.* respondet, non fuisse confirmata priuilegia, quæ non erant in vsu; fuissent autem confirmata, si Clausula, *Ex certa scientia*, apposita faceret, quod confirmatio esset in forma specifica, nam talis confirmatio restituit priuilegia amissa, cum sit noua concessio. Hinc non habet vim nouæ concessionis huiusmodi Clausula, nisi constet, quod Princeps habuerit plenam notitiam, vt notat Rota *Decis.* 666. *num.* 7. *par.* 1. *Recent. apud Farinac.* & *Decis.* 192. *nu.* 2. *par.* 1. *Recent. apud eundem.* Vnde ad summũ causat præsumptionem informationis, quando confirmatio versatur circa aliquod vnum determinatum, vt notat Farinac. *Clausula* 59. *num.* 54. *in fine*.

9 Deinde, cum possit Princeps esse plenè informatus circa confirmanda, & possit confirmare in forma specifica, quia tamen non semper facit, quicquid potest, non est asserendum, quod confirmauerit in forma specifica, nisi constet de tali confirmatione, quia potest solum confirmare in forma communi, etiam si habeat plenam informationem. Clausula autem, *Ex certa scientia*, non explicat confirmationem in forma specifica, vt dictum est *num.* 7. *in fine*. Hinc est, quod quando confirmatio potest referri ad valida, & inualida, refertur tantum ad valida, etiam si habeat clausulam, *Ex certa scientia* Cap. *Dudum*. De *decimis*. & Cap. 1. ver. Nec *constitutione*. De *his*, *quæ fiunt à maiori par.* Capit. & Cap. 1. *in fine*. De *iureiuran. in* 6. & notant. Butr. *in dict.* Cap. *Dudum. num.* 15. De *decimis*. Alexan. *Consil.* 39. *num.* 10. *vol.* 4. Surdus *Consil.* 47. *num.* 19. Tusch. *Littera C. Conclus.* 340. *num.* 42. Cabedo

Lusit.

Lusit. *decis.* 3. *num*.5. *par*.2. Barbosa *Clausula* 59. *num*.54. Rota *Decis*.11. *nu*.3. *par*.2. *Recent*.

10 Quod si obijciatur, quod, si dicta clausula non causaret effectum confirmationis specificæ, redderentur incertæ omnes confirmationes Pontificiæ præsertim priuilegiorum, nam semper dubitari posset, an examen exactum fuerit, an fuerint cognitæ nullitates &c. Respon. hoc non sequi, si tenor rei confirmatæ fuerit insertus, aut eiusdem substantia, aut saltem princeps declaret, præmisisse debitum examen, & plenè fuisse informatum; nam tunc præsumendum est, quod princeps in confirmando rectè functus sit munere suo, atque præmiserit omnia ea, quæ erant præmittenda; alioquin non rectè exercuisset munus suum, & proinde præsumeretur malus, contra regulam, quod quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus. *l. Merito. ff.* Pro *socio*. & *l. Quoties*. §. *Qui dolo*. *ff.* De *probat.* & Cap. *Dudum*. & Cap. *fin*. De *præsumpt.* & læderetur ius Principis, quod habet apud vnunquemque ad conseruandam bonam opinionem sui ipsius, quod est peccare contra iustitiam.

11 Secundò etiam obijcitur, quod cum Princeps dicat, se procedere *Ex certa scientia*, debet intelligi de scientia facti, non de scientia iuris; nam cum scientia iuris præsumatur in Principe Cap. 1. *De constit. in* 6. Seclusa etiam tali clausula, censeretur procedere ex certa scientia iuris, vnde clausula ista nihil operaretur. Resp. non esse mirum, si non operetur aliquid, cum in ipsa confirmatione non adsit fundamentum debitum, in cuius virtute possit operari: neque enim causa applicata ad operandum operari potest, nisi habeat omnia requisita pro operatione, vnde debet censeri apposita ex consuetudine, & proinde non debere esse in consideratione, vt notant Tiraquel. *in l. Si vnquam. in præfat. nu.* 126. Rota Romana *apud Seraph.* Decis. 16. *n*.1. Gratian. Reg. 428. alios citans. Couarun. *Rubr. de testamen. n*. 14. Fabianus de Pepis *Repet. Authen. Præterea. n*. 56. ver. *Et adde*. C. Vnde *vir. & vxor*. Menoch. *Consil*. 195. *n*.24. Hottoman. *Consil.* 13. & facit *l. fin. C.* De *fideius*. & *l. Quod si nolit*. §. *Quia assidua*. *ff.* De *ædili. edic.* Deinde vt clausula non sit superflua, sufficit, si declaret, quod Princeps procedat ex certa scientia iuris, nam licet hoc præsumatur, solent tamen explicari etiam ea, quæ regulariter solent præsumi; & vt verba non sint superflua, sufficit, si aliquid vel minimum operentur, vt notant Craueta *Consil*. 76. *n*. 29. Becc. *Consil*. 1. *n*. 10. Surd. *Decis*. 36. *num*.19. Macerat. *lib*.2. *Resol*.46. *num*.13.

12 Tertiò obijcitur, si non præsumeretur in Principe scientia, quam profitetur, præsumeretur in mendacio. Aut si non habet, saltem habet voluntatem confusam confirmandi in specie, & sicut est opus. Sed neque hoc subsistit, quia cum talis clausula de stylo apponatur, per ipsam Princeps non profitetur aliquam scientiam. Si verò apponitur de intentione ipsius, exprimitur scientia, quæ debet præsumi in Principe, nempe scientia iuris, non autem, quæ non præsumitur, quæ est scientia facti. Illa autem voluntas confusa confirmandi in specie, & sicut est opus, nihil prodest, nam remanet adhuc confirmatio in forma communi. nam confirmatio in forma specifica debet versari circa rem specificam, certam, & determinatam, & ideo debet fundari in perfecta, determinata, & explicita notitia, quæ si deficiat, non potest voluntas operari confirmationem specificam, nam non potest velle, quod non est in cognitione. Etsi est voluntas confusa, non potest habere nisi effectum confusum, atque adeo confirmationem confusam; confirmatio autem confusa opponitur cum confirmatione specifica. Quia cum causæ, & causati idem sit iudicium. *l. Quamuis*. *ff.* De *Fluminib*. & *l. Etsi amicis*. *ff.* Ad *leg. Iul. de adult.* & *l. Non ideo*. C. De *hæred. instit.* & *l Maritus*. C. De *procuratoribus*. Effectus quoque reputatur secundum naturam causæ, vt notat Bald. *Consil*. 150. *lib*. 5. Tusch. *littera C. Concl*. 138. *n*. 10. & ideo à causa cōfusa nō potest prouenire nisi effectus cōfusus

13 Ex

13 Ex quibus deducitur contra Giunipar. *in Defens. iur. Pontificij disp. 2. quæst. 2. cap. 3. num. 17.* Quod etiam si Pontifex moueatur ad confirmanda priuilegia alicuius Religionis, non ad instantiam alicuius, sed ex amore, & deuotione erga talem religionem, neque adhuc clausula *Ex certa scientia*, sufficeret se sola absque tenore priuilegiorum inserto, aut eorumdem substantia, aut saltem nisi constaret, quod Pontifex procederet cum plena informatione, vt confirmatio esset in forma specifica. Quia est impossibile, quod confirmatio sit in forma specifica, nisi procedat ex cognitione specifica determinata, & explicita rei, quæ confirmatur, non secus ac est impossibile, quod sit volitum, quod non est cognitum; quia non potest facere, quod mente nõ concipit, cum operatio procedat ex scientia; nec potest concipere confirmationem in forma specifica, nisi habeat notitiam in specie, & explicitè illius, quod confirmat. Quod valet, etiam si velit vti suprema potestate, & plenitudine ipsius, quia nec potestas plenissima se extendit ad impossibilia. Rursus etiam si simul adhibeat clausulam, *Motu proprio*, & quaslibet alias quamtumuis prægnantissimas, nam, quæcunque sint tales clausulæ, non operantur vltra intentionem confirmantis; & intentio non operatur vltra id, quod mente concipitur, quia est impossibile, quod intentio sit eorum, quæ non sunt mente concepta, & nemo vult, quod non potest *l. Lucius. §. Imperatores. ff.* Ad *municip.* & *l. Si tibi. §. Vnius. ff.* De *op'. leg.* Et ex his soluta manent, quæ pro se affert Giunipar.

An clausula, Motu proprio, *operetur, quod confirmatio sit in forma specifica, si tenor rei confirmatæ non sit insertus, aut eius substantia &c. Quæst. 108.*

S V M M A.

1 *Clausula*, Motu proprio, *non sufficit, vt cõfirmatio sit in forma specifica.*
1 *Clausula*, Motu proprio, *quid operetur.*
2 *Non operatur circa ea, quæ sunt facti.*
3 *Non operatur, nisi præcedat debita informatio.*
3 *Clausula*, Motu proprio, *quando resoluatur in quandam generalitatem.*
4 *Non supplet defectus substantiales.*
4 *Confirmatio in forma specifica de nouo facit, quod confirmat.*
5 *Clausula*, Motu proprio, *non extenditur vltra expressa.*
6 *Non operatur, quando in informatione tacentur ea, quibus explicatis non moueretur voluntas Principis.*
6 *Motus proprius ex subreptione non est verus motus proprius.*

---

1 NEgatiue respon. est, quia ad hunc effectum est minoris efficaciæ, quam sit Clausula, *Ex certa scientia*. imo nullius. quia clausula, *Motu proprio*, excludit solum instantiam partis, & declarat, quod Princeps sponte à seipso procedat. Cap. *Si motu proprio.* De *præben. in 6.* & notant Gram. *Decis. 605. num. 31.* Menoch. *Consil. 255. num. 40.* Glorit. *Resp. 1. par. 2. num. 56.* vnde habet locum tàm in confirmatione in forma specifica, quàm in confirmatione in forma communi, cum vtraque ex spontanea volũtate Principis possit procedere; nec explicat, quod ipse procedat cum plena, determinata, & explicita informatione. *l. Fideicommissa. §. Si seruo. 2. ff.* De *legat.* 3 Bald. *ibid.* Milis *in Repertor.* verbo, *Gratia non potest dici subrept.* Paris. *Consil. 1. num. 77. vol. 1.* Rota *in Nouissim. Decis. 332.* Vnde; nisi confirmatio aliunde habeat formam specificã, vt quia tenor rei confirmatæ inseratur, aut ex alio capite, nec etiam habebit ex vi huius clausulæ.

2 Desumitur autem ex ijs, qui tradunt, quod huiusmodi clausula non operatur circa ea, quæ sunt facti, vt inter alios Craueta *Consil. 241.* Rolan. *Consil. 7. num. 105. vol. 3.* Paris. *Consil. 1. n. 81. vol. 1.* & *Consil. 4. num. 28.* & *Consil. 74. num. 19. vol. 4.* Marta *De clausul. par. 1. clausula 73. num. 11.* vbi alios citat, Seraph.

raph. *Decis.365. num.6.* Socin Iun. *Consil.76. num. 126. lib. 1.* Menoch. *Consil.1. num.432.* Quia cum importet solam spontaneam Principis voluntatem, non potest operari, nisi iuxta cognitionem, quam habet; in Principe autem non præsumitur notitia facti, nisi aliunde de ipsa constet, sed solum notitia iuris. Cap. 1. *De const.t. in 6.*

3 Imo cum in confirmatione non sit insertus tenor r.i confirmatæ, nec aliunde constet, quod Princeps habuerit plenam notitiam circa confirmanda, censetur adhibita absque cognitione causæ, seu absque præmissa debita inquisitione, & informatione, & tunc nihil operatur, vt resoluunt Paris. *Consil. 4. num. 33. lib. 2.* alios citans. Grammat. *Decis.66. num.38.* Vantius *De nullit.* Tit. *An qualib. sent. nul. dici poss. num. 18.* Zasius *Consil. 10. num. 30. lib. 2.* Menoch. *Consil.1. num.433.* nam tunc non stat cũ sua specialitate, & vi propria; sed resoluitur in quandam generalitatem voluntatis Principis; quia verba non operantur, nisi secundum mensuram intentionis, & intentio est secundum mensuram cognitionis: & ideo voluntas procedens sine præuia informatione explicita, procedit confuso modo, & cum quadam generalitate, & consequenter Clausulæ additæ in virtute talis voluntatis, quamuis habeant specialem vim operandi, illam non obtinent, sed resoluuntur in quandam generalitatem correspondentem voluntati.

4 Et facit etiam, quod clausula, *Motu proprio*, non supplet defectus substantiales, vt tradunt Marta *De clausulis p. 1. claus.73. num. 15.* Suarez *allegat. 12. n.42.* Riciul. *lib. 4. De iure personar. Cap.6. n.8.* Gabr. *lib. 6. Commun. opin. tit. De claus. conclus. 2. num.44. & sequent.* Io. Andr. *in Cap. Si motu proprio.* De *præbend. in 6.* Rota *Decis.71. De rescrip. in Antiquis.* Et ideo non sufficit, vt confirmatio sit in forma specifica, nam confirmatio in forma specifica conualidat nullitates facti, quia terminatur ad rem confirmatam in specie, & habet vim nouæ institutionis tamquam si actus de nouo fieret, vt notant Curt. iun. *Consil.77. n.105. lib. 1.* Rolan. à Valle *Consil.7. num. 105. lib.3.* Natta. *Consil.39. lib.1.* Seraph. *Decis.1575.*

5 Ex quibus deducitur, quod si in aliqua confirmatione aliqua exprimantur ex confirmatis, & in specie recenseantur, & deinde confirmatio extendatur ad omnia alia, & singula cum clausulis pregnantibus, clausula tamen, *Motu proprio*, non se extendet ad ipsa, sed tantum ad ea, quæ sunt in specie recensita, & vltra ipsa nihil operabitur, vt tenuit Rota *in Oximen. si pensionis. 20. Maij. 1598. coram Litta.* Quia cum sit clausula specialis expressionis, nõ excedet spheram eorum, quæ à Principe speciali modo exprimuntur.

6 Deducitur etiam, quod si in informatione Principis pro obtinenda cõfirmatione non exponantur ea, quæ si exponerentur, non moueretur Princeps ad confirmandum, vt essent, quæ vergunt aliquo modo in præiudicium Principis, aut etiam in præiudicium tertij, aut quæ sunt insolita, & difficilis cõcessionis, ita vt in specie non esset verisimiliter concessurus, tunc dicta clausula nihil operabitur, vt docent Panorm. *in Cap. Quia circa.* De *consanguin. & affinit.* & *in Cap. Ad aures. num.5.* De *rescrip.* allegans Glossam, & Io. Andream. Suarez *lib.8. De legib. Cap.12. num.16.* Merol. *tom.3. Theol. Moral. disp.6. cap.2. num.89.* nam tunc Motus proprius Principis non est verus motus proprius, cum oriatur ex subreptione propter taciturnitatem eorum, quæ essent exprimenda, per ea, quæ tradunt Lapus *Allegat. 89.* Dec. *in Cap. Postulasti. num.11. notab.4.* Beroius *in Cap. Super litteris. num.55. & 73. in 2. lect.* De *rescrip.* Paris. *Consil.4. n.35. vol.4.* Couaruu. *lib.1. Variar Cap.20. n.5.* ver. *Falsitas vero.* Menoch. *lib. 2. De arbitr. Centur.3. Casu 201. num. 30.* Syluester *verbo*, Rescriptum. *quæst.6.*

An

An clausula, Supplentes omnes defectus &c. *operetur, vt Confirmatio sit in forma specifica, & sanet defectus, quos talis Confirmatio sanaret. Quæst.* 109.

S V M M A.

1 *Clausula*, Supplentes omnes defectus, *non facit, quod confirmatio sit in forma specifica*.
1 *Non inducit certam scientiam*.
2 *Non supplet defectus substantiales*.
3 *Nec etiam alios ignoratos*.
4 *Non se extendit ad ea, quæ sunt contra ius commune*.
4 *Nunquam intelligitur aliquid concessum contra ius commune, nisi exprimatur*.
5 *Clausula*, Supplentes omnes defectus &c. *non supplet defectus, quibus actus redditur nullus*.

1 NON sufficere clausulam, *Supplentes omnes defectus, &c.* ad sanandos defectus, quos sanaret confirmatio in forma specifica, tenendum est tanquam certum, & proinde non efficere, quod confirmatio habeat vim confirmationis specificæ. Neque enim talis clausula inducit certam scientiam, vt tenuit Rota *in Abulensi iurisdictionis. Die* 22. *Ianuar.* 1588. *coram Orano*. Mantica *Decis.* 222. *num.* 3. ver. *Non obstant.* Vbi autem in Principe non est certa scientia, nec etiam potest ab ipso prouenire confirmatio in forma specifica.

2 Vnde in virtute talis clausulæ, nō supplentur defectus substantiales, vt tradunt Hostiens *in Cap.* 1. De *transact.* Felin. *in Cap.* 2. ver. *Et pro dicto.* De *rescriptis*. Andr. *in Clement. Pastoralis.* ver. *Cæterùm*. De *re iudic.* Paris. *Consil.* 11. *num.* 88. *vol.* 1. & *Consil.* 45. *num.* 42. *vol.* 3. Marta *par.* 1. *Clauf.* 181. *num.* 9. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 8. *ar.* 15. Dec. *Consil.* 14. *num.* 9. Redoan. *De reb. Eccles. non alienan. Rubr. De casu incommod. num.* 75. *& sequent.* Maceraten. *lib.* 1. *Resol. Variar. Resol.* 5. *num.* 30. & ideo in confirmatione non operatur, vt suppleantur defectus substantiales facti, quemadmodum deberent suppleri, si faceret, quod confirmatio esset in forma specifica.

3 Imo nec etiam supplet quoscunque alios defectus ignoratos à Principe, etiam si sint iuris positiui, vt tradunt Alexan. *Consil.* 52. *in fine. lib.* 7. Ferret. *Consil.* 32. *num.* 54. Marta *De clauf. par.* 1. *Clausa* 31. *num.* 3. *&* 4. Tusch. *Littera C. Conclus.* 343. *num.* 13. *&* 14. Moneta *De commut. vlt. volunt. cap.* 7. *num.* 158. *in fine*. Garzias *par.* 2. *De Benef. num.* 234. afferens duas Decisiones Rotæ. Paris. *Consil.* 1. *num.* 89. *vol.* 1. Quia generaliter verum est, quod intentio non potest ferri in incognitum; & ideo non potest Princeps velle supplere defectus, quos ignorat.

4 Hinc, si in priuilegijs, aut statutis confirmatis contineatur aliquid contra ius commune, per clausulam, *Supplentes omnes defectus &c.* non sanatur, quia nunquam intelligitur aliquid concessum contra ius commune, nisi specialiter exprimatur, vt notant Io. Andr. *Cap. vnico. De excessib. Prælat.* Ancharan. Geminian. *ibid.* Abbas *in Cap. Examinata. num.* 6. De *consti. vtili, vel inut.* Felin. *in Cap. Nonnulli. num.* 32. De *rescrip.* Alexan. *in l. Quamquam. num.* 2. C. De *testam. milit.* Mantica *Decis.* 222. *num.* 2. Quia non est verisimile, quod Princeps de facili tollat legem diu excogitatam. *l. Si quando. init.* C. De *inoffic. testam.* ibi *Neque enim credendum est, Romanum Principem, qui iura tuetur, huiusmodi verbo totam obseruationem testamentorum multis vigilijs excogitatam, atque inuentam velle euerti.* & notant Vitalin. *tract. De clausul.* verbo. *In clausula generali.* Cochier. *De iurisdict. Ordinar. in exemp. par.* 3. *quæst.* 9. *num.* 2.

5 Rursus etiam deducitur, quod si statuta eccedant facultatem statuentiū, &

& proinde ſint nulla, quod nõ conualidentur per dictam clauſulam, *Supplentes defectus omnes &c.* quia non ſupplet defectus, quibus actus redditur nullus, vt teneat Hoſtiens. *in Cap.* 1. De *tranſact.* Felin. *in Cap.* 2. *num.* 42. De *reſcrip.* Speculat. *Tit. De legat.* §. *Nunc oſtendendum.* Io.Andr. *in dict. cap.* 2. De *Reſcrip.* Moneta *de commut. vlt. volunt. cap.* 7. *n.* 159. Hæc enim clauſula ſupplet defectus rei, non autem rem ipſam, & ideo ſupponit ſubſtantiam, circa quam operetur ſuum effectum. Quando autem actus eſt nullus, corruit ſubſtantia ipſius, nec adſunt defectus, qui ſuppleantur, cum nec adſit actus ipſe.

An clauſula, Quorum tenores pro expreſſis habeantur, ac ſi de verbo ad verbum eſſent inſerti, *operetur circa ea, quæ ſunt facti, & non in ſpecie expreſſa, & faciat, quod confirmatio ſit in forma ſpecifica. Quæſt.* 110.

S V M M A.

1 *Clauſula,* Quorum tenores &c. *non multum ſolet attendi.*
2 *Vis eius in derogatione conſiſtit.*
2 *Cur inuenta.*
2 *Importat expreſſionem eorum, quæ poſſent obſtare.*
3 *Circa ea, quæ ſunt facti nihil operatur etiam ſi coniungatur cum alijs clauſulis.*
4 *Niſi inſeratur ſubſtantia rei, cuius tenor habetur pro expreſſo.*
5 *Quæ ſunt facti præſumuntur ignorari.*
5 *Clauſula,* Quorum tenor &c. *non inducit certam ſcientiam.*
6 *Non facit, quod confirmatio ſit in forma ſpecifica.*
7 *Etiam ſi exprimatur, quod confirmantur omnia, & ſingula, omnes partes, articuli omnes &c.*
7 *Clauſula,* Quorum tenor &c. *non ſupplet defectum intentionis.*
8 *Non operatur, quando confirmatio fundatur in relatione eorum, quibus eſt commiſſa examinatio.*
8 *Non operatur quò ad narrata relatiuè, ſed tantum quò ad narrata per ſe.*

1 HAnc clauſulam non multum attendi, tradunt Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel. gloſſ.* 36. *num.* 13. Ioſeph Seſſe *Deciſ. Arragon.* 97. *num.* 19. quia nimirum ſolet apponi à Copiſtis in extenſione minutarum ſupplicationum; & proinde non de expreſſa voluntate Principis; Vnde non eſſe magni faciendum, notant Dec. *Conſi.* 165. *n.* 2. Ver. *Eſt hoc idem.* Paris. *Conſil.* 42. *num.* 22. *lib.* 4. Gozadin. *Conſil.* 9. *num.* 27. Couaruu. *in Rubr. De teſtam. par.* 2. *num.* 20. *init.*

2 Eius tamen vis in derogatione conſiſtit eorum, quæ voluntati Principis diſponentis poſſent obſtare; nam eſt inuenta, vt ſit via certa, qua poſſit Pontifex derogare gratijs præcedentibus; cum ſit impoſſibile, aut quod omnium reminiſcatur, aut ſcire poſſit omnia, quæ obſtant; alioquin eſſet impoſſibile, quod poſſet Pontifex exercere ſuam auctoritatem circa ea, quæ ipſius poteſtati ſubduntur, nam ab ignoratione impediretur. & ita notant Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancellar. num.* 29. Puteus *Deciſ.* 104. *lib.* 1. Ludouiſ. *Deciſ.* 109. *num.* 3. & *Deciſ.* 240. *num.* 2. Rota *Deciſ.* 213. *init. par.* 1. & *Deciſ.* 161. *num.* 1. *par.* 2. & *Deciſ.* 682. *num.* 3. *par.* 3. *Recentior.* Hinc ex ſui natura operatur expreſſionem eorum, quæ poſſent obſtare, vt notant Butrius *Conſi.* 2. *n.* 4. Geminian. *Conſi.* 65. *num.* 28. Seraphin. *Deciſ.* 510. *num.* 6. Rota *in Sabinenſi Caſtri Montis Rotundi.* 8. *Febr.* 1627. *coram Coccino.*

3 Ex hoc autem fit, quod, quando extenditur ad ea, quæ ſunt facti, & non amplius exercet vim ſuam in derogando, perdat efficaciam ſuam, quam ſolum habet in ijs, quæ ſunt iuris, & nihil operetur, vt docent Maluas. *Conſi.* 1. *n.* 42. addens, nihil operari, etiam ſi coniungatur cum alijs Clauſulis, *Motu proprio*,

Certa

Certa scientia, De plenitudine potestatis &c. Tusch. *Littera C. Conclus.* 350. *num.* 9. confirmans hoc ex Rotæ Decisionibus, & *num.* 10. idem addens de coniunctione cum alijs clausulis. Quia, quæ sunt facti, præsumuntur ignorari à Principe, & ideo non potest aliquid circa ipsa disponere, nisi exprimat.

4 Quare, vt operetur circa ea, quæ sunt facti, requiritur, quod constet, præcessisse plenam informationem, & quod inseratur tota substantia rei, cuius tenor habetur pro expresso, vt docent Dec. *Consil.* 142. Ferret. *Consil.* 38. *num.* 2. Veral. *Decis.* 121. *par.* 1. Lotter. *De re benef. lib.* 1. *quæst.* 25. *num.* 39. Marta *De claus. par.* 1. *Claus.* 139. *num.* 4. Riccius *in praxi Resol.* 368. *num.* 1. & 2. *par.* 2. & tenet passim Rota, & latè *in Toletan. annotat.* 25. *Ianuar.* 1589. *coram Orano.* in *Valentina Decimar.* 28. *Nouemb.* 1603. *coram Lancellotto par.* 4. *Recentior.* in *Romana Fideicommissi De Vecchijs.* 28. *Iun.* 1604. *coram Litta*, quæ est *Decis.* 128. *tom.* 3. *Select. apud Farinac.* & *in Toletana Decimar.* 26. *Nouemb.* 1605. *coram Iusto*.

5 Quæ enim sunt facti præsumuntur ignorari. Cap. *Præsumitur.* De *reg. iur. in* 6. & notat Glos *in l. Verius ff.* De *probat.* Et econtra talis clausula non inducit causæ cognitionem, nec informationem facti, & ideo non potest Princeps velle habere pro expresso, quod ignorat, cũ voluntas non feratur in incognitum. Et proinde talem clausulam non inducere, nec arguere certam scientiam, notant Rota *in Abulensi iurisdictionis. die* 22. *Ianuarij* 1588. *coram Orano.* & in *Toletana administrationis.* 17. *Iunij* 1609. *coram Pamphilio*, & in *Clomacensi*, & *Ferrariensi Præpositura.* 15. *Decembris* 1625. *coram Remboldo.* & in *Calciatens. iurisdictionis* 16. *Ianuarij* 1587. *coram Rubeo.* & in *Romana Secretariatus.* 10. *April.* 1592. *coram Seraphino.* & notant Ferret. *Consil.* 38. *num.* 2. & *seq. lib.* 1. Marta *De claus. par.* 1. *claus.* 139. *num.* 4. Mantica *Decis.* 222. *n.* 3. ver. *Non obstant.* nisi narretur substantia rei confirmatæ, aut derogatæ.

6 Ex his ergo habetur resolutio difficultatis propositæ. Non sufficere clausulam, *Quorum tenor habeatur pro expresso, ac si de verbo ad verbum &c.* vt confirmatio sit in forma specifica, & censeantur omnia in specie confirmata, siue statuta, siue priuilegia &c. nisi substantia rei confirmatæ sit inserta in ipsa confirmatione. Neque enim talis clausula operatur circa ea, quæ sunt facti, nisi constet, quod præcesserit plena informatio, vt dictum est, neque inducit certam scientiam, de qua ex lectura Bullarum, & tenoris ipsius cõfirmationis constare debet, vt in simili arguit Rota *Decis.* 666. *num.* 8. *tom.* 2. *Selectar. apud Farinac.* Quod locum habet etiam si cũ clausula, *Quorum tenor &c.* coniungatur clausula, *Ex certa scientia*, Quia non operantur in ijs, quæ consistunt in facto; & de quibus non constat, Principem habuisse notitiam, vt dixit Rota *in Mediolanensi Fructuum.* 24. *Aprilis* 1592. *coram Blancheto.*

7 Ex quibus deducitur, quod si in confirmatione dicatur, quod cõfirmantur Statuta, Constitutiones, Priuilegia, partes omnes, singuli articuli, & quicquid ipsa concernunt, & addatur clausula, *Quorum tenor pro expresso habeatur, ac si de verbo ad verbũ esset insertus.* adhuc confirmatio erit in forma communi, quia non inseritur substantia rei confirmatæ, & expressio illa singularum partium, articulorum &c. est confusa, cum nihil certi exprimat; vnde nec Princeps ostendit, se habere intentionem determinatam, vt opus esset pro confirmatione in forma specifica; quia cum intentio non feratur in incognitum, non potest velle confirmare in specie, & determinatè quicquid in singulis partibus, & articulis continetur, nisi de ipso in specie habeat explicitam cognitionem, nec declarare, se confirmare, nisi declaret, se habere; quo secluso dicta clausula nihil operatur, quia non supplet defectum intentionis, vt tradunt Paris. *Consil.* 74. *num.* 55. *lib.* 4. Rota *in Ostiensi Affictus.* 23. *Maij* 1614. *coram Patriarcha Pamphilio.* & ideo nihil operatur circa nõ expressa, vt notant Decius *Consil.* 142. ver. *Non obstat.* Anton. Gabr. *Commun.*

concluſ. lib. 6. Tit. De clauſulis concluſ. 5. num. 17. Rota in Valent. Decimarum. 28. Nouemb. 1603. coram Lancelloto iun. quia circa ipſa non præſumitur intentio Principis, vtpote ignorata.

8 Secundò deducitur. Quod ſi Princeps committat examinanda, quæ confirmanda ſunt, & poſtea ex relatione confirmet abſque eo, quod inſerat in confirmatione ſubſtantiam rei confirmatæ, cum clauſula, *Quorum tenor pro expreſſo habeatur, ac ſi de verbo ad verbum &c.* talis clauſula nihil operabitur, quia non habet efficaciam circa narrata ex relatione aliorum, ſed tantum quò ad narrata per ſe, vt tradunt Angel. *in l. Sed & ſi quis. §. Quæſitum.* ver. *Item dicas. ff. Si quis caut.* Fulgoſ. *ibid.* ver. *Dubitat Angelus.* Iaſ. ver. *Limitat tamen Angelus.* Dec. *Conſil.* 141. ver. *Non obſtat clauſula.* Ripa *in Cap.* 1. *num.* 8. De *reſcript.* Gabr. *lib. 6. Commun. Concluſ. Tit. de clauſulis concluſ.* 5. *num.* 40. Giunipar. *in Defenſ. iur. Pontif. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *cap.* 2. *num.* 28. Tunc enim Princeps non habet certam, & explicitam cognitionem tenoris, qui pro expreſſo habetur, ſed ſolum obſcuram, & fundatam in aliena atteſtatione, per quam non innoteſcit tenor rei confirmandæ, ſed ad ſummum ſola ſubſtantia, & ideo non poteſt intentio ipſius ferri in ipſum tenorem, cum ſit illi ignotus; atque adeo nec facere, quod habeatur pro expreſſo.

An clauſula, De plenitudine poteſtatis, *operetur, quod confirmatio ſit in forma ſpecifica. Quæſt.* 111.

SVMMA.

1 *Plenitudo poteſtatis eſt idem cum abſoluta poteſtate.*
1 *Princeps non ſolet vti clauſula,* De plenitudine poteſtatis, *niſi ſit plenè informatus.*
2 *Vnde colligatur, quod ſoleat adhiberi etiã abſque plena informatione.*
3 *Clauſula,* De plenitudine poteſtatis, *non operatur, vt confirmatio ſit in forma ſpecifica.*
3 *Non inducit certam ſcientiam.*
4 *Non operatur circa ea, quæ ſunt facti, niſi conſtet de plena informatione.*
4 *Abſoluta poteſtas eſt exercenda intra terminos rationis.*
4 *Princeps non poteſt rationabiliter exercere ſuam poteſtatem circa ignorata.*
5 *Clauſula,* De plenitudine poteſtatis, *nihil operatur circa non expreſſa.*
5 *Neque, ſi ſtatus cauſæ non fuerit explicatus.*
6 *Neque, ſi Princeps non cognoſcat, quod potentia ordinaria non ſufficit.*
7 *Quid ſi Princeps velit, quod operetur totum, quod poteſt, circa confirmata, & non habeat explicitam cognitionem?*
8 *Clauſulæ non plus operantur ſimul iunctæ, quàm ſingulæ ſeorſim.*

1 Videtur affirmatiue reſpondendum. Quia, dum Princeps vtitur plenitudine poteſtatis, cenſetur facere, quicquid in illo negocio facere poteſt; quia plenitudo poteſtatis eſt idem cum abſoluta poteſtate, vt notant Natta *Conſil.* 512. *num.* 19. Menoch. *lib.* 2. *præſump.* 12. *num.* 2. *iuncto num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 15. *num.* 3. *init.* Moneta *de commut. vltimar. volunt. num.* 115. Rurſus etiam interuenit certa ſcientia, quia Princeps non ſolet vti tali clauſula, niſi fuerit plenè de negocio informatus, vt notant Aretin. *Conſil.* 163. *num.* 13. Felin. *in Cap. Quæ in Eccleſiarum. num.* 66. ver. *Sexto limita.* De *conſtit.* Ferret. *Conſil.* 31. *num.* 31. *vol.* 1. Molina *De primogenit. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 26. *& ſequen.* Marta De *clauſulis par.* 1. *Clauſ.* 259. *num.* 13. *&* 14. Tuſc. *Littera C. concluſ.* 242. quos cũ aliis citat, & ſequitur Solorzanus *tom.* 1. *De iure Indiar. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 106. quorum tamen nonnullos malè citat. Vnde cum interueniat potẽtia, & ſcientia delita, reſultabit confirmatio in forma ſpecifica.

2 Quia tamen Doctores etiam ex citatis adhibent limitationes, quibus ex-

cludunt

cludunt efficaciam dictæ clausulæ ex defectu scientiæ, & informationis in Principe, ideo fatendum est, quod Princeps soleat vti tali clausula aliquando, etiam si non sit plenè informatus, & quod proinde ex appositione ipsius non resultet præsumptio certæ scientiæ, & plenæ informationis. Et quod doctrina allegatorum Doctorum sit intelligēda, quod Princeps non vtatur tali clausula, nisi plenè informatus, quando illam adhibet cum speciali deliberatione, & speciali modo intendens effectum efficaciæ ipsius; non autem, quando illam adhibet ex quadam consuetudine, & absque speciali reflexione ad illius efficaciam. prout ex tenore dispositionis ipsius colligi potest. nam si ostendat plenam informationem circa negocium, de quo disponit, & enixam voluntatem; tunc talis clausula censenda est adhibita cum speciali reflexione: secus autem, si non ostendat.

3 Hinc negatiua sententia tenenda est, nimirum talem clausulam non sufficere, vt confirmatio sit in forma specifica, nisi sit insertus tenor rei confirmatæ, aut ex ipsa confirmatione colligatur, quod Princeps plenè informatus fuerit de negocio, de quo agitur. Talis namque clausula non inducit plenam, & perfectam cognitionem rei, de qua agitur, & consequenter neque explicitam, & determinatam intentionem, qua velit in specie confirmare. vnde cum non possit fieri, quod ignorans concedat, vel concessum confirmet, siquidem deficit consensus *l. Mater decedens. C. De inofficioso testam.* qui non potest tendere in ignotum, non possunt esse in specie confirmata, quæ in specie non sunt cognita.

4 Et proinde talem clausulam non operari circa ea, quæ sunt facti, nisi ea vtens plenè de negocio, super quo ea vtitur, informatus fuerit, docent Craueta *Consil.* 241. ver. *Quarto respondeo.* Socin. sen. *Consil.* 120. ver. *Resp. etiam lib.* 3. Dec. *Consil.* 198. Brunus *Consil.* 87. *num.* 23. Bald. *in l. Eos. init. C.* De appellat. Abbas *in Cap. Ad hæc.* De rescriptis. Felin. *in Cap. Cum inter.* ver. *Vnum autem.* & ver. *Intellige.* De exception. Paris. *Consil.* 1. *num.* 85. *vol.* 1. Rolan. *Consil.* 7. *num.* 106. *lib.* 3. Menoch. *Consil.* 1. *num.* 426. Rodolphin. *De suprema, & absoluta Princip. potest. cap.* 6. *num.* 2. Marta *De clausulis. par.* 1. *Clausf.* 259. *num.* 14. Neque enim potest Princeps absolutam suam, & plenam potestatem exercere, nisi rationabiliter exerceat, quia omnis potestas inclusa est intra terminos rationis *l. Sed de pecunia. §. Quo senatusconsulto. ff. De vsufruct. ear. rer. quæ vsu consum.* & *l. Reprehendenda. C.* De *instit. & subst.* &c. Cap. *Sunt quædam.* 25. *quæst.* 1. Non potest autē rationabiliter velle suam exercere potestatem absolutam circa ignorata, nam non habet rationem dictantem, esse rationabile, quod est facturus, cum, quod absolutè in specie non cognoscitur, nec etiam vt rationabile cognosci possit.

5 Hinc est, quod dicta clausula, nihil operatur circa non expressa, vt notant Alexan. *Consil.* 195. *lib.* 2. Tusch. *Littera C. Conclus.* 342. *num.* 10. & consequenter neque si status causæ non fuerit explicatus, vt tradunt Germon. *De Indult. Cardinal. verbo.* Nos itaque. *n.* 40. Io. Cochier. *ad Reg.* 20. *Cancel. De non impetr. benef. viuent. num.* 27. Quia præsupposita ignorantia, non potest circa ignorata plenitudo potestatis applicari ad operandos suos effectus.

6 Accedit etiam, quod, vt valeat clausula *De plenitudine potestatis*, debet Princeps cognoscere, se non posse facere, quod facit, de potestate ordinaria, vt docent Castrens. *Consil.* 414. ver. *Secundus casus est. lib.* 1. Craueta *De antiq. tempor. par.* 1. *princip. par.* 2. *n.* 43. Menoch. *Consil.* 2. *num.* 147. Vsus enim plenitudinis potentiæ est remedium extraordinarium, quod non solet adhiberi, nisi quando est necessarium; & proinde quando non sufficit potentia ordinaria. Non potest autem princeps cognoscere, quod non sufficiat potentia ordinaria, nisi habeat plenam, & explicitam informationem rei, de qua agitur.

7 Quod si Princeps vtatur dicta clau-

clausula, *De plenitudine potestatis*; volens, quod confirmatio operetur totum, quod potest operari in virtute absolutæ potestatis, & nihilominus non habeat explicitam, & plenam notitiam confirmatorum, non per hoc confirmatio egreditur terminos confirmationis in forma communi, quia plenitudo potestatis applicatur ad operandum confuso modo, nec potest operari vltra intentionem confirmantis, à qua dependet omnis eius effectus; & cum intentio sit confusa, & in communi, quia non potest esse magis explicita, quàm sit scientia, & notitia, ex qua procedit, operatur solum in confuso, & in communi; & proinde causat solum confirmationẽ in forma communi.

8 Et quod dictum est, debet intelligi, etiam si cum dicta clausula coniungantur aliæ clausulæ, quæ solent apponi, etiam si prægnantes sint, quia non plus operantur simul positæ, quàm singulæ seorsim, ita vt ex coniunctione non consurgat maior efficacia, vt docent Bald. *Consil.* 345. *lib.* 1. Craueta *Consil.* 241. ver. *Postremo ad multiplicationem*. Socin. iun. *Consil.* 77. *num.* 105. *lib.* 1. Menoch. *Consil.* 36. *num.* 63. Maluasia *Consil.* 1. *n.* 42. Tusch. *littera C. Conclus.* 350. *num.* 10. Rota *in Mediolanensi Fructuum.* 24. *Aprilis.* 1592. *coram Blanchetto*. Quia cum quælibet habeat suam specialem vim diuersam ab alia, operantur tantum singulæ suos speciales effectus, non autem vniuntur ad causandum aliquem maiorem effectum; nec vis vnius auget efficaciam alterius, quia causæ diuersæ, & totales in suo ordine nec vniuntur ad causandos maiores effectus, nec virtus vnius, vtpote diuersa, auget vim alterius in ordine ad eiusdem effectum, cum non possit aliter operari, ac habeat virtutem ad operandum.

An quando in confirmatione aliqua explicantur secundum substantiam, & aliqua tantum in communi, sit in forma specifica, quò ad omnia, si adhibeantur clausulæ, Ex certa scientia, Motu proprio &c. *Quæst.* 112.

SVMMA.

1 *Confirmatio, in qua aliqua in specie recensentur, alia non, est in forma specifica solum quò ad recensita in specie.*
2 *Confirmatio vt in forma specifica refertur tantum ad explicata in specie.*
3 *Modus diuersimodè procedendi quò ad diuersa arguit diuersam intentionem.*
3 *Expressio aliquorum in confirmatione est exclusio aliorum à forma specifica confirmationis.*
3 *Quæ possunt exprimi, & non exprimuntur, habentur pro exclusis.*
4 *Ommissum censetur denegatum.*
4 *Confirmatio in forma specifica fundatur in explicita, & certa scientia.*
5 *Omnis dispositio recipit restrictionem de habilitate.*
5 *Quæ non explicantur in specie à Principe aliqua alia in specie explicante, non sunt habilia confirmari in forma specifica.*

---

1 Confirmat Pontifex aliqua statuta, & Constitutiones, seu Priuilegia, & in confirmatione recenset in speciali aliqua ex ipsis, eorum substantiam explicando; deinde reliqua confirmat omnia, & singula secundum omnes partes, articulos &c. & adhibet clausulas, *Motu proprio. Ex certa scientia &c.* non tamen ipsa recenset secundum substantiam, quæritur, an confirmatio sit in forma specifica respectu omnium, an verò solum respectu eorum, quorum tenor secundum substantiam est insertus. Et respondendum est, Esse solum

in

in forma ſpecifica reſpectu eorum, quorum ſubſtantia eſt expreſſa in ipſa confirmatione: & proinde eandem confirmationē eſſe in forma ſpecifica reſpectu aliquorum, & in forma communi reſpectu aliorum. & ita tenet etiam Giunipar. *in Defenſ. iur. Pontiſ. diſp.2.quæſt.4. cap.2. num.16. & ſequentib.*

2 Ratio autem eſt, quia Clauſula, *Ex certa ſcientia*, & aliæ huiuſmodi non ſufficiunt de ſe, vt confirmatio ſit in forma ſpecifica, niſi tenor, aut ſubſtantia rei confirmatæ ſit inſertus in confirmatione, vt dictum eſt *Quæſt.* 107. *n.*2. Vnde cum ſolum aliquorum priuilegiorum, ſeu ſtatutorum, & Conſtitutionum, ſit inſertus tenor, & ſubſtantia, ſolum reſpectu illorum operabitur dicta clauſula; & ad ipſa ſola erit referenda, quia cum Princeps oſtendat certam ſciētiam ſolum reſpectu expreſſorum in ſpecie, dicta clauſula ad ea ſolum poteſt referri, quorum apparet, Principem habuiſſe certam ſcientiam.

3 Quod amplius confirmatur. Princeps in tali confirmatione procedit diſcretiuo modo ſecernens aliqua, quæ in ſpecie recenſet ſecundum ſubſtantiam, & aliqua, quæ tantum in communi confirmat abſque eo, quod ea explicet in ſpeciali ſecundum ſubſtantiam. Modus autem iſte diſcretiuus declarat, quod Princeps habeat diuerſam intentionem reſpectu expreſſorum in ſpecie, ac reſpectu non expreſſorum; atque adeo quod illa velit confirmare in ſpecifica forma, hæc verò ſolum in forma communi; ſiquidem illa includit ſub modo confirmationis, qui trahit ſecum confirmationem in forma ſpecifica, hæc autem non includit: vnde cum includat aliqua ſub tenore confirmationis, qui eſt proprius confirmationis ſpecificæ, cenſetur alia excludere ab illo modo confirmationis, quia incluſio vnius eſt excluſio alterius *l. Cum Prætor. init. ff.* De *iudic.* & *l. Cum maritus.* C. De *procuratorib.* & *l. Ait prætor. §. Sed quod. ff.* De *minorib.* & Cap. *Nonne*. De *præſcript.* Quin ſi omnia voluiſſet in forma ſpecifica confirmare, omnia recenſuiſſet ſecundum ſubſtantiam, ſicut recenſuit cœtera. iuxta regulam *l. vnicæ. §. Sin autem ad deſitientis.* C. De *caducit. tollen.* & notant Paris. *Conſil.* 38. *num.* 27. *lib.*2. Curt. iun. *Conſil.* 33. *in fine*. Tiraquel. *l. Si vnquam. verbo.* Libertus. *num.*3. C. De *reuoc. donat.* Alexander. *Conſil.* 94. *lib.*2. Craueta. *Conſil.* 62. *num.*14. Menoch. *Conſil.* 250. *num.*63.

4 Rurſus. Vel omnia fuerunt in ſpecie explicata Principi, vel non, ſed ea ſolum, quorum ſubſtantiam recenſet. Si primum. ergo, cum aliqua tantum ex explicatis recenſeat in ſpecie, ea ſolum cenſetur in forma ſpecifica cōfirmare, cum cœtera ommittat recenſere, nam ommiſſum cenſetur denegatum, vt docent Ripa *in l. Qui Romæ. §. Duo fratres. ff.* De *verbor. obligat.* Caſtrenſ. *ibidem*. Surdus *Deciſ.* 69. *num.*5. Eſcobar. *De ratiocinijs. cap.* 33. *num.*4. Craueta *Conſil.*320. *init.* Si verò non fuerunt omnia in ſpecie explicata, non poſſunt eſſe confirmata ex certa ſcientia, & in forma ſpecifica; quia confirmatio in forma ſpecifica fundatur in plena, & perfecta notitia, quæ attingat omnes circonſtantias, vt tradunt Gloſ. *in Cap. Ad hæc.* De *reſcriptis*. Abbas *ibid. num.*73. Dec. *num.*14. Felin. *in Cap. Nonnulli.* De *reſcrip.* Innocent. *in Cap.*1. De *tranſlat.* Paris. *Conſil.*3. *num.* 46. *lib.*4. Molina *De primogenit. lib.* 2. *num.*2. 8. & 9. alios citans, & communiter.

5 Denique cum omnis diſpoſitio recipiat reſtrictionem de habilitate, vt notant Bar. *Authen. De nuptijs. num.*3. *Collat.*4. Craueta *Conſil.*307. *num.*2. Bald. *Conſil.* 207. *num.* 3. *lib.*2. & *Conſil.* 424. *lib.*5. Angel. *Conſil.*333. Tuſch. *Littera D. Concluſ.* 505. Macerat. *Variar. reſolut. lib.*2. *Reſol.*40. *num.*5. & 6. ita vt extendatur ſolum ad habilia, eo ipſo quod in aliqua confirmatione aliqua recenſentur in ſpecie ſaltem ſecundum ſubſtantiam, & aliqua non recenſentur, debet confirmatio reſtringi à recenſitis in ſpecie, itaut ſolum reſpectu ipſorum ſit in forma ſpecifica, tanquam quæ ſola ſunt habilia ad confirmari in forma ſpecifica. Cum enim non recenſeantur in ſpecie, non ſunt in tenore confirmatio-

nis sub explicita notitia Principis, quæ per expressionem ab ipso factam nobis innotescit. Quæ autem non sunt in explicita notitia Principis, non sunt habilia, vt in forma specifica confirmentur, vt constat ex dictis *num. præced.* & notant Dec. *Consil.* 142. *num.* 7. Gozadin. *Consil.* 5. *num.* 14. & 15. Alexan. *Consil.* 23. *num.* 12. *lib.* 5. Paris. *Consil.* 1. *num.* 81. *vol.* 1. Tusch. Littera C. *Conclus.* 340. *num.* 41. Imo etiã si Princeps haberet certam, & explicitam notitiam ipsorum, dum non recenset in specie, & alia recenset, se gerit respectu ipsorum, ac si non haberet explicitam notitiam, nec illa vult vti. vnde etiam confirmatio ab ipso procedit tanquam à non habente certam, & explicitam scientiam illorum.

An miles reperiens inter hostium spolia manuscriptum, possit illud vt à se compositum euulgare. Quæst. 113.

S V M M A.

1 *Quæ in bello iusto capiuntur fiunt capientium.*
1 *Manuscripta reperta inter hostium spolia non fiunt capientis, itaut possit illa euulgare vt propria.*
2 *Manuscripta non sunt acquisibilia iure belli*
2 *Praxis interpretatur ius.*
3 *Partus ingenij in quo consistat.*
3 *Quomodo se habeat ad ipsum scriptura.*
4 *Liber ab aliquo compositus est testimonium excellentia ipsius.*
5 *Libri nunquam desinunt esse illius, à quo componuntur.*
5 *Sunt filij ipsius animæ.*
5 *Ius ad libros à se compositos est inamissibile.*
6 *Euulgans sub nomine proprio librum repertum inter hostium spolia committit crimen falsi.*
6 *In quo consistat crimen falsi.*

1 Videtur affirmatiuè respondendum, nam quæ in bello iusto capiũtur, fiunt propria capientium, & transeunt in ipsorum dominium. *l.* 1. *§. Item Capta. ff.* De *acquir. possess.* & *l. Naturalem. §. vlt.* & *l. Transfugam. ff.* De *acquiren. rer. domin.* & *l. Hostes.* & *l. Si quid in Bello. ff.* De *capt. & postlim. reuer.* & Cap. *Ius gentium. Dist.* 1. & notant Ias. *in l.* 1. *num.* 7. *ff. De acquir. possess.* Socin. *iun. num.* 49. Bart. *in l. Si quis in bello. ff.* De *capt. & postlim. reuer.* Abbas *in Cap. Sicuti.* 3. *n.* 7. De *iureiur.* Ias. *in l.* 1. *num.* 10. ver. *Item secundo limita. ff.* De *acquir. possess.* Ruin. *Consi.* 31. *num.* 10. *lib.* 5. Franciscus Arrias *tract. De bello num.* 162. Petrinus Bellus *De re mili ari par.* 2. *tit.* 12. Victoria *Relect. De iure belli. num.* 51. Couarun. *Cap. Peccatum. par.* 2. *§.* 21. *num.* 1. Faber. *lib.* 2. *Semestr. cap.* 3. & 4. Tuschus *verbo*, Bellum. *Conclus.* 39. & *sequent.* Borel. *tract. De præst. Regis Cath. cap* 47. *num.* 135. Ramirez *De lege regia. §.* 26. *num.* 64. & communiter Theologi cum D. Thom. 2.2. *quæst.* 40. *art.* 1. Hoc enim est de iure gentium, vt notant Plato *de legibus*, vbi habet, omnia, bona hostium fieri victoris. & Arist. 1. *Politior. cap....* vbi habet *Lex velut pactum quoddam commune est, quo bello capta capientium fiunt.*

2 Tenendum tamen est, quod non possit sub nomine proprio huiusmodi manuscripta euulgare, sed euulgando peccet contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem. Ratio autem est, quia partus ingenij non connumerantur inter illa bona, quibus quis iure belli spoliari possit, cum enim iure gentium fundato in iure naturæ sit introducta huiusmodi spoliatio, extendenda est tantum ad ea, ad quæ praxis, & consuetudo extendit; quia praxis, & consuetudo declarat ius. *l. Minimè.* & *l. Si De interpretatione. ff.* De *legib.* & *l. Nulli. ff.* Quod *cuiusque vniuer.* &c & *l. Prohibere. §. Si quis. ff.* Quod *vi, aut clam.* & *l. Obseruare. §.* 5. *ff.* De *officio proconsulis*, & Cap. *Cum dilectus.* De *consuetudine.* & notant Bald. *in Cap.* 1. *num.* 2. De *Feud. sine cul. non amit.* Natta *Consil.* 167. *num.* 7. & *Consil.* 147. *num.* 17. Rolan. *Consi.* 2. *num.* 7. *vol.* 2. Mastril. *Decis.* 137. *n.* 24. Gratian. *Decis.* 130. *in addit. ad num.* 6. Bart. *in leg. Neque leges. ff.* De *legib.* Decian. *Resp.* 46. *n.* 130.

*num.*130. Alderan. Mascar. *De Gener. interp.statut.conclus.*2.*num.*139.Fontanel. *De pact. nupt. tom.*1.*claus.*1. *num.* 41. *vbi late*. Xammar. *De offic. iud. par.*1.*quæst.*18. *num.*30. Praxis autem, & obseruantia subsequuta declarat, quod ius sit tãtum ad bona corporalia, & externa hostium, non autem ad bona ingenij.

3 Quod etiam ex eo deducitur. Quia partus ingenij consistunt in internis cõceptibus mentis, & in scriptura solum consistunt, vt in signo expressiuo illorum, & veluti in imagine, seu in speculo. vnde Cassiodorus *in præfat.* vocat libros speculum mentis, inquiens *Cælas speculum mentis tuæ, vbi te omnis ætas ventura possit inspicere*. Hinc quod est in mentis conceptibus digestum se habet, vt principale; scriptura autem vt accessorium, vtpote ordinata ad manifestãdum principale. Cum ergo accessorium sequatur naturam principalis iuxta Cap. *Accessorium.* De *reg. iur. in* 6. cum principale non fiat de iure victoris, quia non potest spoliare victum hostem conceptibus mentis, nec etiam scriptura fiet de iure ipsius tanquam quid accessorium.

4 Accedit etiam quod libri ab aliquo compositi sunt testimonium excellentiæ internæ ipsius; vnde Plinius *lib.*3. *Epist.*7. hortatur omnes, vt libros scribant, vt relinquant testimonium suæ excellentiæ, quo testentur se vixisse. ergo cum in acquisitione spoliorum victor non acquirat ius aliquod super excellentiam internam hostis victi, nec sibi possit illam appropriare, nec etiam acquiret super libros ab ipsis compositos, nec poterit sibi appropriare testimonium excellentiæ, quod continent.

5 Hinc libri segregatur à reliquis bonis, quod ista sortiantur dominorum mutationem; ipsi autem nunquam desinant esse illius, à quo componuntur, vt notat eleganter Plinius *lib.* 1. *Epist.*3. inquiens. *Effinge aliquid, & excude, quod sit perpetuò tuum, nam reliqua rerum tuarum post te alium, atque alium dominum sortientur, hoc tuum nunquam desinet esse, si semel cæperit*. Et proinde dicuntur partus ingenij, & animæ filij, vt Clemens Alexan. *lib.*1. *Stromat.* habet. *Animæ autem liberi sunt scripta*. Quia sicut filius vnius nunquam potest fieri filius naturalis alterius, ita liber, qui est partus ingenij vnius, nunquam potest fieri partus ingenij alterius, atque adeo ius, quod habet ad ipsum, vt ad proprij ingenij partum, est innamissibile, nec iure belli deperdi potest.

6 Ex quibus deducitur, quod euulgans sub nomine proprio librum repertum inter hostium spolia, committat crimen falsi, quia publicat ipsum tanquam testimonium excellentiæ proprij ingenij, & tanquam proprium partum, cum tamen non sit, & proinde interuenit immutatio veritatis, in quo consistit crimen falsi, vt notant Azo. *in Sum. ad l.Cornel.de falsis, num.*1. Groffred. *in Sum. de falso. num.*1. *Hostiens. in Cap. Licet. num.*3. *in fine. De crimine falsi.* Bart. *Consil.*199.*num.*1. Bald. *Consil.*323. *num.* 1. *in fine*. Ias. *Consil.* 153. *init. lib.*2. Castrens. *Consil.* 371. *num.*2. *in fine. lib.* 1. & communiter. Et interuenit etiam conditio, quam requirunt Minsinger. §. *Item lex Cornelia de falsis.* Instit. *De publ. iudic.* §. 8. *num.* 15. Iodocus *in Pract. crimin. Cap.* 122. Rubr. *De falsit. script. n.*2. Farinac. *in Praxi. Quæst.* 150. *De falsit. & simul. par.*1. *num.*3. Quod nimirum immutatio veritatis fit cum præiudicio alterius, nam priuat auctorem libri testimonio excellentiæ ipsius, & sibi vsurpat, quod illius est.

An regularis eiectus vt incorrigibilis teneatur se corrigere. Quæst. 114.

S V M M A.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Regularis eiectus tenetur se corrigere.*
3 *Prælati regulares tenentur requirere annuatim, & reducere eiectos.*

3 *Cap.*

3 *Cap. fin. De Regularib. innouatum.*
3 *Idem iudicium de correlatiuis, & diſpoſitum de vno trahitur ad alterum.*
3 *D ſtructo vno correlatiuo deſtruitur, & alterum.*
4 *Eiectus eſt verè religioſus.*
4 *Religioſi ratione ſtatus tenentur tendere ad perfectionem.*
5 *Cur incorrigibilis eijciatur.*
5 *Lex naturalis o ligat ad honeſtatem ſecundum exigentiam ſtatus.*
6 *Eiecti ſunt in ſtatu perdito.*
7 *Tenentur tollere obicem ſuæ vocationi.*

---

1 QVod non teneatur ſe corrigere reſp. Nauar. *Com.* 2. *num.* 36. *De regularib.* & *lib.* 3. *Conſil.* 18. *num.* 2. & *Conſil.* 64. *num.* 1. & *Conſil.* 80. *num.* 1. *De regularib. in* 1. *edit.* Sayr. *tom.* 2. *Theſauri caſ. conſcient. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 26. Rodriquez *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 30. *art.* 20. & *tom.* 2. *Sum. cap.* 95. *num.* 11. Azor. *par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 17. *quæſt.* 1. & *cap.* 16. *quæſt.* 6. Sorbus *in Compen. Priuil. verbo*, Eijcere. *in Adnot. init.* Sà. *verbo*, Religio. *num.* 40. Villalob. *tom.* 2. *ſum. tract.* 35. *difficul.* 39. *num.* 2. & probabile putat Diana *par.* 3. *tr.* 2. *De dub.* Regul. *Reſol.* 60. ver. *Mihi vero*.

2 Sed hæc opinio nullo pacto ſuſtineri poteſt, vt conſtabit ex dicendis; & ideo oppoſitam ſententiam tradunt Scotus *lib.* 7. *De iuſt. & iure. quæſt.* 2. *ar.* 5. *in ſolut.* 3. Graff. *par.* 1. *Deciſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 47. Conrad. *par.* 1. *Reſp. quæſt.* 285. Philiar. *tom.* 1. De *offic. Sacer. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 21. Angles *in Florib. par.* 2. *quæſt. De voto. art.* 2. *difficul.* 8. Zerola *in Praxi Epiſcop. par.* 2. *verbo.* Regul. *num.* 65. Corduba *in Reg. S. Franciſ. cap.* 2. *quæſt.* 21. *punct.* 3. Arragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *ar.* 3. ver. *Hucuſque diximus.* Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 9. *num.* 25. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæſt.* 52. *art.* 3. Molina De *iuſt. & iure tract.* 2. *diſp.* 140. Additionat. Nauar. *ad conſil.* 77. De *regular. lib.* 3. Naldus *in Sum. verbo*, Religioſus. *num.* 8. Peirin. De *ſubdito Religioſo quæſt.* 1. *cap.* 25. ver. *Dico ſeptimo*. Federicus de Senis *Conſ.* 134.

3 Hæc ſententia omnino tenenda eſt tanquam certa; & euidentiſſimis rationibus firmata; & primò. Prælati Regulares tenentur ſinguls annis eiectos requirere, & reducere ad Religionem, quando admitti poſſunt ſalua regulari diſciplina, vt præcipitur in Cap. *fin.* De *Regular.* quod fuit innouatum à S. Congregatione iuſſu Vrbani VIII. *in Decreto De incorrigibilibus edito die* 21. *Septembr* 1624. ibi. *Ac poſtremò cenſuit innouandum, & ſuæ Beatitudinis auctoritate innouat Cõſtitutionē Felicis recordationis Gregorij IX. relatam in Cap. fin. extra De regularib. Ac præterea declara, eam conſtitutionem in ijs quoque vindicare ſibi locum, ſeruandamque eſſe, qui iuſtè, definitiuèq. ac iuris ordine ſeruato expulſi fuerint, dummodo tamen in expulſis huiuſmodi ſubſit ſpes euidens emendationis ex litteris teſtimonialibus Ordinarij.* Si ergo in Superioribus adeſt obligatio requirendi religioſos eiectos, & reducendi emendatos ad religionem, aderit etiam in eiectis obligatio ſe corrigendi, & redeundi ad religionem, quia vnius obligatio non poteſt ſubſiſtere ſine obligatione alterius, cum eſt mutua, & relatiua. Correlatiuorum enim eſt idem iudicium; & diſpoſitum de vno trahitur etiam ad alterum. *l. fin. ff.* De *acceptilat.* & *l. fin. C.* De *indic. vid. tollen.* & *l. Si quis ſeruo. C.* De *furtis.* & *l.* 1. *C.* De *tranſact.* Quia nimirum vno deſtructo deſtruitur & aliud. *l. Filio. S. Matri. ff.* De *adimen. leg.* & notat Fuſar. De *ſubſtit. quæſt.* 257. *num.* 60. Et ideo ſi non eſt obligatio in eiecto ſe corrigendi, nec etiam ſubſiſtet obligatio ſuperioris quærendi eiectos emendatos.

4 Præterea. Eiecti manent verè religioſi quò ad ſubſtantiam obſtricti votis tribus ſubſtantialibus, quæ ſeruare tenetur iuxta capacitatem ſui ſtatus, vt docent communiter Corduba *in Reg. D. Franciſ. cap.* 2. *quæſt.* 21. *punct.* 3. Azor. *par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 16. *quæſt.* 4. 7. & 11. & *Cap.* 12. *quæſt.* 2. Suarez *in* 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 21. *ſect.* 1. *n.* 20. Vaſquez 12. *diſp.* 165 *num.* 87.

*num.*87. Lessius *lib.*2. *De iust.& iure.Cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 113. Ledesma *par.* 1. *sum.tr.*10. *Cap. vlt.dub.*2. Molina *tract.*2. *de iust. & iure.disp.*140. ver. *Quando verò* . & ver. *Quò ad votum.& disp.*276. ver. *Quò ad cœteros*. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.*30. *art.*19. Sayr. *lib.*10. *Clauis reg. cap.*9. *n.*18. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.*9. *num.*31. Lezana *tom.*1. *Quæst. Regular. cap.* 23. *num.* 11. Villalob. *par.* 2. *Sum.tract.*35. *difficul.*39. *num.*5. Sanctarel. *tract. De Apostaſ. cap.* 6. *dub.* 2. *num.* 11. Miranda *tom.*1. *Manual. quæst.*52. *art.*5. Reginal. *lib.* 18. *Praxis fori pœnit. n.*418. & 420. Peirin. *De ſubdito Religioſo* . *q.* 1. *cap.*25. §. 1. ver. *In vniuerſum*. Bordon. *Cap.*2. *De profeſ. Reg. quæst.* 71. Vnde cum retineant obligationem ſtatus religioſi quò ad ſubſtantialia, retinebunt etiã obligationem tendendi ad perfectionem, quæ eſt propria ſtatus religioſi, vt communiter docent cum D. Tho. 2.2. *quæst.* 184. *art.* 5. & *quæst.* 186. *art.* 2. Quomodo autem tendet ad perfectionem, niſi ſe corrigat? vnde habet talem obligationem ex vi ſtatus religioſi, in quo adhuc manet.

5 Tertiò accedit. quod incorrigibilis eijcitur, ne ſua contagione alios inficiat, vnde habetur in *Decreto* S. Congregationis *De eiectis*, de quo *num.*3. *in §. Adhæc*. Ne *contagione peſtifera plurimos perdat tanquam pecus morbida, ac membrum putre eijci tandem poſſit*, ergo eſt infectus malis moribus contra honeſtatem vitæ, & ſtatus proprij, ergo tenetur ſe emẽdare, & componere mores ſuos ad normam honeſtatis ſecundum exigentiam ſtatus, quia quiſque obligatur lege naturali ad honeſtè viuendum, & aſſumpto liberè aliquo ſtatu, ſubintrat obligatio legis naturalis ad honeſtè viuendum ſecundum exigentiam illius ſtatus.

6 Quartò hoc ipſum deſumitur ex ſtatu, in quo ſunt incorrigibiles, quandiu perſeuerant in ſua peruicacia ſe non emendandi. Sunt enim in ſtatu perdito, vt deſumitur ex illis grauiſſimis verbis S. Congregat. *in dicto §. Adhæc*. Decreti *De eiectis*. nam cum dixiſſet, quod ſi probati in pœnitentijs non reſcipiſcant, ſed animo indurato in ſua peruicacia perſeuerent poſſint tandem eijci, ſubdit. *Sacra Congregatio Religionum Superiores ſeriò admonet, ac per Ieſu Chriſti viſcera obteſtatur, vt memores paternæ charitatis, ac manſuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum ſuorum ferè in profundum malorum delapſas, antequam grauiſſimũ atq. extremum expulſionis remedium experiantur*. Si ergo, dum perſiſtunt in peruicacia, & nolunt ſe emendare, ſunt incorrigibiles ferè delapſi in profundum malorum, ſunt in ſtatu perdito, ideo tenentur ſe emendare, quia quiſque tenetur recedere à ſtatu perditionis, & ex profundo malorum reſurgere.

7 Denique quandiu eiecti manent incorrigibiles, continuant cauſam ſuæ expulſionis, & ponunt obicem, ne perſeuerent in ſua vocatione, ad quam per vota ſe obligarunt, ergo tenentur ſe corrigete, quia tenetur quiſque tollere obicem, quem ipſe ponit, impedientem exequutionem obligationis ipſius. nam paria ſunt, nolle implere propriam obligationem, & voluntariè ponere obicem, ne poſſit impleri.

An religioſus per ſententiam damnatus ad carcerem, poſsit expelli, ſi reuera ſit incorrigibilis, non elapſo tempore carceris. Quæst. 115.

SVMMA.

1 *Religioſus damnatus ad carcerem non poteſt declarari incorrigibilis, niſi expleto tempore deſtinato ad carcerem.*

2 *Cauſa finalis, ob quam conceſſa eſt facultas eijciendi incorrigibiles.*

2 *Ceſſante cauſa finali legis, ceſſat etiam ipſa lex.*

3 *Superiores antequam declarent religioſum incorrigibilem, debent adhibere omne reme-*

remedium, vt eum lucrifaciant.
4 *Non debet quis ex delicto reportare commodum.*

1 EST quis damnatus ad carceres à suis prælatis per decennium, & commisit talia delicta, quæ sufficiunt pro incorrigibilitate, & est etiam probatus per annum in ieiunijs, & pœnitentijs; & nihilominus persistit in sua incorrigibilitate, quæritur, an possit eijci à religione nondum completo decennio carceris. Et negatiuè respondendum est, sed esse expectandum, quod sit completum decennium carceris destinati, & tunc poterit eijci, si perseuerauerit in sua incorrigibilitate.

2 Ratio autem est, quia causa finalis, ob quam concessa est Regularibus facultas eijciendi incorrigibiles, est, ne tales incorrigibiles sua conuersatione scandalo sint, & cœteros inficiant, & perdant, vt clarè habetur ex Cap. *fin.* §. *Porro*. De *statu Regular.* & ex Cap. *Ecce autem*. & Cap. *Resecandæ*. & Cap. *Corripiatur*. 24. *Quæst.* 3. & ex Decreto S. Congregationis *De Apostatis. & eiectis, edito iussu Vrbani VIII. die 21. Septemb. 1624.* §. *Ad hæc.* ibi. *Ne contagione pestifera plurimos perdat tanquam pecus morbida, ac membrum putre eijci tandem possit.* Quamdiù autem detinetur in carcere cessat hæc ratio, quia cum non conuertetur cum cœteris, non potest ipsos inficere; & proinde cessat etiam dispositio legis concedentis facultatem eijciendi, quia cessante causa finali legis cessat etiam dispositio legis. *l. In omni*. *ff.* De *adoptionib.* & *l. Quod dictum*. *ff.* De *pactis*. & *l. fin.* *ff.* Ad *Syllan.* & *l. Si maritus*. §. *Scripsi*. *ff.* Ad *leg. Iul. De adult.* & *l. Adigere*. §. *Quamuis*. *ff.* De *iurepatron.* & Cap. *Etsi Christus*. De *iureiur.*

3 Quod insuper confir. Ex eodem Decreto *S. Congregationis* tenentur Superiores nil intentatum relinquere, vt lucrentur animas fratrum suorum ferè in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Hoc autem non præstarent, si eijcerent, qui carceri per aliquod tempus addicti sunt; si quidem pœnæ continuatio posset eos ad pœnitentiam reducere. & ideo superiores nō adhiberent hoc remedium, quod de iustitia est debitum.

4 Denique cum non debeat quis ex delicto reportare commodum Cap. 1. De *postulat. prælat.* & Cap. *Sedes Apostolica*. De *rescriptis*; non possunt eijci antequam pœna carceris sit expleta, aliàs ex sua incorrigibilitate, & peruicacia reportarent commodum, nempe relaxationem pœnæ carceris ijs debitæ.

A quonam Monasterio sit alendus Regularis inhabilis ad seruitia religionis, vel ratione infirmitatis, vel ratione delicti. Quæst. 116.

SVMMA.

1 *Religiosus inhabilis ad seruitia à quo alendus.*
2 *Professio est contractus, quo profitens acceptatur in suum à Monasterio.*
2 *Profitens transfert in Monasterium omnia sua bona, & iura.*
2 *Facit superiores dominos sua voluntatis.*
3 *Tradit se in potestatem religionis, & fit quodammodo seruus.*
3 *Vtens seruitio alterius tenetur illum alere.*
4 *Religiosus debet ali à Monasterio, cui inseruit.*
4 *Famulus commodatus alitur à commodatario.*
5 *Cessante causa, ob quam sunt debita alimenta, cessant etiam alimenta.*
6 *Quomodo sentiens commodum debeat etiam sentire incommodum.*
6 *Valet, quando commodum, & incommodum sunt simul ex eadem radice.*
7 *Cessante grauamine debet cessare commodum, quod est ex grauamine.*

7 *One-*

7 *Onere cessante debet etiam cessare emolumentum.*
8 *An Salarium sit debitum seruo ægrotanti.*

---

1 RESp. Esse alendum ab illo Monasterio, cuius nomine emisit professionem, & cuius factus est filius in emissione professionis loquendo de iure communi, & seclusis specialibus Constitutionibus, & Decretis Religionum, vtpote, quia tale onus suscipit, quando ipsi tanquam filius incorporatur iuxta doctrinam Castrens. *Consil.* 76. *num.* 1. *vol.* 1. Surdi *De aliment. Tit.* 1. *quæst.* 75. *num.* 1.

2 Ratio autem est, quia Professio est quidam cōtractus mutuus inter profitentem, & Monasterium, cuius nomine profitetur, ita vt acceptetur in suum ab ipso Monasterio, Cap. *Porrectum.* & Cap. *Ad Apostolicam.* De *Regularib.* ibi *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente.* Et per huiusmodi contractum transferuntur omnia iura profitentis in Monasterium, vt notant Bald. *in Cap. In præsentia.* De *probat.* Butr. & Io. Andr. *ibid.* Ias. *in Authent. Ingressi.* C. De *Sacrosanct. Eccles.* & Monasterium acquirit ius in omnia bona ipsius, vt desumitur ex dicta Auth. *Ingressi*; itaut censeantur alienata in ipsum, vt notat Ias. *ibid. n.* 2. *&* 4. Bald. *in d. Cap. In præsentia*; quia nimirum transfert suam voluntatem in Superiores, cuius ipsos constituit dominos, & consequenter etiam eorum omnium, quæ consequuntur voluntatem, qualia sunt iura, & dominia. Et ideo in virtute talis contractus Monasterium contrahit obligationem alendi profitentem, vt personam suam, & sibi incorporatam.

3 Quod amplius confirmatur. Profitens in virtute professionis tradit se ipsum in potestatem Monasterij, cuius nomine acceptatur professio, vt notant Gloss. *in Cap. Vt lex. verbo*, Professio. 27. *quæst.* 1. Abbas *in Cap. Quod ad te. n.* 5. De *cler. coniug.* citans Archidiacon. & efficitur quodammodo seruus illius. Vnusquisque autem tenetur alere eos, quos recipit in suam potestatem, & quorum opera potest ad libitum vti, vt constat in seruis, & habetur ex *l. Cum plures.* §. *Cum tutor. ff.* De *administ. tut.* & *l. In rebus.* §. *Possunt. ff. Commod.* & *l. penult. ff.* De *oper. libert.* & *l. vnica.* §. *Sed scimus.* C. De *latina liber. tollen.* & *l. Item serui. in fine. ff.* De *edilit.* & *l. Diuortio.* §. *fin. ff.* Soluto *matrimonio.* Quia, cum acquirat ius in personam, acquirit etiā debitum quod trahit secum exigentia personæ.

4 Et quamuis, quando Religiosus destinatur ad alia Monasteria, quorum non est filius; vt ijs inseruiat, debeat ali à Monasterio, cui actu inseruit, hoc tamen habet locum pro illo solum tempore, quo inseruit, quia se habet tanquam seruus commodatus, cui commodatarius pro tempore commodationis debet prouidere de alimentis. *l. In rebus.* §. *possunt. ff. Commod.* & docent Alexan. *in l. Si cum dotem.* §. *Sin autem in fæuiss. n.* 6. *ff.* Soluto *matrimon.* Felin. *in Cap. Ex rescripto. in fine.* De *iureiur.* Surdus *De alimen. tit.* 1. *quæst.* 66. *num.* 14. Et ideo cessante commodatione cessat etiam obligatio alendi, & subintrat obligatio Monasterij, cuius est filius.

5 Quod insuper ex eo deducitur, quod alimenta debentur religioso à tali Monasterio intuitu seruitij, quod præstat. Cessante autem causa, ob quam sunt debita alimenta, cessant quoque ipsa alimenta. argum. *l. Seio amico. init. ff.* De *annu. leg.* & notant Socin. *Consil.* 68. *num.* 1. *vol.* 1. Dec. *Consil.* 621. *init.* Quia generaliter cessante causa cessat etiam effectus *l. Adigere.* §. *Quamuis. ff.* De *iurepatronat.* & *l. Si pater. ff.* De *hæredib. instit.* & *l. Generaliter.* C. De *Episcop. & Cler.* & Cap. *Magnæ. in fine.* De *voto.* & Cap. *Cum cessante.* De *appellat.* Et ideo cum cesset finis, ob quem alitur religiosus, quando non inseruit Monasterio, cuius non est filius, debent etiā cessare alimenta.

6 Neque obstat regula, quod qui sentit commodum, debeat sentire, & incommodum. Cap. *Qui sentit.* De *reg. iur.*

iur. in 6. & proinde Monasterium teneri alere religiosum, qui, dum ipsi inseruiebat, f.ctus est inhabilis; quia, si sensit commodum seruitij, debet etiam sentire incommodum ipsum alendi, quando factus est inhabilis. Nam resp. quod dicta regula solum habet locum de incommodo, quod est annexum commodo, quod percipitur, vt declaratur *in l. vnica. §. Pro secundo. C.* De *Caduc. tollen.* ibi. *Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit*. In casu autem nostro onus alendi religiosum inhabilem non est annexum seruitio exhibito in tempore præterito, imo est separatum, cum hoc sit de præsenti, & seruitium sit iam transactum; & ideo solum onus alendi est annexum seruitio, quod de præsenti exhibetur, & proinde, dum quis inseruit, debet ali, quia ex eodem capite prouenit commodum, & incommodũ. Vnde regula habet locum, quando commodum, & incommodum proueniunt ex eadem radice, vt notant Doctores in *dict. l. vnicam. C.* De *caduc. tollen.* & *in l. Secundum naturam. ff.* De *reg. iur.* & *in Cap. Qui sentit.* De *reg. iur. in 6.* Surdus *Consil.* 150 *num.* 85. Gratian. *tom.* 5. *Discep. Forens. cap.* 919. *num.* 35. *&* 36.

7 Imo cum debeat cessare commodum cessante grauamine, quando grauamen est causa commodi. *l. Eum qui. init. ff.* De *iureiur.* Bart. *ibid. in Sum.* Iaf. *num.* 1. cum in religioso facto inhabili cesset grauamen seruitij, quod præstabat Monasterio, debet etiam cessare commodum, quod ex tali grauamine reportabat; præsertim quia onere cessante, debet etiam cessare emolumentum. *l. Sed si hac lege. §. Liberos. ff.* De *in ius vocan.* vbi Angel. & alij. & notat etiam Decius. *in l. Secundum naturam. num.* 1. *ff.* De *reg. iur.* ex sententia Gloss. Baldi, & aliorum.

8 Quod si hoc non esset verum, sequeretur, quod dominus teneretur alere famulum conductum, etiam si vel ob infirmitatem, vel ob aliquod delictum fieret inhabilis ad continuandum seruitium, si quidem tempore præterito sensit commodum seruitij: vnde deberet sentire incommodum alimentandi. & tamen communis sententia docet, quod neque tenetur dare salarium famulo ægrotanti ad tempus. & habetur ex *l. Si vno. §. Item cum quodam. ff. Locati.* & *l. Si pecuniam. init. ff.* De *condit. cau. dat.* & eam tradunt Gloss. *in l. penul. C.* De *condit. ob caus.* & *in l.* 1. *§. Diuus. ff.* De *var. cogni.* Francus *in Cap. vnic. §. Qui vero.* De *cler. non resident. in 6.* Imola *in cap.* 3. *num.* 10. De *locat.* Ancharan. & Anton. *ibid.* Bar. *in l.* 1. *§. Diuus. ff.* De *var. cogni.* & *in l. Si vno. §. Item cum quidam. ff. Locati.* & *in l. Operæ. ff.* De *vsufruct. leg.* vbi Dinus. Oldradus. Iacobus. De Arena. Alber. qui etiam idem tradit *in l.* 4. *§. Stychus si hæredi. ff.* De *statu lib.* Aufrer. *Decis.* 268. Cardin. *in Cap.* 1. De *Cler. ægrot.* Imola, & Panorm. *ibidem.* Io. Baptist. de Sanseuer. *in l. Diem functa, quæst.* 48. *ff.* De *Offic. assess.* Syluester *verbo.* Familia. *num.* 2. Couaruu. *lib.* 3. *Variar. cap.* 13. *num.* 8. vbi etiam respondet ad opposita.

An, quando Generale Capitulum Regularium deputat iudices pro causis subditorum, sententiæ habeant vim legis, si approbentur ab eodem Capitulo. Quæst. 117.

SVMMA.

1 *Sententia Principis habet vim legis.*
2 *Sententia Iudicum, deputatorum à Capitulis Generalibus Regul. lata in ipso Capitulo non habent vim legis.*
2 *Sententia Principis non habet vim legis, nisi ipse causam discutiat.*
2 *Lex regula directiua communitatis.*
3 *Principis sententia lata ex aliorum relatione admittit appellationem.*
3 *A lege non datur appellatio.*
4 *Sententia Principis non habet vim legis, nisi habeat intentionem stabiliendi ius.*
4 *Sententia, vt habeat vim legis, debet participare conditiones essentiales legis.*

5 Con-

5 *Confirmatio in forma communi non operatur aliquid de nouo.*
6 *Quid requiratur, vt confirmatum à Superiore fiat proprium confirmantis.*
6 *Tex. Cap. Si Apostolicæ. De præben. in 6. expensus.*

---

1 Affirmatiuè videtur respondendum, quia tales iudices procedunt in causis nomine Capituli Generalis; vnde censentur sententiæ latæ ab ipso Capitulo, quod cum habeat potestatem condendi leges, ipsæ quoque habebunt vim legis, quia sententia Principis habet vim legis, vt docent Gloss. *in l. Nemo. C. De sent. & interloq. om. iud.* Socin *tract. De Fallent. Reg.* 125. *Fallent.* 1. Menoch. *lib.* 1. *De præsump. quæst.* 1. *n.* 27. Alex. *in l. Sæpe. n.* 73. *ff.* De re iudic. Boer. *Decis.* 255. Paris. *Consil.* 76. *n.* 29. *lib.* 4. qui alios citat. & proinde solet allegari ad decisionem causarum. *l. fin. C.* De *legibus.* vbi Doctores. Quod præsertim verum est, quando accedit cōfirmatio Capituli Generalis, quæ facit, quod tales sententiæ sint ipsius Capituli iuxta tex. Cap. *Si Apostolicæ.* De *præben. in* 6 vbi. Pont. sex habet; Illa nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur.

2 At non habere vim legis, tenendum omnino est. Quia tunc solum sententia Principis habet vim legis, quando ipse causa discussa, & ex certa scientia eam profert, vt clarè dicitur *in l. fin. C.* De *legib.* ibi. *Si Imperialis maiestas causam cognitionaliter examinauerit, & partibus comminus constitutis sententiam dixerit, omnes omnino iudices, qui sub nostro imperio sunt, sciant, hanc esse legem. &c.* & idem etiam habetur ex *l.* 1. *ff.* De *const. Princip.* & cum hac limitatione tradunt Doctores, sententiam Principis habere vim legis Ias. *in l.* 1. *ff.* De *constit. Princip.* vbi & alij Doctores, sicut & in citatam. *l. fin. C.* De *legib.* Felin. in *Rubr.* De *rescrip. n.* 1. Gomez *in Proem. ad Reg. Cancel. quæst.* 2. *ad* 1. Mastril. *lib.* 3. *De Magist. Cap.* 4. *num.* 365. Menoch. *Consil.* 501. *num.* 33. & communiter Canonistæ *in Cap. In causis.* De *re iud.* Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 14. *num.* 4. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 15. *num.* 11. Salas *disp.* 2. *de legib. sect.* 8. *num.* 49. Vasquez 1. 2. *disp.* 157. *cap.* 5. *num.* 37. Merol. *tom.* 2. *Theol. moral. disp.* 4. *cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 134. Mancinus *in Disquisitionibus Genialib. Centur.* 1. *Cap.* 84. *num.* 3. Ratio autem est, quia lex est regula directiua communitatis fundata in iurisdictionali potestate Principis, non potest autem Princeps ponere regulam ordinatiuam communitatis, nisi discutiat id, in quo regulanda est, & habeat certam scientiam, aliàs imprudenter procederet. In casu autem præsenti Capitulum Generale non discutit per se ipsum causas, nec habet certam scientiam illarum; sed solum iudicat per iudices deputatos, & ideo tales sententiæ non possunt habere vim legis.

3 Quod adeo verum est, vt etiam si Princeps per seipsum sententiam ferat, si tamen ipse causam non examinet, sed procedat ex relatione aliorum, non habeat talis sententia vim legis. Ab ipsa namque appellari potest *l.* 1. *init. ff.* Quando *appellandum sit.* & Cap. *Biduum.* §. *Siquidem.* 2. *quæst.* 6. & docent Roman. *Consil.* 251. *num.* 10. Socin. sen. *Consil.* 195. *num.* 5. *lib.* 2. qui testatur, ita fuisse redactum ad praxim. Gozadin. *Consil.* 101. *num.* 4. Gram. *Decis.* 35. *num.* 2. & 3. Decian. *Consil.* 47. *num.* 10. *lib.* 1. Rebuf. *in l. Quod iussit. not.* 2. *num.* 21. & 53. *ff.* De *re iud.* & Ad *Constit. Regni Galliar. tom.* 1. *tract. De supplicat. num.* 49. Menoch. *Consil.* 501. *num.* 10. Si autem haberet vim legis, non posset ab ipsa appellari. Quia à lege communi non datur appellatio. *l. Si res.* §. *Item si. ff.* De *appellat. recip.* & Cap. *Consuluit.* De *appellat.*

4 Accedit etiam, quod sententia Principis non habet vim legis, nisi sit lata ex voluntate, & potestate stabiliendi ius commune, vt docent Suarez *lib.* 3. *De legib. cap.* 15. *num.* 16. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 29. *num.* 14. & *lib.* 2. *De matrim. disp.* 14. *num.* 4. Salas *disp.* 2. *de legib. sect.* 8. *num.* 49. Palaus *par.* 1. *Oper. moral. tract.* 3. *disp.* 1.

disp.1.punct.8.num.5. Merol. *tom.2.Theol. moral. disp.4. cap.3. dub.14. num.139.* Vt enim sententia habeat vim legis, debet participare conditiones intrinsecas, & essentiales legis, atque adeo debet procedere ex potestare legislatiua, & esse lata pro communitate in ordine ad bonum publicum; vnde debet procedere ex intentione Principis regulatiua communitatis. hoc autem non conuenit de se sententiæ, quia de se non respicit totam communitatem, cum ordinetur solum ad componendas priuatas differentias partium; & proinde Princeps eam ferendo non exercet munus Principis regentis totam Rempublicam, sed potius munus iudicis administrantis iustitiam priuatis personis. Vnde, vt sententia ipsius habeat vim legis, debet eleuari, vt sit regula publica communitatis, quod sit per intentionem eiusdem Principis eam ordinantis ad regendam communitatem. Non constat autem, quod Capitula Generalia religionum habeant huiusmodi intentionem, vt nimirum sententiæ latæ à iudicibus deputatis sint regula publica pro tota religione. Vnde non obstante, quod sententiæ Consilij Neapolitani emanēt nomine regis, vt tamē habeant vim legis, statutū est speciali pragmatica, quod habeant talem vim, quæ est 38. *Regiar. pragmat.* Tit. *De officio S. Consilij*, vt refert Merol. *citat.*

5 Neque iuuat, quod sententiæ latę à iudicibus deputatis postea cōfirmentur à Capitulo Generali, quia cum talis confirmatio fiat absque causæ examinatione, est tantum in forma communi, & ideo approbat tantum, quod gestum est, non verò tribuit vim nouam, nec facit, quod sententia, quæ antea non habebat vim legis, illam de nouo acquirat, cum hæc sit natura confirmationis in forma communi, vt non det aliquid de nouo. Cap. *Quia diuersit.* De *concess. prebend.* Cap. *Ex parte.* De *priuileg.* Cap. *Cum dilecta. §. Nos igitur.* & Cap. *Examinata.* De *confir. vtili, & inut.* Cap. *Inter dilectos, §. Cæterum.* De *Fide instrumen.* & Cap. *Intentionis.* De *priuileg.* & Cap. *Dudum. in fine* De *decimis.*

6 Neque obstat tex. Cap. *Si Apostolicæ.* De *prębendis. in 6.* Quia ibi Pontifex solum intendit, quod illa censeantur effecta sua propria, quæ sibi assumit, & de ipsis plenè informatus propria auctoritate de nouo disponit. ibi enim est sermo de mandato Legati super prouisione facienda in fauorem alicuius, & ait Pontifex; quod si stante mandato Legati ipse plenè informatus confirmat mandatum, committens ijsdem, vel alijs exequutoribus, vt in tali prouisione auctoritate Apostolica procedant, tale mandatum fit Apostolicum, vt clarè ex ipso tex. desumitur; ita enim habet. *Nosque postmodum plena de his facta ratione, quod ab ipso legato factum extitit, ratum, & gratum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, & eiusdem exequutoribus, vel alijs nostris damus litteris in mādatis, vt in huiusmodi prouisionis negocio auctoritate nostra procedant, iuxta ipsius legati continentiam litterarum. Certum est quod (cum ipsa prouisio ipsius legati post impertitam à nobis auctoritatem nostra censeatur effecta) omnibus, quibus postea mandamus &c.* Ex quibus constat, quod vt confirmatum efficiatur ipsius confirmantis, requiritur duplex conditio. prima, quod confirmans procedat cum plena informatione negocij; altera, quod sibi assumat negocium, & de ipso disponat propria auctoritate, atque adeo faciat nouam dispositionem super ipso. Vnde in dicto tex. non est sermo de pura confirmatione, sed de noua dispositione, ex qua remaneat confirmatum, quod est dispositum ab inferiori, vt clarè desumitur ex illis verbis, *Vt in huiusmodi prouisionis negocio auctoritate nostra procedant.*

An

An iudex possit præterita iudicare secundum legem, vel consuetudinem posterius introductam. Quæst. 118.

SVMMA.

1 *Sententia circa præterita est ferenda secundum legem declaratiuam subsequutam.*
1 *Declaratio legis censetur emanasse simul cum lege.*
2 *Sententia circa præterita non est ferenda secundum legem subsequutam de nouo disponentem.*
2 *Lex loquitur per iudicem, qui est iustum animatum.*
2 *Sententia non potest proferre in specie, quod lex non decernit in communi.*
3 *Lex de nouo disponens non extenditur ad præterita.*
4 *Lex regula agendorum, & propter honestatem conseruandam.*
5 *Res præsens ex causa præterita iudicanda secundum quas leges determinanda.*
5 *Quod habet esse ex causa, non subsistit non subsistente causa.*

1 DIfficultas procedit, si lex, aut consuetudo introducta in posteriori tempore ad factum, de quo est sententia ferenda, sit inductiua noui iuris, non autem declaratiua antiqui; nam si sit declaratiua, certum est, quod iudex debet secundum ipsam proferre sententiam, quia retrotrahitur ad tempus, in quo antiquum ius declaratum conditum fuit, & censetur simul cum ipso emanasse, vt notant, Abbas *in Cap. fin. num.* 8. *De constit.* Felin. *num.* 4. Morla *in Empor. iur. Tit.* 1. *quæst.* 6. *num.* 11. Farinac. *par.* 2. *Fragment. Criminal. Littera L. num.* 55. Alderan. Mascar. *De gener. stat. interpret. conclus.* 13. *num.* 41. Tusch. *Littera L. Conclus.* 264. *num.* 45. & 51. & *Conclus.* 265. *num* 4. Caldas Pereira *De potest. eligen. Cap.* 11. *num.* 30. Rota *Decis.* 142. *num.* 2. *par.* 2. *Diuer.* Anton. Gabr. *in Com. conclus.* Tit. *De reg. iur. Conclus.* 3. *n.* 9. Mantica De *contract. lib.* 1. *Tit.* 16. *n.* 7. *to.* 1. Surdus *Decis.* 21. *per totã.* Gratian. *in Disc. Forens. Cap.* 147. *num.* 2. Neque enim aliquid de nouo ponit, sed enunciat, quid in veteri iure statutum sit: vnde in Authent. *De filijs ante dot. instrum. natis.* §. 1. & Authen. *De rap. mulier.* habetur, quod declaratio, facit, quod lex cum tali sensu emanarit. ibi. *Tãquã si lex nostra ab initio cum tali interpretatione promulgata fuisset.*

2 Si ergo lex, aut consuetudo sit inductiua noui iuris, non poterit iudex secundum ipsam de præteritis iudicare; sed debebit iudicare secundum leges, quæ tunc vigebant. Ratio est, quia iudex tanquam exequutor legum, & per quem leges loquuntur, vt proinde dicatur iustum animatum ab Arist. 5. *Eth. cap.* 4. debet secundum leges iudicare, & ideo potestas ipsius coarctata est ad terminos legum, ita vt non se extendat vltra sphæram ipsarum. Vnde cum sententia sit iudicium, quo materiæ particulari applicatur, quod in communi leges præscribunt, non potest per sententiam proferre in particulari, quod leges non proferunt in communi; nec facere, quod sententia loquatur circa ea, de quibus leges non loquuntur, quia esset extendere leges ad id, ad quod non se extendunt.

3 Cum ergo lex inductiua noui iuris non se extendat ad præterita, sed tantũ trahatur ad futura. *l. Leges. C. De legibus.* & Authent. *De nuptijs. init.* §. *Duo igitur. circa fin. Collat.* 4. & Authent. *De hæred. ab intest.* §. *fin. Collat.* 9. & Cap. *Cognoscentes.* & Cap. *fin.* De *constit.* & explicant Medices. *tract. De legib. par.* 4. *q.* 35. Menoch. De *arbitr. lib.* 2. *Casu* 185. *n.* 1. Farinac *p.* 2. *Fragmen. Crimin. verbo.* Lex. *n.* 35. & *seq.* Tiraquel. *in Præfat. De retr. lig. n.* 18. & De *iure primogenituræ, q.* 43. *n.* 17. Couarru. *lib.* 3. *Variar. cap.* 13. *n.* 4. Morla *in Empor. iur. par.* 1. *tit.* 1. *quæst.* 6. Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 16. *q.* 16. Cardosus *in Praxi iud. verbo* Lex. *n.* 13. Lancel. Conrad. *in Templo om. iud. lib.* 1. *Cap.* 1. §. 4. *verbo,* Legem *generalem*

*lem solus condit. num.*7. Tusch. *Littera. L. Conclus.* 64. *n.*1. *& 6.* Suarez *lib.*3. *De leg. cap.*14 & communiter;neque etiam sententia circa præterita ferri potest secundum leges, aut consuetudines, quæ postea superuenerunt, quia esset extendere legem ad præterita, & facere, quod loquatur de præteritis, cum tamen de ipsis non loquatur, sed de solis futuris.

4 Quod amplius declaratur. Cum lex sit regula, & mensura agendorum, vt ait D.Th. 1.2. *quæst.*90. *ar.*1. & sit propter honestatem conseruandam. Cap. *Porro.*35. *q.*3. debent omnia regulari secundum leges, quæ pro ipsis sunt positæ, non autem secundam eas, quæ pro ipsis non sunt positæ; quia lex non debet extendi vltra intentionẽ legislatoris, extra cuius terminos non habet vim. Cũ ergo omnis lex inductiua noui iuris sit tãtum posita pro futuris, & non pro præteritis, debent præterita regulari secundum leges, quæ illis correspondent, & non secundum subsequentes, atque adeo sententia, quæ inducit regulam ex legibus, non potest circa præterita procedere ex legibus, quæ sunt subsequutæ.

5 Et hoc habet locum, etiam si res, de qua est ferenda sententia sit præsens, & habeat tractum successiuum, si tamen iudicanda sit ex causa præterita, & anteriori ad legem, vel consuetudinem de nouo inductam. Quia tunc, sicuti est regulanda secundum causam, quam habet de præterito, vtpote, quia non secundum se purè, sed vt vestita illa causa iudicari debet, ita debet iudicari secundum leges, quæ respiciunt illud tempus, non secundum ius nouum subsequens: nam est iudicandum secũdum illam causam, quæ est absolutè præterita, itaut si non esset talis causa, locum non haberet iudicium. Quod enim est ex aliqua causa, si causa non ponitur, nec ipsum subsistit. *l.*1. *ff.* De *condict. cau. data*. Et proinde legem subsequentem non extendi ad præsentia, quæ sunt connexa cum præteritis dixit Rota *Decis.*818. *num.*2. *par.*3. *Diuer.*

An iudex imperitè iudicans teneatur ad resarciendum damnum, si pars læsa non appellet. Quæst. 119.

S V M M A.

1 *Iudex malè iudicans ex imperitia, vel negligentia tenetur resarcire damnum partis læsæ.*
2 *Quisq. tenetur scire, quæ spectãt ad proprium munus.*
3 *Iudex in foro conscientiæ non tenetur neque ex leui culpa resarcire damnum partis læsæ.*
3 *Quomodo censeatur se obligare ad rectè iudicandum.*
4 *In foro externo iudex ex leui culpa tenetur resarcire damnum partis à se læsæ, & quomodo.*
4 *Forum externum diuersimode procedit ab interno.*
5 *In foro externo iudex tenetur resarcire partem læsam, etiamsi non appellet.*
6 *In foro conscientiæ non tenetur, si pars cognoscens se læsam ratam habet expressè sententiam, aut expressè renunciat appellationi.*
6 *Ius renunciatum extinguitur.*
7 *Secus, si pars læsa non cognoscat grauamen.*
7 *Nemo censetur renunciare iuri, quod ignorat sibi competere.*
7 *Renunciatio non versatur circa incognita.*

1 IDem de negligentia, cũ qua in inuestiganda veritate procedit, asserendum est, quod de imperitia dicitur. Et quidem teneri absolutè ad resarciendum damnum, quando iudex ex imperitia, vel negligentia culpabili malè iudicat, docent communiter. Gloss. *in l. fin.* verbo, *De ea re. ff.* De *var. & extraord. cognit.* Angel. *in l.* 1. *init. ff.* De iniur. Menoch. *De arbitr. lib.*2. *centur.*4. *Casu* 339. *num.*5. Cataldin. de Boncompagnis *tract. De syndic. num.*69. Claudius Cantiuncula *De officio iudicis, cap.*3.

cap. 3. *num.* 25. *&* 26. Bobadil. *tom.* 2. *Polit. lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 33. *in gloss. Littera B.* Rodriquez *tom.* 2. *Quæst. Regular. q.* 40. *art.* 2. Xammar *De offic. iud. par.* 1. *q.* 17. *num.* 27. & habetur ex Instit. *De obligat. quæ quasi ex delic. nasc. init.* & *l. fin. ff.* De *var. & extraord. cognit.*

2 Ratio est, quia cum teneatur quisque munus suum rectè exercere, & sicut exigit finis ipsius, tenetur etiam scire, quæ necessaria sunt pro recta administratione, & quæ communiter cœteri eiusdem status sciunt, & proindè debet adhibere debitam diligentiam, vt cum necessaria cognitione procedat in eo administrando, vt communiter docent D.Th. 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. Rodriquez *tom.* 3. *Quæst. Regular. quæst.* 64. *ar.* 1. *&* 2. Campanil. *in Diuer. iur. can. Rubr.* 7. *cap.* 4. *num.* 14. Garzias *De nobilit. Gloss.* 4. *num.* 28. *&* 29. Maranta *De ordine iudiciar. par.* 3. *num.* 103. Nauar *in Cap. Cum contingat. in* 11. *causa nullit.* De *rescrip.* Villalob. *par.* 1. *Sum. tract.* 3. *difficul.* 10. *num.* 2. Vnde cùm iudex negligenter procedit, aut cum imperitia iniustè agit, quia facit contra id, ad quod tenetur ex iustitia, tenetur resarcire damnum, quod causat.

3 Hæc tamen obligatio in foro conscientiæ non oritur ex culpa leuissima, vt communiter docent contra Gloss. *in Cap. Consuluisti.* 2. *quæst.* 5. & Adrian. *in* 4. *tract. De restitut. Quæst. Vnum in foro animæ.* Nec ex culpa leui, vt contra Azor. *par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 23. ver. *Dubium quintum*, & alios docent mox citandi. Sed tantum ex culpa lata, vt tradunt Syluester *verbo.* Restitutio 2. *quæst.* 17. Petrus Nauar. *lib.* 2. *De restit. cap.* 1. *n.* 48. *& sequent.* Auguſt. Morla *par.* 1. *Empor. iur. tit.* 2. *quæst.* 7. *num.* 7. *& sequent.* Mercadus *De rest. cap.* 5. Parlador. *Cap.* 2. *Rerum quotidian. num.* 2. *& sequent.* Lessius *lib.* 2. *De iust. & iure cap.* 7. *dub.* 7. *num.* 31. Malder. 2. 2. *tract.* 6. *cap.* 3. *dub.* 10. Fernandez *lib.* 4. *Examin. theol. mor. q.* 44. *num.* 2. Nauar. *in Manuali cap.* 25. *n.* 28. Graf. *par.* 1. *Decis. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 4. Rodriquez *par.* 1. *Sum. cap.* 6. *num.* 6. Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 11. *dub.* 4. *num.* 3. *&* 5. Ortiz *Cap.* 8. *Sum. num.* 3. Diana *par.* 2. *tract.* 15. *Resol.* 59. Quia nimirum obligatio restituendi non oritur in iudice, nisi ex delicto læsæ iustitiæ, ideo autem lædit iustitiam in iudicando, quia facit contra obligationem, quam cum munere assumpsit, administrandi iustitiam, & ideo non habet locum læsio iustitiæ, nisi violetur obligatio. Quia autem non assumpsit obligationem, nisi vt humano modo implendam, non censetur se obligasse tàm strictè, vt voluerit in administratione sui muneris excludere leuem culpam negligentiæ, nam in moralibus, quæ humano modo se habent, vtpote defectibilia, habent annexas culpas, & negligentias leues, & regulariter est adeo difficile excludere leues culpas in exercendo officio iudicis, vt habeatur pro impossibili. Et ideo, licet iudex procedat cum culpa leui, non facit contra obligationem assumptam, nec contrahit obligationem resarciendi damnum partis læsæ.

4 In foro tamen exteriori ex culpa quoque leui contrahit obligationem resarciendi damnum; sed cum hoc discrimine; nam si culpa sit lata, debet totum damnum in solidum resarcire; si verò sit leuis, debet resarcire in parte, arbitrio iudicis. vt docent Gloss. *in l. fin. ff.* De *var. & extraord. cognit.* Bald. *in Cap.* 1. *§. Iudices. num.* 1. De *pace iuram. firm. in vsib. feud.* Alex. *ibid.* Boer. *q.* 153. *num.* 12. Alexan. *in l.* 4. *§. Eum. in fine. ff.* De *dam. infec.* Dec. *in l.* 1. *§. Hæc autem. n.* 3. *ff.* Quod *quisque iur.* Bossius *tract. crimin.* Tit. *De offi ial. corrup. num.* 23. Clarus *lib.* 5. *recep. sent. §. fin. quæst.* 83. ver. *Iudex malè.* Menoch. *lib.* 2. *De arbitr. cent.* 4. *Casu* 339. Rodriquez *tom.* 2. *Quæst. Regular. quæst.* 40. *art.* 2. Suarez de Paz *in Praxi. par.* 1. *tom.* 1. *temp.* 1. *n.* 54. Bobadil. *tom.* 2. *Polit. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 27. Xammar *De offic. iudic. par.* 1. *quæst.* 17. *num.* 28. Forum enim externum diuersimodè procedit ab interno, Cap. *fin.* 17. *quæst.* 4. ibi *Iure fori, sed non iure poli*, & Cap. *Tua. De sponsalib.* & notat inter cœteros Nauar. *Cap.* 17. *Manual. num.* 177. & ideo non raro in foro externo præsumitur

mitur debitum, quod in foro conſcientiæ non eſt debitum, vt in caſu noſtro, in quo præſumitur, quod debeat iudex reſarcire etiam ex leui culpa, & dicta Inſtit. *De obligat. quæ quaſi ex delicto naſci. init. & leg. fi. ff.* De *var. & extraordin. cognit.*

5 Difficultas autem eſt, an teneatur reſarcire damnum, ſi pars læſa potens appellare, non appellet. Et affirmatiuè reſpondent Bald cum Innocent. *in leg. Obſeruare. §. Proficiſci. quæſt. 28. ff.* De *offic. Proconſul.* Calcaneus *Conſil. 1. ver. Ex quibus omnibus.* Barbatia *Conſil. 12. lib. 4.* Decius *in Cap. Sæpè num. 10.* De *appellat.* Marſil. *Sing. 646.* Angel. *in l. 4. in fine. ff.* De *damno infec.* Alexan. *ibid.* Menoch. *De arbitr. lib. 2. Centur. 4. Caſu 339* qui loquuntur quò ad forum exterius. Quæ tamen doctrina limitatur à Baldo, Decio, & Menochio, vt locum non habeat, ſi pars læſa expreſsè ratam habuit ſententiam; aut ſi expreſsè renunciauit appellationi, nam tunc non tenetur reſarcire.

6 Verum in foro conſcientiæ cum diſtinctione procedendum eſt. Vel enim pars læſa cognouit iniuſtitiam ſententiæ, & nihilominus ratam habuit, aut renunciauit appellationi, & tunc iudex non tenetur ad damnum reſarciendum, nam per huiuſmodi ratificationem, aut expreſſam renunciationem appellationis cenſetur condonaſſe iudici debitum reſarciendi, & renunciaſſe iuri proprio, quod habebat ad exigendam compenſationem, vnde extinguitur obligatio iudicis. quia ius renunciatum cenſetur extinctum, ita vt non detur amplius regreſſus ad ipſum. *l. Quæritur. §. Si vendita. ff.* De *edilit. edicto.* & *l. Si maritus. §. Si negauerit. ff.* De *adult.* Vnde extincto iure partis læſæ extinguitur etiam obligatio iudicis illius iuris correlatiua. *l. Filio. §. Matri. ff.* De *adimen. legat.*

6 Si verò pars læſa non cognouit propriam læſionem, ſed putauit ſententiam iudicis rectè procedere, non obſtante quod illam ratam habuerit, aut expreſsè renunciauerit appellationi, adhuc tenetur iudex reſarcire damnum, quia per hoc pars læſa non cenſetur renunciare iuri proprio, quod habet ad compenſationem damni; vnde nec extinguitur obligatio iudicis Neque enim quis cenſetur renũciare iuri, quod ignorat ſibi competere. *l. Mater. C.* De *inoffic. teſtam.* & *l. legitimam. ff.* De *petit hæred.* & *l. In repudianda. ff.* De *acquir. hæred.* & notant Bart. *in dict. l. Mater. C. De inoffic. teſtam.* Iaſ. & cœteri *ibidem* Socin. ſen. *Conſil. 214. ver. Circa ſecundum. lib. 2.* Curt. Sen. *Conſil. 43. ver. Iuramentum.* Crauet. *Conſil. 257. num. 2.* Menoch. *Conſil. 423. num. 50.* Alexan. *Conſil. 193. num. 1. lib. 6.* Neque enim voluntas poteſt ferri in incognitum, & ideo non poteſt velle renunciare iuri, qnod ignoratur. Quare renunciatio non trahitur ad incognita. *l. Qui cum tutoribus. ff.* De *tranſact.* & *l. Si de certa. C.* De *tranſact.*

An princeps poſsit legitimare religioſum ad ſuccedendum iure hæreditario. Quæſt. 120.

SVMMA.

1 *Illegitimus legitimatur per profeſſionem in religione approbata.*
1 *Non tamen perfectè, cum remaneat incapax dignitatum.*
2 *An legitimetur in ordine ad ſucceſſionem in bonis paternis.*
2 *Legitimatus per oblationem Curiæ Principis eſt capax ſucceſſionis.*
3 *Legitimatio per profeſſionem in religione non dat ſpecialia priuilegia legitimationis.*
4 *Religioſus cenſetur mortuus, & diminutus capite, & num. 8.*
5 *Princeps laicus poteſt legitimare religioſum ad ſuccedendum &c. ſi religio ſit capax ſucceſſionis.*
5 *Monaſterium ſuccedit in iura Monachi.*
6 *Princeps cur poſſit legitimare.*
7 *Actus legitimandi eſt priuilegiatiuus, & fauorabilis, nec requirit ſubiectionem in legitimando.*

7 Legi-

7 *Legitimatio debet acceptari à legitimato.*
8 *Religiosus succedit ab intestato.*
9 *Mors ciuilis quando æquiparetur naturali, & veniat appellatione mortis.*
9 *Fictio non habet locum, nisi in casibus à iure expressis.*

---

1 PER professionem in religione approbata illegitimi censentur legitimari, vt docent Bald. *in l.* 1. ver. *Iuxta hoc quæro. C.* De *Sacrosanct. Eccles.* Guliel. *De Cun. ibid.* Dec. *Authent. Ingressi. C.* De *Sacrosanct. Eccles.* Felin. *in Cap. Ex tuæ, num.*3. De *Simonia.* Roman. *Authent. Similiter.n.*17. *C.* Ad *leg. Falcid.* Alexan. *Consil.* 35.*n.*14. *vol.* 3. Franciscus De ponte *Consil.* 17. *num.* 13. Ias. *in l. Filiusfamilias. num.*3. De *liber. & posth.* Paleot. De *nothis, & spur. cap.*45. & alij, *num. sequenti* citandi. Quia cum in professione persona se dedicet Deo, abstergitur macula illegitimitatis per acquisitionem gradus, in quo constituuntur, qui diuinis obsequijs sunt mancipati. Hæc tamen legitimatio non est perfecta; nam adhuc relinquit inhabiles ad Prælaturas, & dignitates. vt habetur ex Cap. 1. *De filijs præsbiterorum.*

2 Et quamuis non pauci doceant, vt Bald. *in l.* 1. *num.* 3. *in fine. C.* De *Sacrosanct. Eccles.* Felin. *in Cap. Cum deputati. num.* 3. De *iud.* Ias. *in l. Filiusfamilias. num.*3. *ff.* De *liber. & posth.* Paleot. *De noth. & Spurijs, cap.*45.*num.*5. Lamberteng. *De iurepatron.lib.*1.*par.*2.*quæst.*2. *art.* 3. & 31. Gregorius Lopez *l.* 12. *tit.*6. *par.*1. Marta *De success. tom.*1.*par.*1. *quæst.*18. *art.* 8. *num.* 32. Io. Francisc. à Ponte *Consil.* 15.*vol.*1. Duennas *Reg.*366. *limit.*3. alios citans. Quod legitimati per professionem succedere possint in bonis paternis, hoc tamen non admittitur, neque est in vsu. Neque obstat, quod legitimus per oblationem Curiæ Principis terreni legitimetur cũ habilitate ad succedendum in bonis paternis, quia neque talis legitimatio est amplius in vsu, & quando erat in vsu, facultas succedendi in bonis paternis non erat ex vi talis legitimationis, sed ex speciali beneficio Principis in remunerationem talis oblationis.

3 Vnde ex legitimatione per professionem non haberi ius ad succedendum in bonis paternis, docent Palud. in 4. *dist.*41.*quæst* 3. *art.* 2. *n.*14. D Antonin. 3. *par. tit.*1.*cap.* 27.§. 1. Salzedo *in Practica.cap.*14. Couaruu. 4.*Decret. par.* 2. *cap.*8.§.7. *num.* 4. Suarez 3.*par. tom.*5. *disp.*50.*sect.*5.*num.*16. Sanchez *lib.*5.*Sum. cap.*5. *num.*26. Et ratio est, quia talis legitimatio est quædam generalis legitimatio, & proinde non continet specialia priuilegia legitimationis, & habilitates, quæ indigent speciali forma legitimationis, vt censeantur concessæ, vt constat de habilitate ad dignitates, quæ non conceditur per talem legitimationem Cap. 1. *De Filijs præsbiteror.*

4 Hac autem doctrina supposita difficultas est, an Princeps Laicus possit legitimare religiosum ad effectum succedendi. Et pro parte negatiua facit, quod religiosus est mortuus ciuiliter, & mors ciuilis æquiparatur naturali, & cũ mutet omnino statum, & desinat esse, sui iuris, & transferatur in alterius potestatem, censetur capite minutus, vt ait Gloss. *Auth. De monachis.* §. *Si quis autem.* ver. *Illud.* verbo. *Voluerit.* Innocent. *in Cap. In præsentia. num.*7. De *probat.* Hostiens. *ibid. num.*11. Vnde non est capax ciuilis habilitationis, quia se habet tanquam si non esset.

5 Sed tenendum est, quod Princeps laicus possit legitimare Religiosum ad effectum succedendi, si Monasterium sit capax successionis. Ita etiam docet Ripoll. *De regal. cap.*22. *num.*75. Dixi, si Monasterium sit capax bonorum. quia cum profitens se tradat in potestatem religionis, & in ipsam transferat omnia iura, ita vt Monasterium succedat in iura profitentis, & quicquid Monachus acquirit, Monasterio acquirat, §. *Si qua mulier.* Authent. De *Sanctis. Episcop.* & §. *Illud quoque.* Authent. De *monach.* & Authent. *Ingressi. C.* De *Sacrosanctis Eccles.* & Cap. *Si qua mulier.* & Cap. *Quia ingredientibus.* 19. *quæst.*3. Si Mona-

naste-

nasterium non esset capax successionis, nec etiam esset capax Religiosus.

6 Ratio autem est, quia stante capacitate Religiosi ad successionem, quã habet ratione religionis, est etiam capax, vt ab ipso auferatur impedimentum, quod impedit successionem, atque adeo quod legitimetur ad effectum succedendi. Cum enim princeps habeat facultatem legitimandi ratione supremi dominij, & vniuersalis, per quod potest disponere de bonis laicorum saluo ipsorũ particulari dominio, atque adeo præscribere regulas successionum, & translationum eorundem bonorum *Tit.toto.* Authen. *Quibus modis Natur. effic. legit.* & Cap. *Per venerabilem. Qui filij sunt legitimi* Bald. *in l. Cum filios. ff.* De *nullit. testam.* Alexan. *Consil.*138. *num.*1. *lib.* 1. & *Consil.*70. *num.*5. *lib.*6. Dec. *Consil.*392. *num.*4. *lib.*3. Paris. *Consil.*1. *num.*2. *lib.*2. poterit ita disponere, vt etiam religiosus illegitimus succedere possit, non secus ac si esset legitimus; sicut etiam potest disponere de cœteris, & quod potest concedere laicis, poterit etiam cõcedere religioso, cum impotentia concedendi solum oriatur vel ex defectu potestatis in concedente, vel ex incapacitate rei concessæ in concessionario.

7 Neque obstat, quod religiosus nõ sit subditus principis laici, & quod non possit princeps exercere iurisdictionem circa religiosum. Nam legitimare importat tantum iurisdictionem priuilegiatiuam, non autem quæ exigat subiectionem in legitimato. nam legitimatio est priuilegium Principis, & beneficium ipsius, vt inquit Io. Garzias *De nobilit. Hisp. Gloss.* 21. *init.* Est enim legitimatio actus fauorabilis, vt docent Gloss. *in Authent. Licet.* C. De *natural. liber.* Osascus *Decis.*119. *num.*1. *&* 6. Garzias *in Repet. l. Gallus. §. Et quid si tantum. num.* 281. De *liber. & posth.* & non sortitur suum effectum, nisi acceptetur, & rata habeatur à legitimato per ea, quæ tradit Aret. *in l. Qui absenti. ff.* De *acquir. poss.* Curt. Sen. *Consil.* 4. *in fine.* Et ideo non arguit subiectionem in legitimato, sed tantum acceptationem fauoris.

8 Et ad id, quod in oppositum affertur respond. Religiosum non esse mortuum ciuiliter, quasi in ipso extinguantur omnia iura ciuilia, sed adhuc retinere illa omnia, quorum religio est capax, & solum transfert in Monasterium, vt constat ex dictis *num.*5. Vnde succedit ab intestato, non secus ac si non esset ingressus religionem *l. Deo nobis. §. Hoc etiã* C. De *Episcop. & Cler.* vbi Bart. & docent communiter; sed solum esse mortuum sæculo quò ad contemptum rerum mũdanarum.

9 Neq. mors ciuilis æquiparatur naturali; imo neq. venit appellatione mortis, nisi in casibus à iure expressis, vt tradunt Gloss. *in Cap. Placuit. verbo.* Mortuus. 16. *quæst.* 1. & *in Cap. Susceptũ.* ver. *Non morte.* De *rescript. in* 6. Ancharan. *Consil.*438. *num.* 8. Alexan. *Consil.* 139. *num.*4. ver. *Secundo quia, lib.*2. Felin. *in Cap. In præsentia. num.*55. De *probat.* Boer. *Decis.*223. *num.* 6. Natta *Consil.* 282. *n.*8. ver. *Vel secundo potest.* Mench. *De success. creat. lib.*3. *§.*21. *num.*172. Surdus *Consil.*90. *num.*23. *&* 24. Tusch. *Littera M. Conclus.*393, *num.*1. *& sequent.* Calderin. *Consil.* 36. *in fine. seu.* 3. *De rescrip.* Pacian. *Consil.*19. *num.*10. *lib.* 1. Plaza *in Epitome Delictor. lib.*1. *Cap.* 23. *num.* 11. *ver. De morte ciuili.* Fusar. *De substit. quæst.*430. *num.*15. Riccius *collectan.*531. Acacius *De priuileg. parent. Priuileg.* 1. *cap.*9. *num.* 14. Ferdinan. Vasquez *in controuer. vsu frequent. lib.*2. *cap.*27. *n.*15. Rota *Decis.*543. *num.* 1. *par.* 2. *Recentior.* & latè Castil. *tom.*1. *controuer. De Vsufructu cap.* 64. & habetur ex *l. Statius Florus. §. Cornelio. ff.* De *iure fisci.* Cum enim mors ciuilis sit quædam fictio mortis, non vera mors, non habet locũ, nisi quando ius decernit huiusmodi fictionẽ. Est enim fictio prouisio legis assumentis falsum pro vero, vt tradunt cõmuniter Doctores Bar. *in l. Si is, qui pro emptore. n.*21. *ff.* De *vsucap.* Ias. *ibid. n.*168. Curt. iun. *Consil.*4. *n.*1[illegible]. Alciat. *par.*1. *De præsump. in prælud. n.*2. Beroius *in Cap. At si Clerici. num.*110. De *iudic.* Et ideo non potest habere locum, nisi vbi lex disponit.

An

An Clericus, cui est concessum patrimonium sub conditione, quod solum censeatur concessum, si sacros ordines susceperit, possit ordinari. Quæst. 121.

SVMMA.

1 *Patrimonium ordinandorum debet verè ab ipsis obtineri.*
1 *Conditio casualis impedit ortum obligationis.*
2 *Patrimonium concessum sub conditione,* Si ordinetur, *est sufficiens pro ordinatione.*
2 *Potest quis ordinari ad titulum beneficij, etiamsi non sit percepturus fructus, nisi fiat presbiter.*
3 *Obtento fine legis censetur lex seruata.*
3 *Finis Tridentini, ob quem requirit patrimonium, aut beneficium, &c. in ordinandis.*
4 *Patrimonium sub conditione,* Si ordinetur, *excludit transgressionem Decreti Tridentini.*
5 *Purificatio conditionis facit, vt actus perinde se habeat, ac si purus ab initio fuisset.*
6 *Episcopus potest ordinare habentem patrimonium sub conditione,* Si ordinetur.
6 *Quando conditio est casualis respicitur tempus contractus, non tempus conditionis.*

1 Pars negatiua videtur colligi ex Concil. Trident. *Sess.* 21. *cap.* 2. De *reformat.* vbi præcipit, quod non possit quis ordinari ad titulum patrimonij, nisi verè illud possideat. ibi *Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicauerit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri.* Patrimonium autem concessum sub conditione nondum existente, verè non obtinetur ab ordinando, quia conditio casualis, qualis est præsens, vtpote dependens ex futuro euentu casuali, impedit, ne obligatio oriatur patrimonium tradendi. *l. Cedere diem. ff.* De *verbor. significat.* vbi Gloss. *verbo. Pendente.* & *l. Non omnis. ff. Si cert. pet.* & cōmuniter DD. *in l. Item quia. §. fin. ff.* De *pactis* Gloss. *verbo. Alij.* Bald. *num.* 2. *in* 2. *lect.* Angel. *num.* 5. Mantica *de Tacit. & ambig. lib.* 14. *tit.* 41. *num.* 1. Rota *Decis.* 557. *num.* 3. *par.* 3. *Recent.*

2 Hoc tamen non obstante tenendum est, quod possit ordinari ad titulum Patrimonij concessi sub conditione, quod suscipiat sacros ordines. Et hoc est conforme doctrinæ illorum, qui docent, quod potest quis ad titulum beneficij promoueri ad Subdiaconatum, & Diaconatum, etiamsi non lucretur fructus, nisi post susceptum præsbiteratum, vt tradunt Garzias *par.* 2. *de benef. cap.* 5. *n.* 110. Vulpes *in Praxi fori Eccles. cap.* 8. *num.* 11. Barbosa *par.* 2. *De potest. Episcopi alleg.* 19. *num.* 29. Armendar. *in Addit. Recopil. leg.* Nauar. *lib.* 2. *tit.* 8. *l.* 1. *De patrim. Cler. num.* 11. nam cum fundus patrimonij non requiratur, nisi propter fructum, idem est in hoc casu, quod fructus non sint habendi, nisi sub conditione futura, & quod sub eadem conditione sit habendus fundus.

3 Ratio autem est. quia, quando obtinetur finis intentus à lege, censetur lex obseruari, cum magis sit attendenda mens legis, quàm ipsa verba. *l. Scire leges. ff.* De *legib.* & *l. Non aliter. ff.* De *legatis.* 3. & *l. Nominis, & rei. §. Verbum ex legibus. ff.* De *verbor. significat.* Lex namque præscribit, quod mandat, vt assignet medium pro obtinendo fine à se intento; & ideo quoties finis obtinetur, censetur adimpleta lex in exequutione medij præscripti. Ex concessione autem patrimonij sub conditione, quod solum valeat, si concessionarius suscipiat ordines sacros, habetur finis legis Tridentini. Nam Concilium ideo requirit, quod ordinandus habeat patrimonium, aut

aut beneficium, vt vitetur, ne *Qui diuino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicent, aut sordidum aliquem quæstum exerceant*, vt habetur ex proemio legis, ex quo desumitur causa finalis, & mens legis. Cap. *Ex multa. §. Requisiuisti.* De *voto.* ergo dicta concessio sicut est sufficiens ad obtinendum finem legis, ita etiam ad obseruantiam ipsius.

4 Quod amplius confir. Talis concessio patrimonij conditionata facit, vt necessariò excludatur transgressio legis, ergo est etiam sufficiens, vt ordinatio fiat secundum præscriptionem ipsius. Anteced. patet, nam si facta huiusmodi concessione concessionarius non ordinatur, non violatur lex, cum non fiat aliquid contra præscriptum ipsius. Si verò ordinatur, iam valet concessio patrimonij, & sortitur suum effectum, quia purificatur conditio. *l. Si quis sub conditione. ff.* Si *quis omissa causa.* & *l. Cedere diem. ff.* De *verbor. significat.* & *l. Si quis fundum. ff.* De *contrahen. empt.* Vnde semper in euentum ordinationis est certa prouisio de debito patrimonio iuxta dispositionem Tridentini.

5 Neque obstat, quod pro parte negatiua allatum est *num.* 1. nã Resp. quod habens patrimonium sibi concessum sub conditione, *si ordinabitur*, verè illud obtinet, quando ordinatur; quia tunc purificatur conditio, quæ facit, vt concessio patrimonij perinde se habeat, ac si ab initio pura, & absoluta fuisset. *l. fin. §. 1. ff.* De *vulg. substit.* vbi Angel. & Alexan. & *l. Si pupillus. ff.* De *condit. instit.* & *l. fin. §. Cum mihi.* ver. *Sed rursus. ff.* De *verbor. obligat.* vbi Aretin. & *l. Sed si de sua. §. fin. ff.* De *acquir. hæred.* Vnde seruatur præscriptio Concilij Tridentini, quod qui ordinatur verè obtineat patrimonium.

6 Ex quibus deducitur, quod non solum Clericus potest in foro conscientiæ accedere ad suscipiendos ordines cũ patrimonio sub dicta cõditione sibi concesso; sed etiam, quod in foro fori possit Episcopus ipsum admittere ad ordinationes, dummodo illi constet, quod concessio Patrimonij sit vera, & realis, & implenda posita conditione ordinationis. Nam, quando conditio est casualis, vt est, de qua loquimur, respicitur tempus contractus, non autem tempus, in quo impletur conditio, quia conditio retrotrahitur, & ex tunc censetur extitisse. *l. Si filiusfamilias. ff.* De *verbor. obligat.* vbi Bart. & alij. & *l. 2. §. Ea quoque. ff.* De *collat. bonor.* & *l. fin. ff.* De *stipulat. seruor.* & *l. Quæ legata. ff.* De *reg. iur.* & tradunt Dec. *ibid.* & *in l. Qui balneum.* & *in l. Qui potior. ff.* Qui *potior. in pign. hab.* Ias. *in l. Si is, qui pro emptore. ff.* De *vsucap.* Asinius. *tract. De exequut. §. 7. cap. 93.* Bald. *in l. 1. in fine.* C. De *nundinis.* Aret. *in l. Hæres quandoque. in fine. ff.* De *acquiren. hæred.* Negusant. *De pignorib. memb. 1. par. 5. num. 14.* Tiraquel. *De retract. lignag. §. 1. Gloss. 10. num. 72.* Leand. Calcagnet. *tract. De condit. par. 2. cap. 1. quæst. 106.* alios citans. Lasarte. *De decim. vendit. cap. 3. num. 10.* Gironda *De gabel. par. 6. num. 5.* Guttierez *item De gabel. lib. 7. quæst. 122.* Et ideo res eodem pacto se habet, ac si ab initio patrimonium fuisset absolutum, & purum.

An ingrediens vespere annum requisitum ad aliquem ordinem sacrum, possit mane eiusdem diei illum ordinem suscipere. Quæst. 122.

SVMMA.

1 *Annus determinatus pro ordinibus sufficit inchoatus.*
2 *Praxis ita interpretatur legem fundatam in iure communi, & in dispositione Tridentini.*
3 *Ingressus aliquem annum peruenit ad ipsum, nec est ante illum.*
4 *Ingrediens vespere annum requisitum potest mane antecedenti ordinari secundum aliquos.*
4 *Modica non sunt in consideratione.*
5 *Ingrediens vespere annum requisitum non potest mane antecedenti ordinari.*

6 *Annus*

6 Annus præcedens eſt ſecundum omnes ſuas partes ante ſubſequentem, & qui eſt in aliqua parte illius, eſt ante annum ſubſequentem.

7 Tempus determinatum à lege computatur de momento in momentum.

---

1 SVfficere annum inchoatum, quod iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini requiritur pro ſuſcipiendo aliquo ordine ſacro, docent cõmuniter Nauar. *in Manuali Cap.* 25. *num.* 116. Gutierez *lib.* 1. *Quæſt. Canon. cap.* 26. *num.* 8. Henriquez *lib.* 10. *Sum. cap.* 19. §. 2. Garzias *par.* 7. *De benefic. cap.* 4. *num.* 21. Rodriquez *tom.* 3. *Quæſt. Regul. quæſt.* 23. *art.* 6. Maiolus *De irregularit. lib.* 1. *capit.* 3. *num.* 8. Coninch. *De Sacram. diſp.* 20. *num.* 102. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæſt.* 39. *art.* 2. Sayr. *lib.* 4. *Clau. Reg. cap.* 14. *num.* 4. Ledeſma *par.* 1. *Sum. tract. De Sacram. Ordin. cap.* 7. Auila *De cenſur. par.* 3. *diſp.* 5. *dub.* 7. §. *Notandum vndecimò*. Leo *par.* 1. *Theſauri Fori Eccleſ. Cap.* 4. *num.* 31. Campanil. *in Diuerſor. iur. Rubr.* 7. *cap.* 3. Bonacina *diſp.* 8. *De Sacram. quæſt. vn. pun.* 5. *num.* 14. Acunha *in Cap. Nemo. num.* 1. *Dist.* 78. Barboſa *De poteſt. Epiſcopi par.* 2. *alleg.* 16. *num.* 1. & *lib.* 1. *De iure Eccleſiaſt. cap.* 33. *num.* 88. & *cap.* 37. *num.* 3. Spinus *in Speculo. teſt. Gloſſ.* 3. *Tit. De Capel. num.* 37. Lopez *par.* 2. *Inſtruct. cap.* 33. Salzedo *Ad Practicam Diaz. Cap.* 26. §. *Ante legitimam ætatem*. Diana *par.* 2. *tract.* 16. *Reſol.* 27. Vulpes. *in Praxi Fori Eccleſ. cap.* 7. *num.* 3. & *cap.* 8. *num.* 4. Sanchez *lib.* 7. *Conſil. Moral. cap.* 1. *dub.* 33. *num.* 4. Gaſpar Hurtad. *De Sacram. Ordin. difficul.* 21. *ver. Sed quamuis. in fine*. Marchin. *tract.* 1. *De Sacram. Ordin. par.* 5. *cap.* 2. Villalobos *par.* 1. *Sum. tract.* 11. *difficul.* 11. *num.* 2. Reginal. *in Praxi Fori pœnit. lib.* 30. *tract.* 3. *num.* 166. Hieron. Rodriquez *in Compen. Quæſt. Regular. Reſol.* 106. *num.* 9. Et ita declaraſſe S. Congregationem, refert Gallemart. *ad Concil. Tridentin. ſeſſ.* 23. *Cap.* 12. *De reformat.*

2 Et hoc conſtat ex praxi communi, & obſeruantia ſubſequuta, quæ optimè interpretatur legem. *l. Si de interpretatione. ff.* De *legibus*. & *l. Si hæres. ff.* De *act. empt.* & Cap. *Cum veniſſent. De inſtit.* & Cap. *Cum dilectus.* De *conſuetudine*. Hæc autem obſeruantia ſubſequuta habet fundamentum primo in iure antiquo, nam ſecundum ipſum ſufficiebat, quod annus aſſignatus pro aliquo ordine eſſet incœptus. ex Clement *Generalem. De ætat. & qualit. ordin.* Vnde cum ſit vitanda correctio iuris, quantum fieri poteſt, dicendum eſt, quod Tridentinum debeat accipi de anno incœpto aſſignato pro quolibet ordine. Secundo in diſpoſitione Concilij Trident. nam *ſeſſ.* 24. *Cap.* 12. *De reformatione* decernit, eum poſſe eſſe Curatum, qui attingit annum vigeſimum quintum, ergo etiam poteſt fieri Sacerdos, quia Curatus debet eſſe Sacerdos.

3 Fundatur etiam in iure communi. nam qui eſt ingreſſus aliquem determinatum annum, dicitur perueniſſe ad ipſum. *l. Qui filium.* §. *Fabius Antonius. ff.* Ad *Senatuſconſul.* Et obſeruat Corneus *Conſil.* 213. *num* 7. *vol.* 1. Gutierez *lib.* 1. *quæſt. canon. cap.* 26. *num.* 10. Sanchez *citat.* Qui autem peruenit ad aliquem annum, non eſt ante illum annum, & ſic verificatur diſpoſitio Tridẽtini, quod ingreſſus annum vigeſimum ſecundum non ſuſcipiat Subdiaconatum ante annum vigeſimum ſecundum. Neque de hoc eſt aliqua difficultas. ſolum dubitatur, an qui veſpere ingreditur annum aſſignatum pro aliquo ordine ſuſcipiendo, poſſit mane præcedenti illum ſuſcipere?

4 Et affirmatiuè reſpondet Ledeſma *par.* 1. *Sum. tract. De Sacramento ordin. cap.* 7. & hanc opinionem non minus probabilem, quàm oppoſitam exiſtimat Diana *par.* 2. *tract.* 16. *Reſol.* 27. ver. *Hæc ſententia*. Quia cum parum diſtet, non cenſetur diſtare, cum modica non veniant in conſideratione. *l. Quamuis. ff.* De

De *condit. & demonstrat.* & Cap. *Coram dilecto.* De *offic.* Delegati.

5 Sed hæc opinio omni probabilitate caret; & ideo oppositum tradunt Villalobos *par.1. Sum. tract. 2. dub. 11. num. 2.* Pontius *lib. 7. de Matrim. cap. 65. num. 1.* Sanchez *lib. 7. Consi. moral. cap. 1. dub. 23. num. 6.* Didacus De Narbona *in Annalib. iur. anno 22. quæst. 1. num. 10.* Quæ sententia mihi prorsus certa videtur.

6 Ratio autem est, quia annus v. g. vigesimus secundus debet diuidi ab anno vigesimo primo, cum sint anni distincti, & facientes numerum, & proinde debet assignari aliquis terminus, in quo diuidantur. ita vt totum tempus, quod est ante hunc terminum, sit de anno vigesimo primo, & quod subsequitur, sit de anno vigesimo secundo. Ex hoc autem fit, quod qui est in tempore antecedente dictum terminum, sit ante annum vigesimum secundum, quia nondum peruenit ad terminum anni vigesimi primi, nec ingressus est annum vigesimum secundum. ergo qui solum vespere peruenit ad terminum anni vigesimi primi, & ingreditur annum vigesimum secundum; & mane antecedenti ordinatur, suscipit ordinem contra dispositionem Concilij Tridentini, quia suscipit ante annum præscriptum pro illo ordine, ita vt nullo pacto verificari possit, quod non susceperit ante annum, quem vespere ingreditur, cum adhuc ducat annum antecedentem, nec possit verificari, quod annus præcedens non sit secundũ omnes suas partes ante annum subsequentem. Quia quando sumus in successiuis, & attenditur ipsa successio, assignato subsequenti, non potest proipso substitui antecedens, sed debet excludi secundum se totum, cum secundum se totum segregetur à subsequenti. Et hæc ratio est adeo euidens, vt non possit in dubium reuocari.

7 Hinc in iure statuitur, quod quotiescunque à lege definitur certum, & determinatum tempus, debeat computari de momento ad momentum, vt expresse habetur *in l. Denique Diuus. S. Minorum. ff.* De *minoribus*. & notant alijs relatis Gomez *ad leg. 70. Tauri. num. 25.* Lamberteng. *De iurepatronat. lib. 2. par. 2. quæst. 1. art. 14.* Vnde opposita sententia est contra expressam determinationem iuris, & corruit fundamentum ipsius; nam, quando terminus temporis assignatur à iure, non habet locum, quod Parum distans nõ censeatur distare, quia tempus debet computari de momento ad momentum.

An Monitorium pro reuelando, an aliquid sit factum, afficiat non reuelantes, si iuste factum sit, quod prætenditur reuelari. Quæst. 123.

S V M M A.

1 *Monitorium non obligat ad reuelandum, quando non est iniustum, quod esset reuelandum.*
2 *Monitorium ad reuelandum est in fauorem iustitiæ, & eius læsionem supponit.*
2 *Excommunicatio non potest poni, nisi ob peccatum mortale.*
2 *Monitoria ad reuelandum nonnisi ex graui causa concedenda.*
3 *Cognitio probabilis de iustitia negotij an impediat obligationem monitorij ad reuelandum.*
3 *Possumus sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.*
3 *Adhibenda est interpretatio in dubijs exclusiua delicti.*
4 *An si pars, contra quã latum est monitorium, asserat, se nihil iniuste egisse, possit conscius negocij non reuelare.*

1 Quod non afficiat, & proinde quod scientes, esse factum, non teneantur reuelare, deducitur ex cõmuni sententia, quam tradunt Gabr. in

in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 3. dub. 3. Angelus *verbo*, Furtum. *num.* 41. Syluester *num.* 19. & *verbo*, Excõmunicatio 2. *num.* 4. Nauar *in Manuali cap.* 17. *num.* 14. Sotus *lib.* 5. *De iust. & iure. quæst.* 3. *ar.* 3. *ad* 1. Medina C. *De reb. restituen. quæst.* 11. *dub.* 2. Aragon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *in resp. ad* 2. *dub.* 9. & *quæst.* 66. *ar.* 5. *dub. vlt.* Salon. *ibid. Controuer.* 2. *Conclus.* 2. Petrus Nauar. *lib.* 2. *De restit. cap.* 4. *num.* 226. & *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 402. Corduba *quæst.* 3. *Sum.* & *in quæstion. lib.* 1. *quæst.* 43. *dub.* 2. & *quæst.* 64. *Casu* 4. Lopez *par.* 2. *instrut. cap.* 2. Angles *in Florib. par.* 2. *tract. De restit. Quæst. Quis sit liber à restit. dub.* 14. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 27. Sayr. *lib.* 9. *Clauis Reg. cap.* 14. *num.* 13. Azor. 3. *par. lib.* 1. *cap.* 15. Lessius *lib.* 2. *De iust. & iure. cap.* 12. *dub.* 10. *num.* 6. Suarez *De censur. disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 19. Vasquez *opusc. De rest. cap.* 5. §. 1. *dub.* 9. *num.* 55. Lazar. *De monit. sect.* 2. *quæst.* 8. & 9. Filliuc. *tract.* 14. *cap.* 1. *quæst.* 9. *num.* 40. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 6. *de oblig. denunciat. punct.* 1. §. 6. *num.* 3. Xammar De *offic. iud. par.* 8. *quæst.* 8. *num.* 37. Raynaud. De *monit. par.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 13.

2 Ratio autem est; quia monitorium ad reuelandum est ordinatum pro veritate manifestanda in fauorem iustitiæ, & proinde supponit læsionem iustitiæ, quæ sit grauis, quia excommunicatio non potest poni, vbi non est peccatum mortale. Cap. *Episcopi*. Cap. *Nemo*. & Cap. *Nullus* 11. *quæst.* 3. & Monitoria in ordine ad reuelandum non sunt concedenda ex decreto Trident. *Sess.* 25. *cap.* 3. *De reformat.* nisi ex graui causa, & maturè discussa, ergo quando pars, ad cuius instantiam conceduntur, non est læsa, quia iustè factum est, quod prætendit iniquè factum, tale monitorium non habet vim, tum quia deficit debita materia, cum non sit aliquid iniquè factum; tum quia deficit etiam intentio iudicis, nam cum iudex debeat habere suam intentionem conformem legibus, secundum quas debet in actibus iudicialibus procedere, non censetur concedere monitoria, quando iustitia non est læsa, nec habere intentionem ligandi per ipsa, nisi in ordine ad conseruandam iustitiam. Et ideo non ligat non reuelantes, quia in tantum obligantur reuelare, in quantũ esset iniustum, quod prætenditur reuelari.

3 Sed difficultas est, quæ cognitio iustitiæ sit necessaria, vt quis non teneatur reuelare. Resp. non requiri certam cognitionem iustitiæ causæ, quæ prætenditur iniusta, sed sufficere probabilẽ, vt docent Nauar. *Consil.* 34. *De sentent. Excommunicat. num.* 3. Raynaud. *De monit. par.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 13. quamuis etiam sit magis probabile, quod causa iniusta sit, nam stante opinione etiã minus probabili in fauorem illius, qui prætenditur deliquisse, potest conscius iudicare, quod nõ deliquerit, atq; adeo se non teneri ad reuelandum. Quia cum liceat sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, vt docent Medina 1. 2. *quæst.* 19. *ar.* 3. Lorca *disp.* 39. *de Actibus human. memb.* 1. Montesin. *Disp.* 29. *quæst.* 5. Vuigers *ar.* 6. *dub.* 1. *conclus.* 4. Corneius *tract.* 8. *disp.* 3. *dub.* 6. Malder. *quæst.* 19. *ar.* 5. *disp.* 86. *asser.* 3. Aragon. 2. 2. *quæst.* 63. *ar.* 4. Bannes *quæst.* 10. *ar.* 1. Gutieres *lib.* 1. *quæst. canon. cap.* 13. *n.* 23. Pontius *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 15. *num.* 4. Io. Sandhez *in Select. De Sacramen. disp.* 42. *num.* 12. Garzias De *benef. par.* 11. *num.* 361. vt alijs pluribus relatis ostendi *in Decis. moralib. Decis.* 5. *num.* 3. *& sequen.* Præsumendum est, quod pars, contra quam promulgatum est monitorium, sequuta sit opinionem minus probabilẽ, atq; adeo, quod non peccauerit. Quia quando actus potest continere delictum, & non continere, adhibenda est interpretatio, quæ excludat delictum. *l. Merito. ff.* Pro *socio.* & *l. Prætor.* §. Docere. *ff.* De *vi bonor. rapt.* & Cap. *Estote.* De *reg. iur.* & notant Abbas *in Cap. Cum tu. De testib.* Alexan. *Consil.* 127. *num.* 12. *lib.* 4. Mascar. *De probat. Conclus.* 496. Tusch. *Littera* D. *Conclus.* 165. Menoch. *lib.* 5. *præsum.* 161. *num.* 26. Farinac. *in Praxi. par.* 3. *quæst.* 85. *num.* 1. *& sequent.* Natta *Consil.* 549. *n.* 11.

4 Rursus dubitari potest, quid dicendum sit, si conscius negocij nesciat, an sit iustè, an iniustè factum, sed solum pars habens interesse testetur, se iure pro-

processisse, & nihil contra ius tertij fecisse. Resp. Considerandam esse qualitatem personæ, quæ si talis sit, vt ipsi adhibenda sit fides, poterit conscius negotij ipsi fidem præstare, & non reuelari, vt docent Graf. *par.* 1. *Decis. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 12. Lazarius *De monit. sect.* 2. *quæst.* 9. Filiuc. *tract.* 14. *c. p.* 1. *num.* 15. Rodriquez *par.* 1. *Sum. Cap.* 79. *num.* 11. Nauar. *Cap.* 27. *Manual. num.* 114. & *cap.* 25. *n.* 46. Lopez *in Instruct. Negociant. lib.* 2. *cap.* 25. Corduba *in Sum. quæst.* 181 Bonac. *tom.* 1. *disp.* 6. *De obligat. denunciat. punct.* 1. §. 6. *num.* 8. Quia, quando persona est timoratæ conscientiæ, & fide digna, potest ipsi fides adhiberi, & iuxta fidem adhibitam formari prudens iudicium, quod non teneatur reuelare. Quod tamen limitari debet, vt locum non habeat, si negotium esset talis conditionis, vt non posset ipse iudicare, an iustè processerit, an non. nam tunc licet aliàs esset fide dignus, non posset ipsi adhiberi fides, nisi testaretur, se peritos consuluisse, & ita eos censuisse.

An, qui læsit famam alterius, satisfaciat, si asserat, se habere bonam opinionem de eo, quem læsit, & quod dixit ex alieno dicto protulisse. Quæst. 124.

SVMMA.

1 *Non restituitur fama asserēdo, quod obiecta contra ipsam fuerint ex alieno dicto.*
2 *Restitutio famæ debet esse ad æqualitatem.*
2 *Resoluens detractionem in alienum dictum nō abolet prauā opinionē ex detractione.*
3 *Infert nouam læsionem bonæ opinionis.*
3 *Tenetur eodem crimine, & pœna cum auctore principali.*
4 *Deducit ad effectum alienum delictum.*
4 *Habetur pro auctore detractionis.*

1 NEgatiuè respondendum est. Quia restitutio famæ debet esse ad æqualitatem, cum sit actus iustitiæ commutatiuæ, quæ requirit æqualitatem, iuxta regulam desumptam ex D. Th. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. & 4. quam tradunt communiter Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 18. *ar.* 3. & 4. Sotus *lib.* 4. *De iust. & iure. quæst.* 6 *ar.* 4. & 5. Medina *lib.* 1. *Sum. Cap.* 14. §. 23. Nauar. *Cap.* 17. *Manual. num.* 27. Aragon. 2. 2. *quæst.* 62. *ar.* 3. & 4. Salon. *ibid.* Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 6.

2 In hac autem restitutione famæ non seruatur æqualitas, quia non aboletur opinio prauè concepta ex detractione; quamuis enim detractor dicat, quod habeat bonā opinionē de eo, cui detraxit cū tamen addat, quod audierit ex alijs, quod contra eius famam dixit, praua opinio generata adhuc habet fundamētum in alieno dicto, & proinde non aboletur, vt esset necessarium pro restitutione famæ ad æqualitatem.

3 Imo hic modus restituendi famam continet nouam læsionem bonæ opinionis, quatenus fundat detractionem in alienis dictis, & ipsam publicat tanquam ab alio proueniētē. Et proinde intēdens satisfacere in ipso actu satisfactionis assimilatur ei, qui inuento libello famoso ab alio composito, ipsum publicat, & proinde tenetur eodem crimine, & subiacet eidem pœnæ iuxta. *l. Lex Cornelia*. §. *Si quis librum*, & §. *sequenti*. *ff.* De *famos. libel.* & *l. Vnica.* C. De *famos. libel.* & notant Menoch. *lib* 2. *De arbitr. Casu* 263. *num.* 38. Schneideuuin. §. *Iniuria autem.* Instit. *De iniur.* Happrecht. *ibid. num.* 169 Gilhausen. *tract.* De *iniur.* & *famos. libel.* §. 12. *num.* 6.

4 Si enim satisfaciens non diceret, se id, quod contra famam alienam protulit, ex alijs audiuisse, aliorum dictum non læderet famam, cùm non fuerit euulgatum: vnde id dicens in actu satisfactionis, alienum delictum ad effectum perducit, & ad publicam notitiam cum graui detrimento famæ proximi, & ideo ipse censetur auctor talis infamiæ. *l. Vnica.* C. *De famos. libel.* & Cap. *Qui in alterius.* 5. *quæst.* 1.

An

An subsistat statutum cuiusdam religionis, quod electio Magistri Nouitiorum fiat à Capitulo Monasterij ex duobus, vel tribus nominatis à Generali. Quæst. 125.

S V M M A.

1 *Electio debet esse omnino libera.*
1 *Electio ad duos, vel tres coarctata est nulla.*
2 *Quando talis coarctatio non priuet debita libertate.*
3 *Statutum, quod pro electione Magistri Nouitiorum duo, aut tres proponantur à Generali, cur valeat.*
3 *Electio potest coarctari ad certum genus personarum.*
4 *Abbas potest eligi de certo Monasterio.*
5 *Coarctatio ad genus personarum iuuat electionem.*
5 *Quando duo, vel tres proponuntur non læditur libertas electionis, si etiam alij possint eligi.*
6 *Si alius eligibilis eligatur, tenetur superior ratam habere electionem.*
7 *Si electores debeant vti certis determinatis schedulis, & hæ tradantur pro duobus, aut tribus nominatis, non valet electio.*
8 *Possunt electores vti alijs schedulis à determinatis.*
8 *Precepto vtcunque coarctatiuo electionis non tenentur subditi obedire.*
8 *Obligatio specialis amittit vim, quando fit contraria iuri communi.*

1 QVia electio debet esse omnino libera, vt statuitur in Cap. *Ad fidem.* 23. *quæst.* 5. & Cap. *Vbi periculum.* §. *Cæterùm. init.* De *Elect. in* 6. & Cap. *Cum terra.* De *elect.* Electio autem coarctata ad duas, vel tres personas non est libera, quia ligatur libertas electoris, vt non possit eligere personas non nominatas, ideo talem electionem esse nullam, docent Abbas *in dictum Cap. Cũ terra. num.* 4. De *elect.* vbi etiam cœteri Doctores, & *in Cap. Vbi periculum. eodem Tit. in* 6. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 52. *ar.* 1. alter Rodriquez *in Compend. Quæst Regular. Resol.* 58. *n.* 10. Miranda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 23. *ar.* 22. *Conclus.* 3. Sigismundus à Bononia. *De elect. dub.* 52. *num.* 5. Castelin. *De elect.* Cap. 12. *difficul.* 2. *num.* 27. Megala *par.* 2. *Prompt. verbo.* Electio. *num.* 3. Lauor. *in Varijs Lucubrat. tit.* 4. *cap.* 21. *num.* 16. Peirin. *De subdito religioso. quæst.* 1. *cap.* 31. §. 8. ver. *Dico secundo.* & *De priuileg. in Addit. ad Constit. Clemen. VIII. cap.* 9. *num.* 51. Bordon. *in Consil. Regular. Resol.* 26. *num.* 26. Samuel. *De elect. tract.* 2. *controuer.* 4. *num.* 11.

2 Hoc tamen non obstante Lezana *tom.* 1. *Quæst. Regular. cap.* 15. *num.* 21. asserit, se nõ audere improbare consuetudinem, quod quando facienda est aliqua electio, duo, vel tres ex dignioribus proponantur, quia cum secundum ius electio debeat fieri de dignioribus, non priuatur debita libertate, si duo, vel tres digniores nominentur, nec cœteris fit iniuria.

3 Quicquid tamen sit, ex alio capite dictum statutum subsistit; Nempè quia apud dictam Religionem non est quisq. habilis pro munere Magistri Nouitiorũ, sed ij solum, qui in Capitulo Generali à Definitorio pro hoc munere habiles iudicati fuerint, quorum habilitatio, quia non publicatur, sed tantum remanet catalogus apud Generalem, ideo, cum opus est, ab ipso duo, vel tres ex habilitatis proponũtur, quod est coarctare solum electiones ad certum genus personarum, nempe ad habilitatos pro huiusmodi munere. Hoc autem non derogat libertati electionis, vt tradunt communiter Panorm. *in Cap. Licet. num.* 12. & *in Cap. Cum terra. n.* 3. De *elect.* Ancharan. *ibid. n.* 2. *Calderin. in Cap. Cũ in iure. num.* 9. De *elect.* Præposit. *in Cap. Cũ locũ. n.* 8. De *sponsalib.* Dec. *in Cap. Cũ licet. num.* 46. De *elect.* Biax. *par.* 1. *Direct. elect. cap.* 6. Tabiena *verbo,* Electio. 1. *num.* 23. Syluester *verbo item.* Electio. 1. *quæst.* 23. Cuch. *lib.* 4. *Instit. maior. Tit. De elect. num.* 106. Tusch. *Littera F. Conclus.* 62. Alter. *tom.* 2. *De censur. disp.* 13. *Cap.* 5. §. *Post pœnam impositam.* Nauar. *Consil.* 7. *n.* 1. *De constit.* Sigismundus à Bononia *De elect. dub.* 52. *n.* 3. Lezana *to.* 1. *Quæst. Regular. cap.* 15. *n.* 21. Miranda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 23. *ar.* 22. *conclus.* 2. Couaruu. *De sponsalib. par.* 2. *cap.* 3. §. 6. *n.* 8. & 9. Rodriquez

driquez *to.2.quæst.Regul.quæst.*51.*ar.*11. alter Rodriquez *in Cõpend.Quæst. Regul.* Resol.58.*n.*10. Portel. *in Dub.regul.verbo*, Electio. *n.*4.Samuel.*De elect.tr.2.controu.* 4.*n.*31.Peirin.*De subdito religioso.quæst.*1. *cap.* 31.§.8. ver. *Dico secundo*.

4 Et desumitur ex Cap. *Cũ dilectus*. De *consuetudine*, vbi approbatur consuetudo, quod Abbas eligatur de certo quodam Monasterio. Et cõstat ex praxi præsertim apud Regulares, apud quos electio ad dignitates, & officia nõ fit, nisi ex certo quodam genere personarum. Designatio namque alicuius generis personarum nõ officit libertati electionis, sed potius iuuat, vt fiat secundum canones, nam præsumitur, quod vtilitas communis exigat, quod electio fiat ex tali genere, vnde hoc non est coarctare electionẽ, sed indicare, quinam sint eligibiles iuxta exigentiam publicæ vtilitatis.

5 Neq. obstat, quod Generalis non proponat electoribus omnes habilitatos à Definitorio, sed tantum duos, vel tres, quia per talem propositionem intendit facilitare electionẽ, & cõseruare secretũ de habilitatione, ne qui non sunt iudicati idonei pro hoc munere, aliquod detrimentum bonæ opinionis patiantur: non autem coarctare electionem ad nominatos; nam in dicto statuto expressè cauetur. Quod si fortè Electores alium à præscriptis velint eligere, possit eligi, si Generalis consentiat. Requiritur autem cõsensus Generalis, nc electio fiat de ijs, qui non sunt habilitati pro hoc munere. Et hoc non officere libertati electionis notant Peirin. *Quæst.*1.*De relig.subd.cap.*31. §.8. ver. *Et nota*. Bordon. *in Consil.Regul. Resol.*16. *num.* 26. *circa finem*.

6 Ex quibus sequitur. Quod si facta huiusmodi propositione duorum, vel trium à Generali, electores alium à propositis eligant, tenetur Generalis ratam habere electionem, si sit ex numero illorum, qui pro tali munere sunt approbati à Definitorio; nisi forte aliquid de nouo acciderit, propter quod indignus, aut inhabilis euaserit, vt docent Peirin. *Quæst.* 1. *de Subd. relig. quæst.* 1. *cap.*31.§.8.ver. *Et nota*. Bordon. *in Consil. regular.Resol.*16.*n* 26. Aliàs peccaret contra iustitiam, tũ quia priuaret electores iure, quod habent, eligendi tamen personam. tum quia faceret iniuriam electo, nã sine causa ipsum priuaret iure acquisito per talẽ electionẽ; & læderet bonam opinionem ipsius. Et proinde teneretur resarcire damnũ ei illatum iuxta regulas restitutionis.

7 Secundò sequitur, quod cũ in dicta religione tradãtur electoribus schedulæ, quibus fiat electio, ita vt nemo vti possit alia schedula ab acceptis, si tradantur tãtum schedulæ continentes nomina illorum, qui à Generali propositi sunt, & nõ aliorum, electio erit nulla. Desumitur ex doctrina illorum, quos *n.*1. citaui, quatenus docent, quod electio coarctata ad duos, vel tres est nulla. Dum enim tradũtur schedulæ solum pro duobus, vel tribus, & non potest elector alijs schedulis vti, quàm sibi traditis, cogitur hoc pacto ad eligendum aliquẽ ex propositis, contra determinationem Cap. *Cum terra*. De *electione*. in quo tex. reprobatur etiam consuetudo in oppositũ tanquam praua, & ideo non potest prætendi.

8 Tertiò sequitur, quod si dentur solum schedulæ pro eligendis nominatis à Generali, tunc non obstante, quod electores non possint vti alijs schedulis, quã sibi traditis, poterunt, si alium volunt eligere, formare sibi schedulas cum nomine illius, quem volunt eligere, quia non tenentur stare huiusmodi coarctationi electionis, etiã si interueniret præceptũ superioris, quia non tenẽtur obedire huic præcepto, vt notant Miranda *tom.*2.*Manual. quæst.*23.*ar.*22.*conclus.*3. ver. *Hæc inquam*. circa finem. Peirin. *Quæst.*1.*De Subd. religios. cap.*30.§.8.ver. *Et nota*. Et in tali casu cessat obligatio nõ vtẽdi nisi schedulis sibi traditis. nã ratione circũstantię euadit cõtraria iuri canonico, si quidem obseruantia ipsius redderet electionem coarctatam, & proinde remanet reprobata per dictum Cap. *Cũ terra*. De *electione*. nam reprobata consuetudine vt praua, reprobatur etiã obseruantia cuiuscumque legis, quæ contineat eandem prauitatem.

An

An Superior cuiusdam Congregationis Clericorum Sæcularium non exemptorum potuerit concedere litteras dimissorias pro ordinibus suscipiendis degentibus in eadem Congregatione. Quæst. 126.

S V M M A.

1 *Superior non exemptorum non potest concedere dimissorias pro ordinibus suscipiendis.*
1 *Concessio dimissoriarum pertinet ad Episcopos priuatiuè quò ad alios.*
2 *Abbates, & alij Exempti, Collegia & Capitula non possunt concedere dimissorias.*
3 *Abbas habens iura Episcopalia nullius Diocœsis non potest subditis concedere dimissorias.*
3 *Capitulum habens territorium distinctum, & exemptum non potest concedere dimissorias.*
3 *Concedere dimissorias est actus iurisdictionis.*
4 *Tridentinum reuocat consuetudines, præscriptiones &c. concedendi dimissorias.*
4 *Lex reprobans consuetudinem reprobat etiã superuenientem.*
4 *Lex semper loquitur, & complectitur, quæ superueniunt.*

1 Negatiuè respondendum est. quia concessio litterarum dimissoriarum pro ordinibus suscipiẽdis pertinet priuatiuè quò ad alios ad Episcopum, & solum inferiores Prælati, & Regulares possunt eas concedere, quò ad suos subditos, si habeant speciale indultum à Sede Apostolica, vt possint facere eos ordinari à quocunque Episcopo. Ita decernitur in Cap. *Cum nullus*. De *temporib. ordinat. in* 6. vbi statuitur, quod solus superior ordinandi possit has litteras concedere; & declaratur, quod in hoc casu solus Episcopus sit superior. ibi. *Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cuius Diocœsi est is, qui ad ordines promoueri desiderat, oriundus; seu in cuius Diocœsi beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habeat (licet alibi natus fuerit) domicilium.*

2 Quod etiã renouatum est in Concilio Tridentino *Sess.* 23. *Cap.* 10. *De reformatione*. vbi prohibetur Abbatibus, & Exemptis, Collegijs, Capitulis Litteras dimissorias concedere, & id tantum reseruatur Episcopo Diocœsi. ibi. *Nec ipsi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcunque, etiam Ecclesiarum Cathedralium litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, vt ab alijs ordinentur, concedant, sed horum omnium ordinatio, seruatis omnibus, quæ in huius Sanctæ Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum Diocœsis fines existant, pertineat.* Et intelligitur quò ad subditos, vt notant Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 1. *quæst.* 39. *art.* 3. Rodriquez *tom.* 2. *Sum. Cap.* 14. *num.* 9. & 11. Azor. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 49. *quæst.* 3. Sel. *in Select. canon. cap.* 19. *num.* 32. asserens sic decisum *in Theatina* 10. *Septemb.* 1621. Barbosa *ad Trident. sess.* 23. *cap.* 10. *De reformat. num.* 10.

3 Hinc Sacra Congregatio declarauit, vt habetur *in Declarat. ex Bellarmino ad Sess.* 23. Concilij Trident. *Cap.* 10. *De reformat.* Quod neque Abbas commendatarius habens iura Episcopalia, possit concedere litteras dimissorias suis subditis Sæcularibus, etiam si sit nullius Diocœsis, nec intra fines alicuius, & etiã si sui prædecessores post Concilium Tridentinum dederint. Et similiter, vt *ibid.* habetur, declarauit, quod neque Capitulum possit eas concedere, licet habeat territoriũ distinctum, & exemptum, & sit iudex ordinarius. Vnde à fortiori dictus superior non potuit concedere, quia neque etiam habet iurisdictionem, sed tantum dominium œconomicum. concessio autem dimissorialium est actus iurisdictionis, vt inter alios notant Suarez De *censur. disp.* 14. *sect.* 1. *num.* 6. Tamburin. *De iure Abbat.* *tom.* 2.

tom 2. d ſp. 2. quæſt. 28. Lezana. *verbo*. Dimiſſoriæ. *num.* 8.

4 Nec obtendi poteſt conſuetudo cum Gloſſ. *in Cap. Nullus*. verbo. *Indultum*. De *temporib. ordinat.* Quia Concilium Tridentinum citatum reuocat, & reprobat conſuetudines, & præſcriptiones etiam immemorabiles, & priuilegia in oppoſitum. Lex autem, quæ reprobat conſuetudinem, ſemper reprobat, vt notant Io. Andr. *in Cap. Certificari*. De *ſepulturis*. Butrius *ibid.* Cinus *in l.* 2. *quæſt.* 5. *init.* C. Quæ ſit *longa conſuet.* Alexan. *in l. Si mihi, & tibi*. §. *In legatis*. *n.* 7. De *legat.* 1. Iaſ. *num.* 21. *in* 1. *lect.* & *n.* 14. *in* 2. *lect.* Dec. *in Cap.* 2. *num.* 2. De *probat.* Felin. *ibid.* Alexan. *Conſil.* 193. *num.* 8. *lib.* 2. Tiraquel. *De retract. in Præfat. n.* 18. alios referens. Stephan. Gratian. *Deciſ. Marchiæ* 16. *num.* 9. Rota *in Cracouienſi iur. legendi.* 21. *Martij* 1627. *Coram Cocino*. Cum enim lex ſemper loquatur. *l. Ariani*. C. De *hæreticis*, ſemper etiam reprobat conſuetudinem ſuperuenientem, & complectitur etiam, quæ de nouo ſuperueniunt, vt notant Francus *in Cap. vnicum. n.* 1. De *exceſſibus prælat. in* 6. Geminian. *ibid. num.* 8.

An reiectus in examine ab Epiſcopo, & accedens cum fide falſa habilitatis validè ordinetur. Quæſt, 127.

S V M M A.

1 *Accedens cum fide falſa ad ſuſcipiendos ordines eſt furtiuè ordinatus.*
1 *Pœna furtiuè ordinati.*
2 *Validè tamen ordinatur.*
2 *Error perſonæ non officit Sacramentis excepto matrimonio.*
3 *Intentio interpratatiua contraria abſoluta non officit Sacramentis.*
4 *Nec etiam habitualis.*
5 *Reiectus in examine validè ordinatur etiã ſi lata ſit excommunicatio cõtra furtiuè accedentes.*
6 *Si Epiſcopus proteſtetur, ſe nolle ordinare non accedentes legitimè an remaneant ordinati*
7 *Proteſtatio contraria facto non iuuat proteſtantem.*
7 *Proteſtatio contraria facto deſtruitur per actionem ſubſequentem.*
8 *Quid, ſi ordinans intendat tantum generaliter ordinare ritè accedentes?*
9 *Quid, ſi pluribus ſimul porrigat materiam &c. & aliquis ex iis ſit ex furtiuè accedentibus?*

1 QVod ſit furtiuè ordinatus, certum omnino eſt, quia ille dicitur furtiuè ordinatus, qui ſine licentia, & approbatione ſuperioris accedit cum alijs ordinandis ad ordinem ſuſcipiendũ ignorante Epiſcopo, vt deſumitur ex Cap. 1. De *eo, qui furtiuè ordinatur*, & notat Abbas *ibid.* Et proinde certum etiam eſt, quod remaneat ſuſpenſus, & ſolum in ſuſpenſione poſſit diſpenſari ab Epiſcopo, ſi nulla ſit lata excommunicatio contra furtiuè accedentes: ſecus autem, ſi ſit lata, nam tunc ſolum poterit diſpenſari à Summo Pontifice, vt in *citato tex.* decernitur. Solum ergo difficultas eſt, an validè ordinetur.

2 Et affirmatiuè reſpondend. eſt. Iuxta doctrinam Victoriæ *in Sum. de Sacrament. Tit. De baptiſmo. num.* 34. Laiman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. Suarez *De Sacramen. diſp.* 13. *ſect.* 3. *circa concluſ.* 4. Granad. 3. *par. Controuer.* 3. *tract.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 15. *circa finem.* Coninch *De Sacrament. quæſt.* 64. *art.* 8. *dub.* 4. Portel. *in Dubijs Regularib. verbo*, Irregularitas. *num.* 10. Præpoſiti 3. *par. quæſt.* 64. *art.* 10. *dub.* 2. *num.* 79. ver. *Petes. vtrum*. Quia in Sacramentis, matrimonio excepto ob ſpecialem rationem, non requiritur, quod intentio feratur in certam perſonam abſque errore; nam ſufficit abſoluta intentio conficiendi Sacramentum circa tale ſubiectum præſens, nam error

ille

ille concomitanter se habet, nec facit, quod intentio conficiendi Sacramentũ circa tale subiectũ præsens sit cõditionata, nisi expresse apponatur conditio personæ. Stante autem intentione absoluta ministri, conficitur Sacramentum.

3 Nec obstat, quod si Episcopus cognosceret, ordinandum fuisse reiectũ in examine, non ordinaret, quia ex hoc solum arguitur intentio interpretatiua non ordinandi. Cum autem hæc intentio interpretatiua non excludat præsentem absolutam ordinandi, quæ de facto interuenit, nec etiam tollit validitatem Sacramenti, pro qua sufficit actualis intentio absoluta.

4 Rursus nec obstat, quod Episcopus reprobans ordinandum in examine habuerit intentionem non ordinandi, quia tempore ordinationis hæc intentio est tantum habitualis, & ideo non potest operari aliquid contra validitatem Sacramenti, quia causa, quæ non est in actu secundum suam virtutem causatiuam, sed solum in habitu, non potest operari, nisi fiat in actu. Econtra verò adest in actu intentio absoluta conficiendi Sacramentum, quæ est sufficiens causa validitatis, quantum est ex parte intentionis.

5 Et hæc doctrina est etiam extendenda ad casum, in quo Episcopus sub excommunicatione interdiceret, ne quis reiectus in examine accederet, vt desumitur ex Cap. *Innotuit. De eo, qui furtiuè ordin. suscep.* vbi decernitur, quod suscipiens ordinem clandestinè contra inhibitionem sub excommunicatione, possit dispensari, vt in suscepto ordine ministret, si Monasterium ingrediatur, & peracta pœnitentia ibi laudabiliter vixerit. Quamuis enim excommunicatio lata ab Episcopo arguat intentionem vniuersalem non ordinandi accedentes contra inhibitionem, non excludit tamen absolutam intentionem, & in actu exercito, cum qua circa vnamquamq; personam Episcopus ministrat Sacramẽtum, & ideo conficitur Sacramentum, cum interueniat sufficiens causa, quantum est ex parte intentionis.

6 Insuper est etiam extendenda ad casum, in quo Episcopus, antequam inciperet ordinationem, protestaretur, se nolle ordinare accedentes furtiuè, & sine debita approbatione, vt docet *Laiman. lib. 5. Theol. mor. tract. 1. cap. 4. num. 6.* Nam quamuis aliqui Recentiores teneant, quod tunc non esset ordinatus, qui sine debita approbatione accederet, vt Isambert. *3. par. q. 64. disp. vn. art. vlt.* ob defectum intentionis in ordinante stante huiusmodi protestatione, hoc tamen non subsistit, quia protestatio non tollit, quin interueniat actualis, & exercita intentio ordinandi specialiter circa vnamquamque personam ex accedentibus, cui non præiudicat vniuersalis, & confusa intentio præcedens non ordinandi furtiuè accedentes, quia intentio exercita est illa, in cuius virtute conficitur Sacramentum.

7 Vnde habet locum, quod protestatio contraria facto non iuuat protestantem. *l. In bello. §. Facti. 2. ff.* De *captiuit. & postlim. reuers.* & Cap. *Gratum.* De *offic. deleg.* & Cap. *Cum M. Ferrariensis.* De *constit.* Felin. *ibid.* Alberic. *in l. Si quis extraneus. ff.* De *acquiren. vel æmit. hæred.* Bald. *Consil. 489. lib. 3.* Oldrad. *Consil. 107. num. 10.* Cephal. *Consil. 222. lib. 2.* Surd. *Consil. 371. num. 67. volum. 3.* Tusch. *Littera P. Conclus. 944. per totam.* In casu autem nostro protestatio nedum est contraria facto, & actioni exteriori, sed etiam intentioni, quia adest intentio absoluta ordinandi quemcunque accedentem, quando actu confertur ordo, & proinde destruitur per actionem subsequentem etiam quò ad intentionem, non secus ac, si prius habuisset intentionem absolutam non ordinandi aliquam determinatam personam, & postea superueniret noua intentio ordinandi. per ea, quæ tradunt Cephal. *Consil. 122. n. 14. lib. 2.* Craueta *Consil. 463. num. 18.* & *Consil. 605. num. 5.* Surd. *Consil. 8. num. 28.* & *Consil. 136. n. 42.* Menoch. *Consil. 375. num. 28.* Rota *Decis. 539. num. 6. apud Farinac. par. 2. Recentior.*

8 Quod

8 Quod ſi dicas. ordinantem miniſtrare Sacramentum in virtute intentionis, quam habet ordinandi omnes ritè accedentes, & proinde talem intentionem non ſe extendere ad accedentem furtiuè, ſed tantum materialiter actionem Sacramentalem circa ipſum exercere, præſertim ſi adſit tantum virtualis intentio. Reſp. adeſſe veram intentionem circa ſingulos, niſi circa aliquem expreſsè excludatur; quia etiam ſi adſit tantum intentio virtualis, dum actio Sacramentalis exercetur circa fortiuè accedentem, prouenit ex tali intentione virtuali, quia, etiam ſi præceſſerit intentio in generali, fit ſpecialis ex ſpeciali exercitio circa talem perſonam. Debet enim actio illa Sacramentalis, cum ſit abſoluta, & voluntaria, prouenire ab aliqua intentione abſoluta, & cum fiat tanquam Sacramentalis, quia vt talis cognoſcitur, & eſt volita, debet prouenire ab intentione conficiendi Sacramentum. Vnde adeſt intentio ſpecialis exercendi illam actionem circa illam ſpecialem perſonam, quia omnis actus in exercitio dependet ab aliqua actuali intentione, quæ feratur circa ipſum. hæc autem ſpecialis intentio in caſu noſtro aut eſt actualis intentio conficiendi Sacramentum, aut eſt intentio exercendi actum ſecundum intentionem, quæ præceſſit, & vtroque modo ſemper actus eſt effectus intentionis conficiendi Sacramentum. Cuius rei ratio à priori eſt, quia intentio generalis non poteſt operari, niſi per aliquam aliam intentionem particularizetur, nam cauſa non operatur, niſi vt indiuidua, & ſingularis, & ſingulari modo applicata determinato ſubiecto. Vnde ſemper interuenit intentio ſpecialis in indiuiduo derogans intentioni generali non ordinandi furtiuè accedentes.

9 Maior difficultas eſſet, ſi ordinans pluribus ſimul porrigeret materiam, & vnica prolatione formæ omnes ordinaret, & aliquis ex ipſis furtiuè accederet. Sed adhuc tenendum eſt ob eamdem rationem, quod furtiuè accedens validè ordinaretur. Nam quamuis generalis intentio ordinandi ritè accedentes, ſtante intentione non ordinandi furtiuè accedentes, non ſe extendat in actu ſignato, & ſecundum ſuam generalitatem ad ipſos, extenditur tamen in actu exercito ex vi illius intentionis ſpecialis, quo miniſter ſingulis porrigit materiam, & ad ſingulos dirigit formam. cum enim ignoret, quod quis furtiuè accedat, admittit omnes, & ſingulos tanquam ritè accedentes, quia omnes, & ſingulos habet in cognitione, & in conſpectu tanquam ſuſcepturos ordinem, & ad omnes, & ſingulos indiuiſibiliter dirigit actionem Sacramentalem, quæ procedit ſaltem ex virtuali intentione conficiendi Sacramentum, & ideo in ſingulis ſortitur ſuum effectum. Hinc eſt diuerſa ratio de eo, qui intendens conſecrare tres hoſtias nempè primam, quam videt, & duas immediate ſuppoſitas, non conſecrat quartam, ſi adſit, nam intentio non fertur in actu exercito ad quartam; at in caſu noſtro intentio ordinantis fertur in actu exercito ad omnes, & ſingulos, vt conſtat ex dictis.

An regularis expoſitus ad audiendas confeſsiones virorum tantum à ſuis ſuperioribus, & approbatus ab Epiſcopo validè miniſtret Sacramentum pœnitentiæ Mulieribus. Quæſt. 128.

S V M M A.

1 *Affirmatiua ſententia.*
2 *Quando regularis expoſitus pro confeſſionibus audien. ſolum viror. poſſit etiam audire mulieres.*
2 *Regularis eſt capax iuris proprij ſpiritualis.*
3 *Regularis habens iuriſdictionem ab Epiſcopo audiens confeſſiones contra proprias conſtit. an, & qualiter peccet.*

An

3 *An regularis, violans Constitutiones non obligantes ad peccatum, peccet.*
4 *Regularis expositus pro solis viris, inualidè audit confessiones mulierum.*
5 *Regulares habent iurisdictionem à Pontifice pro audiendis confessionibus.*
6 *Dependenter tamen à voluntate superiorum.*
7 *An priuilegia Regularium quò ad audiendas confessiones sint derogata per Triden.*
7 *An Regularis iniustè ob Ordinario reprobatus, possit audire confessiones.*
7 *Lex noua trahitur ad dispositionem veteris, quando hæc procedit in casu particulari, & illa in generali.*
8 *Episcopus approbat Regulares pro confessionibus, quatenus à superioribus præsentantur.*
9 *Voluntas facientis actum præsumitur conformis legibus.*
9 *Actus non operatur vltra intentionem agentis.*

---

1 AFfirmatiuè videtur resp. per ea, quæ tradunt Pitigian. *in* 4. *tom.* 2. *dist.* 17. *quæst. vnica . art.* 4. *dub.* 1. Nugnus 3. *par. in Supplem. quæst.* 8. *art.* 5. *dub.* 8. Salas *disp.* 16. *De legib. sect.* 10. *n.* 43. Angles *in Florib. Quæst. de confess. art.* 8. *difficult.* 1. Io. à Cruce *De statu religioso lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 2. *Conclus.* 2. Homobon. *par.* 1. *Examin. eccles. tract.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 13. Miranda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 45. *art.* 11. *&* 12. Villalob. *par.* 1. *Sum. Tract.* 9. *dub.* 50. *num.* 4. Megal. *par.* 1. *Instit. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 8. Quos sequitur Diana *par.* 1. *tract.* 11. *Resol.* 13. ver. *Sed affirmatiuam*. Quia validitas Sacramenti dependet à potestate ordinis, & iurisdictione. Regularis autem approbatus ab Episcopo habet tàm potestatem ordinis, quàm iurisdictionem. Et proinde docēt dicti Auctores, quod habens licentiā ab Episcopo audiendi confessiones, potest eas audire absq. licentia sui Superioris.

2 Hæc sententia vera est, quando Episcopus intendit in approbatione cōferre iurisdictionem, quia cum possit eam cuilibet Sacerdoti idoneo communicare, & Regularis Sacerdos sit capax talis iurisdictionis independenter à voluntate superiorum, quia in professione non renunciat iuri spirituali, aut quasi spirituali, vt tradidi cum D. Th. & aliis *Centur.* 1. *Quæst. moral. Canon. Quæst.* 15. *num.* 3. potest talem iurisdictionem acceptare independenter à voluntate Superiorum. Neque enim est iurisdictio, quæ transeat in Monasterium, sicut transeunt iura religiosi circa temporalia, sed est merè personalis.

3 Si tamen audiret confessiones contra prohibitionem suarum Constitutionum præcipientium, quod non audiat, nisi quatenus sit expositus, non est statim damnandus peccati mortalis, vt damnat Peregrinus *Ad constit. Clericor. Regular. par.* 1. *cap.* 5. §. 5. & alii ex citatis, quia interuenit sola violatio Constitutionum, ex quarum obligatione dependet, quod peccet, vel non peccet. quia si obligant ad mortale, peccabit mortaliter; secus autem si non obligant, vt notant Molfes. *par.* 1. *Sum. tract.* 7. *cap.* 14. *num.* 87. Megala *par.* 1. *Sum. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 8. Diana *par.* 1. *tract.* 11. *Resolut.* 13. ver. *Restat modo*; & alii. Est tamen aduertendum, quod peccabit venialiter, etiam si neque ad peccatum veniale obligent Constitutiones, non ex vi ipsarum constitutionum, sed ex vi legis naturalis. Nam inuertet ordinem præscriptum à Constitutionibus pro regulari obseruantia, & proinde lædet ipsā; vnde subintrat lex naturalis obligans ad uitandam læsionem communitatis, & adstringens membra ad cooperandum bono communi, & conseruationi corporis, contra quam facit, qui violat Cōstitutiones.

4 Difficultas igitur solum est, an Regularis expositus à suo superiori solum pro audiendis confessionibus virorum, & approbatus regulari modo, validè audiat confessiones mulierum. Et negatiuè respondendum est, quia regulari, & consueto modo approbatus, quo solent approbari Regulares, non

non habet iurisdictionem quò ad mulieres. & ita tenet Angel. apud Adrian. *in* 4. *Quæst*. 1. *de Confess. dub*. 1.

5 Ratio est. quia Episcopus in approbatione Regularium pro audiendis confessionibus non confert iurisdictionem, sed iudicat de idoneitate. Habent enim Regulares iurisdictionem à Summo Pontifice, vt constat ex Extrauag. *Inter cunctas*. De priuileg. ibi, *Electi igitur ab iisdem Fratribus ad audiendas confessiones, & pœnitentias iniungendas liberè auctoritate Apostolica absque licentia Diocœsanorum, & aliorum Prælatorum inferioru exemptorum, & non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant, eis peccata sua confiteri volentes*. Et infra statuitur, vt pro seruando debito honore Diocœsanorum, Superiores significent ipsis, quos deputauerint ad confessiones audiendas. & ex *Const*. Clementis IV. quæ incipit, *Exigentibus*! & Ex priuileg. Systi IV. *Ordin. Prædicatorum in Bulla*, Quæ incipit, *Sedis Apostolicæ. sub die* v. *Id. Iunij* 1477. & à Paulo III. *Societati Iesu die* 3. *Iulij* 1545. in Bulla *Cum inter cunctas*, & à Paulo IV. *in Bulla Ex Clementi. die* 1. *Iulij*. 1556.

6 Habent autem Regulares iurisdictionem ex Auctoritate Apostolica pro audiendis confessionibus, quatenus à suis superioribus exponuntur, vt ex priuileg. *num. præced*. citatis præsertim ex Extrauag. *Inter cunctas*. & etiam ex Clement. *Dudum*. De *Sepulturis*. Et ideo illam solum participant secundum mensuram, secundum quam exponuntur à suis superioribus ad confessiones audiendas, cum exercitium talis iurisdictionis ex constitutionibus Pontificum sit alligatum voluntati eorum. Et ideo expositus pro solis viris non habet iurisdictionem quò ad mulieres.

7 Neque Concilium Trident. *Sess*. 23. *Cap*. 15. *De reformatione* derogat dictis priuilegijs, & Constitutionibus Pontificijs, vt contra Suarez *Disp*. 28. *De pœnit. sect*. 5. *num*. 15. docent Nauar. *Cap*. 27. *Manual. num*. 162. Palat. *in* 4. *dist*. 17. *disp*. 7. Henriquez. *lib*. 3. *Sum. Cap*. 6. *n*. 4. Graff. *lib*. 1. *Decis. Cap*. 13. *num*. 49. Cened. *Quæst*. 38. *canon. num*. 20. & 21. Facundez *præcep*. 2. *Eccles. lib*. 7. *cap*. 12. *num*. 15. Rodriquez *tom*. 1. *Quæst. Regul. quæst*. 59. *art*. 2. & *in Bullam Cruciatæ*. §. 9. *dub*. 1. *num*. 33. Diana *par*. 3. *tract*. 2. *Resol*. 24. & *par*. 5. *tract*. 13. *Resol*. 45. Gammachæus. 3. *par*. *De Sacram. pœnit. Cap*. 18. Cœlestin. *in Compend. Theol. Moral. tract*. 1. *cap*. 16. *num*. 1. & *cap*. 14. *quæst*. 2. Cochier. *De iurisdict. Ordinar. in Exemp. par*. 4. *quæst*. 27. Laiman. *lib*. 4. *tract*. 6. *cap*. 11. *num*. 4. Finel. *De casib. reser. cap*. 3. *num*. 3. Villalob. *par*. 1. *Sum. tract*. 9. *difficul*. 53. *num*. 6. Zerola *in Praxi Episcop. par*. 1. *verbo*, Confessores. §. 2. Peirinus. *Quæst*. 1. *De subdito Religioso cap*. 21. §. 2. Miranda *tom*. 1. *Manual. quæst*. 45. *ar*. 6. Io. à Cru ce *De statu relig. lib*. 2. *cap*. 6. *dub*. 1. Ledesma *par*. 1. *Sum. tract. De Sacram. pœnit. cap*. 13. Corduba *in Addit. ad Priuileg. Mendicant. Tit*. Præsentatio *Confessorum*. Hieron. Rodriquez *in Compend. Quæst. Regular. Resol*. 32. *num*. 4. qui asserit, adhuc approbationem Regularium esse perpetuã in virtute dictæ Clement. *Dudum*, & ita declarasse Pium V. vt habetur in *Bulla* 7. *ipsius in Bullar. num*. 4. Quia nimirum hoc priuilegium non est amplius priuilegium, sed lex, cum sit insertum in corpore iuris, cui non derogatur absque mentione speciali. Vnde inferunt dicti Doctores, quod præsentatus Ordinario, si absque iusta causa non approbetur, potest nihilominus audire confessiones. Quia cum sit vitanda correctio legum, quantum fieri potest, Decretum Tridentini est accommodãdum dispositioni Clement. *Dudum*. & extrauag. *Inter cunctas*. De *priuilegijs*, quia quando lex noua procedit vniuersaliter, sicut procedit Decretum Tridentini, & lex vetus procedit in casu particulari, noua non reuocat antiquam, sed trahitur ad sensum illius, vt probat latè Nauar. *Cap. placuit. num*. 147. De *pœnit. Distinct*. 6. & ideo est dicendum, quod Tridentinum requirat approbationem Ordinarij sine qua nullus possit excipere confessiones, quando Ordinarius iustè procedit

exci-

excipere confessiones, quando Ordinarius iustè procedit in concedendo, vel denegando, non autem, quando iniustè denegat. Deinde. dato, quod approbatio esset absolutè necessaria, reuocatio priuilegiorũ facta per Trident. est tantũ quatenus ex vi priuilegiorum non erat necessaria approbatio, nõ autem quò ad concessionem iurisdictionis factam à Põtifice. Vnde Trident. non reuocat talem iurisdictionem, sed tantum addit conditionem, nempè approbationem Ordinarij, cum qua sit exercenda. Et proinde dictam Clemen. non esse sublatam quò ad formam præsentandi, tenent etiã Bartolom. à S. Fausto *tom. 3. tract. De pœnit. lib. 6. quæst. 100.* Barbosa *De potest. Episcopi. par. 2. allegat. 25. num. 47. in fine.*

8 Quod autem Episcopus in regulari approbatione non intendat dare iurisdictionem, ex eo desumitur, quod approbat, quatenus iuxta formam Clemen. *Dudum. De sepulturis.* & Extrau. *Inter cunctas. De priuileg.* præsentantur à suis Superioribus, vt docent Henriquez *lib. 5. Sum. cap. 6. num. 6.* Facundez *Præcep. 2. Eccles. lib. 7. cap. 2. num. 33.* atque adeo solum approbat quò ad idoneitatem, quia præsentantur tanquam habentes iurisdictionem, & solum iudicandi quò ad idoneitate n.

9 Et ratio est. Quia voluntas facientis actum semper præsumitur conformis dispositioni legum. *l. Hæredes mei. §. Cum ita. ff.* Ad *Trebel.* vbi Doctores, & latè Ripa. *num. 74.* & ideo præsumitur in Episcopo intentio iudicandi solum de idoneitate Regularium, qui præsentantur pro confessionibus audiendis, cum leges, vt constat ex allegat. Clement. & Extrauag. hoc tantum illis concedant; & ideo approbatio ipsius, nisi in ipsa expressè se declaret, non tribuit iurisdictionem. quia actus non operatur vltra intentionem agentium. *l. Non omnis. ff. Si cert. pet.* & *l. In agris. ff.* De *acquiren. rer. dom.*

An Regulares tempore Iubilæi possint confiteri Sacerdoti sæculari, aut regulari alterius religionis. Quæst. 129.

S V M M A.

1 *Qui teneant, Regulares ex vi Iubilæi non posse eligere confessarium extra religionem.*
2 *Regulares ex vi Iubilæi possunt eligere quemcunque approbatum ab ordinario secundum alios.*
3 *Valet, quando in concessione Iubilæi derogantur contraria.*
4 *Item, si electio confessarij concedatur specialiter Regularibus.*
4 *Priuilegium ita debet accipi, vt aliquid operetur.*
4 *Quando priuilegium deroget iuri communi.*
5 *Voluntas specifica debet habere effectum specificum.*
5 *Effectus regulatur à sua causa.*
6 *Concessio generalis electionis confessarij extenditur etiam ad Regulares.*
6 *Concessio generalis est generaliter accipienda.*
6 *Verba. Omnes vtriusque sexus, comprehendunt etiam Regulares.*
7 *Electio confessarij est quid fauorabile.*
7 *Lex fauorabilis quomodo interpretanda.*
7 *Priuilegium principis latè interpretandum quò ad personas.*
8 *Concessio fauorabilis extenditur ad personas aliàs specialiter nominandas.*
9 *Concessio electionis confessarij non est contra regularem disciplinam.*
10 *Declaratio Gregorij XIII. circa electionem Confessarij tempore iubilæi.*
11 *Decretum Clmen. VIII. & Vrbani VIII. quò ad electionem Confessarij per Bullam Cruciatæ.*

1 Quod non possint Regulares eligere Confessarium extra propriã religionẽ, & extra approbatos à proprio Superiori, tenent Homobon. *par. 1.*

par. 1. *Examin. Ecclesias. tr.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 13. Rodriquez *in Bullam Cruciatæ* . §. 9. *num* 15. Molfes. *par.* 1. *Sum. cap.* 16. *n.* 26. Io. Valerus *in Different. vtriusq. fori.* verbo *Absolutio. Differ.* 1. *num.* 21. & *verbo* Bulla *differ.* 1. *num.* 3. Io à Cruce *De statu relig. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *conclus.* 2. Villalob. *par.* 1. *Sum. tract.* 9. *difficul.* 56. *num.* 5. Barbosa *in Concilium Trident. Sess.* 23. *Cap.* 15. *De reformat. num.* 12. & idem videtur sentire Hieronim. Rodriquez *in Compen. Quæst. Regular. Resolut.* 32. *num.* 26. & alios etiam citant dicti Doctores præsertim Molfes. & Barbosa, sed vel loquuntur tantum electione Confessarij in virtute Bullæ Cruciatæ, vel etiam oppositũ tenent. Fundamentum autem huius sententiæ est, quia Pontifex concedens in Iubilæis facultatem eligendi Confessarium, requirit, quod sit ex approbatis ab ordinario. & nomine Ordinarij intelligitur Ordinarius pœnitentis.

2 Secunda sententia tenet, quod Regulares possint eligere quemcunque approbatum ab Ordinario siuè sæcularem, siuè alterius religionis. Ita Nauar. *Consil.* 13. *De priuileg.* & *Consil.* 10. *De pœnit.* & *remiss.* Coriolan. *De casib. reser. par.* 1. *sect.* 3. *ar.* 15. *num.* 1. Vgolin. *De offic.* & *potest. Episcopi cap.* 7. §. 2. *quæst.* 8. Graff. *par.* 1. *Decis. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 43. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 276. Megal. *par.* 1. *Instit. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 12. à S. Fausto *lib.* 4. *De indulgent. quæst.* 87. ver. *Respondeo*. Floron. *De casib. reseruat. par.* 1. *cap.* 4. §. 5. *num.* 6. ver. *Aut in Bulla*. Rodriquez *par.* 1. *Sum. cap.* 184. *num.* 16. Viual. *in Candelab. par.* 1. *Tit. De Confess. num.* 29. *conclus.* 5. Alphons. De *Leone de Iubilæo* . *par.* 2. *num.* 208. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *num.* 5. Polanch. *in Exposit. Bul. Vrbani VIII. Sect.* 42. *num.* 68. Lauor. *De iubilæo. par.* 1. *cap.* 21. *num.* 59. & *par.* 2. *cap.* 28. *num.* 8. Sanctarel. *De Iubilæo. cap.* 7. *dub.* 1. Bossius *De iubilæo. Sect.* 3. *casu* 4. *num.* 19. & alij, qui tamen ferè communiter limitant, quando in Iubilæo etiam Regularibus expresè conceditur facultas eligendi Confessarium.

3 Et quid em certum est, quod si in Bulla Iubilæi sint clausulæ derogatoriæ, quibus derogetur quibuscunq. in contrarium, quales sunt istæ, quæ à Clemente VIII. Gregorio XV. & Vrbano VIII. positæ sunt, nempè. *Non obstantibus quorumcunque Ordinum, Congregationum, siuè Institutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, atque institutis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, & si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu qua vis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret; illorumque tenores præsentibus pro sufficienter expressis, hac vice specialiter nominatim, & expresè ad effectum præsentium, derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque*. Certum inquam est, quod possunt omnes Regulares eligere sibi confessarium quemcunque ex approbatis ab Ordinario loci, quia facultas eligendi ita munitur derogatione contrariorum, & obstantium, vt omnino subsistere debeat.

4 Similiter etiam. Si electio confessarij approbati ab Ordinario conceda tur expresè etiam Regularibus, poterũt eligere quemcunque ex approbatis ab Ordinario ipsius confessarij. Ratio est, quia in tali concessione nedum conceditur facultas pro absolutione à reseruatis, sed etiam electio confessarij; Si autẽ concederetur tantum, quod posset eligi approbatus ab Ordinario pœnitentis, aut aliquis alius cum facultate suorum superiorum, nihil concederetur, quia extra Iubilæum, & absque concessione Pontificis semper possunt hoc modo eligere. Priuilegium autem ita semper debet accipi, vt non sit otiosum, sed aliquid operetur in fauorem priuilegiati. Cap. *In his*. De *priuilegijs*. & Cap. *Si Papa. De priuilegijs. in* 6. Quod adeo verum est, vt pro aliquo effectu causando censeatur derogare iuri communi, etiam

etiam si expresse non deroget, per citat. tex. & notant Bart. *in l. Si finita. §. Ex hoc edicto. ff.* De *dam. dat.* Panorm. *in Cap. Quod dilecto.* De *consanguinit.* Syluester *verbo*, Priuileg. *quæst.* 3. Suarez 8. *De legib. Cap.* 14. *num.* 4. Portel. *in Dub. Regular. verbo*, Priuilegij forma. *num.* 13. Merol. *tom.* 3. *Theol. moral. disp.* 6. *cap.* 5. *dub.* 7. *num.* 41. Menochius *De præsump. lib.* 6. *præsump.* 40. *num.* 11.

5 Deinde. Cum Pontifex extendat suam concessionem expresse ad Regulares, denotat talis expressio specificam voluntatem circa ipsos, qua velit, eos participes esse suæ gratiæ; voluntas enim ex verbis innotescit. Vnde huiusmodi voluntas debet habere specificum effectum suæ concessionis pro regularibus, ita vt specifico modo concessio in ipsis sortiatur suum effectum, si quidem effectus regulatur à causa, à qua determinatur, vt notat Surdus *Consil.* 454. *num.* 3. Bald. *Consil.* 84. *lib.* 4. & *Consil.* 150. *lib.* 5. Tusch. *Littera S. Conclus.* 757. *num.* 33.

6 Imo etiam si expresse non nominentur Regulares, sed solum concedatur facultas omnibus vtriusque sexus eligendi Confessarium, poterunt adhuc Regulares quemcunque ex approbatis ab Ordinario eligere. Cum enim concessio generalis sit pro omnibus vtriusque sexus, generaliter est intelligenda. *l. De pretio. ff.* De *publ. in rem act.* & Cap. *Solitæ. §. fin.* De *maior. & obed.* Et sicut eadem verba, *Omnis vtriusque sexus.* Cap. *Omnis vtriusque.* De *pœnit. & remission.* inducunt præceptum vniuersale, etiam pro Regularibus, communicandi in Paschate; ita etiam inducent facultatem pro ipsis quoque eligendi confessarium, cum semper habeant eandem generalitatem.

7 Rursus huiusmodi concessio fauorabilis est, cum respiciat fauorem conscientiæ, & etiam salutem animarum. In legibus autem, & priuilegijs fauorabilibus debet fieri extensio, quantum patitur non solum naturalis, sed etiam ciuilis significatio verborum, vt tradunt communiter Castrens. *in l. Qui se Patris. C.* Vnde *liberi.* Bald. Salicet. *ibid.* Cancer. *Variar. resolut. par.* 2. *cap.* 1. *num.* 186. Suarez *lib.* 6. *De legib. cap.* 2. *num.* 5. Salas *disp.* 21. *De legib. sect.* 3. Bonacina *De legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 8. *num.* 9 Imo cum talis concessio sit fauor principis, latissimè debet interpretari quò ad personas, ita vt ad omnes se extendat, ad quos se potest extendere, iuxta. *l. Emancipatum. ff.* De *Senat.* & *l. Milites. C.* De *quæst.* & *l. Decurionum. C.* De *pœnis.* & multis relatis notat Tiraquel. *De iure primogenit. quæst.* 40. *num.* 45. & *quæst.* 59. *num.* 2.

8 Neque obstat, quod Regulares debeant specialiter exprimi, vt censeatur concessio ad ipsos quoque pertinere, nam personæ, quæ aliàs indigent speciali expressione, quando sumus in fauorabilibus, comprehenduntur sub vniuersali verborum significatione; Hinc in materia fauorabili Clericorum appellatione veniunt Cardinales Cap. 2. De *Cler. non resident.* & notant communiter Doctores, præsertim Calderin. *in Cap. In vestra.* De *rescript.*

9 Nec dici potest, quod talis concessio non sit fauorabilis, quia tendat contra regularem disciplinam; hoc enim falsum est, quia cum regularis disciplina respiciat quietem conscientiæ, & salutem animæ, non potest concessio electionis confessarij pro Iubilæo esse ipsi contraria, quia ipsa quoque respicit quietem conscientiæ, & salutem animæ; media autem, quæ ordinantur ad eundem finem, non sunt sibi inuicem contraria, cum vnum iuuet alterum. Imo quod facultas eligendi sibi Confessarium sit pro salute animarum, & earundem fauorem respiciat, habetur ex Cap. *fin.* De *pœniten.*

10 Denique ita declarasse Gregorium XIII. habetur apud Rodriquez *in Collect. Bullar. inter Declarationes Cardinalium. De mandato Gregorij XIII. §. Sanctissimus.* & refertur à Coriolano, Filliucio, & alijs. Talis autem

est. *Congregatio Concilij pro maiori parte censuit pro negatiua. Dixit tamen dubium esse referendum Sanctissimo Domino, qui postea die* 19. Decembris 1581. *in Consistorio respondit, Tempore Iubilæi, posse omnes* Regulares *confiteri peccata sua Sacerdotibus etiam Sæcularibus approbatis ad confessiones; nam in Bulla non fit mentio, nisi de ordinario eorum, qui audirent confessiones, non autem de ordinario pœnitentium*. Hæc autem declaratio procedit de omni iubilæo vniuersali. atque adeo siue explicitè talem facultatem concedat Regularibus; siue non. Vnde hanc partem tenent Rodriquez, Zerola, Megalius. Graf. & alij ex citatis. *num.*2.

11 Neque obstat Decretum Clementis VIII. *sub die* 23. *Nouembris* 1599. apud Quarantam *in Bullario. verbo*, Confessor. §. *Præter Summistas*. ver. *Quò verò ad personas regulares*, in quo declarat, quod Regulares non possint vti facultate eligendi confessarium, & absolutionis à reseruatis, quæ conceditur per Bullam Cruciatæ, & in vigore aliorum indultorum. Quæ declaratio innouata fuit etiam ab Vrbano VIII. *in Bulla*, Quæ incipit, *In specula militantis Ecclesiæ*, quæ est *Constitutio* 105. *eiusdem Pontificis tom.* 4. *Bullar.* quia dicta declaratio non procedit, vt constat ex ipsius inspectione, de facultate concessa in Iubilæo vniuersali, sed solum per Bullam Cruciatæ, & alia indulta particularia.



An priuilegia concessa Religionibus obstent, ne possint Regulares in Iubilæo eligere Confessarium extra religionem. Quæst. 130.

S V M M A.

1 *Varia priuilegia prohibentia Regularibus electionem confessarij.*
2 *Priuilegia, quando ipsis derogatur, non obstant, quin possint Regulares in iubilæo eligere Confessar.*
3 *Summus Pontifex non potest derogare potestati suorum successorum.*
3 *Priuilegia sunt reuocabilia absque causa, quando sunt concessa subditis.*
4 *Reuocatio priuilegiorum in genere est etiam priuilegiorum in specie.*
4 *Expressio generis est etiam expressio specierum.*
5 *Et si in concessione Iubilæi non reuocentur priuilegia in contrarium, possunt Regulares eligere Confessar.*
5 *Potestas Pontificis suprema, & ordinaria.*
6 *Pontifex in concessione Iubilæi vtitur suprema potestate.*
6 *Etiam in concessione facultatis eligendi confessarium.*
6 *Media regulantur à fine, & disponens de fine disponit etiam de medijs.*
6 *Concesso vno conceduntur omnia, quæ tendunt ad ipsum.*
7 *Concessio facultatis eligendi confessarium continet derogationem priuilegiorum in oppositum.*
7 *Voluntas posterior præualet.*
8 *Expressum dicitur, quod habetur ex natura verborum.*
9 *Priuilegia ne Regulares possint eligere confessarium &c. quid operentur.*

1 Varia priuilegia concessa sunt religionibus, quibus prohibetur, ne subditi absque licentia suorum superiorum possint sibi eligere confessarios

sarios in virtute indultorum Apostolicorum, Bullæ Cruciatæ, priuilegiorum, & Iubileorum, nō solum quæ illucusque erant concessa, sed etiam concedendorum. Ita Alexander VI. *Cistercienfibus*. Pius V. *Ordini Prædicatorum*. Sixtus V. *Bernabitis*. Innocentius VIII. *Eremitis Ordinis S. Augustini*. Gregorius XIII. *Societati Iesu*, vt desumitur ex *Compendio priuilegior. Mendicantium*. verbo *Confessarius*. §. 6. ex *Compendio priuileg. Societ. Iesu* verbo, *Confessor*. ex *Compilatione priuilegior. Minimorum*. cap. 100. §. 5. & ex *Compendio priuilegior. Theatinor. par. 1. Tit. Absolutio quò ad Fratres nostræ religionis*. §. 3. Imo, vt refertur, Leo X. concessit *Fratribus Minoribus*, quod non possent vti facultatibus concedendis in ordine ad electionem Confessarij, etiam si in ipsis adesset clausula, non obstantibus priuilegijs, quod priuilegium dicitur referri à Rodriquez *in Bullam Cruciatæ*, sed apud ipsum non inueni cum tali clausula.

2 Respondendum itaque est. Quod, quando Pontifex in concessione Iubilæi, & facultatis eligendi confessarium derogat priuilegijs, indultis, Constitutionibus &c. Priuilegia concessa religionibus non obstent; etiam si habeant clausulam, quod nō possint Regulares vti facultatibus concedendis, licet in ipsis fiat derogatio priuilegiorum &c. Dixi, etiam si habeant dictam clausulam &c. quia existimo, quod talis clausula non possit apponi, nec apposita sit à Summo Pontifice ex certa scientia, quia est coarctatiua potestatis successoris, quam non potest coarctare, nec vllo pacto illi præiudicare. Ligat enim potestatem successoris, quod non possit derogare tali priuilegio, si quidem habet, quod stante derogatione, adhuc non prosit concessio facta contra ipsum.

3 Ratio autem est, quia cum Summus Pontifex non possit in aliquo derogare potestati suorum successorum, præsertim quia singuli habent auctoritatem immediatè à Christo, potest successor reuocare priuilegia, quæ prohibent vti facultate concedenda pro electione confessarij. Priuilegia enim sunt reuocabilia etiam absque causâ à concedente, vel eius successore, quando sunt concessa subditis, vt desumitur ex Cap. *Clericis*. §. *Non obstantibus*. De *immunit. Eccles.* & Cap. *fin. in fine*. De *Sent. excommunicat.* & Cap. *Suggestum*. De *decimis*. vbi Glos. & *l. Ex facto*. *ff.* De *vulg. & pupil. substit.* vbi Doctores. & *l. 2. C.* De *priuileg. Schol.* & Authent. *Vt iudex*. §. *Quod autem*. vbi Glos. & Doctor. & docent Glos. *in Cap. Decet*. verbo. *Mansurum*. De *regul. iur. in 6.* Decius. *in Cap. Quæ in Ecclesiarum*. De *constit.* Ias. *in l. Si ex toto*. *ff.* De *legat. 1.* & *in l. Si ex hoc iure*, *num. 54. ff.* De *iust. & iure*. Butrius *in Cap. Nouit*. De *iud.* Panorm. Felin. & alij. *ibid.* Io. Andr. *in Cap. Similiter*. De *cap. qui iur. vend.* Ripa *lib. 2. Respons. Cap. 6. num. 12.* Martin. Laudens. De *priuileg. notab. 34.* Iser. *in Cap. 1. De prohibit. feud. alien.* Afflict. *Decis. 128.* Gram. *Decis. 46. num. 5.* Castal. *De Imperat. quæst. 55* Belluga *in speculo Princip. Rubr. 11.* §. *His igitur*. *num. 5.* Suarez *lib. 8. De legib. cap. 37. num. 10.* & communiter.

4 Cum ergo Pontifex in concessione facultatis pro electione confessarij reuocet omnia priuilegia in contrarium vniuersali reuocatione, & habeat facultatem reuocandi, remanet reuocatum etiam priuilegium, quod non possint Religiosi vti tali facultate, etiam si in concessione adsint clausulæ reuocatoriæ priuilegiorum, quia reuocatis omnibus priuilegijs in genere, censentur reuocatæ etiam omnes species ipsorum, atque adeo etiam illud, quod reuocationes futuræ non præiudicent priuilegio concesso. nam expressio generis continentis species idem operatur, ac si singulæ species essent expressæ. *l. Si chorus*. *ff.* De *legat. 3.* & notant Alexan. *Consil. 233. num. 16. lib. 3.* Federicus de Senis *Consil. 84. init.* & *Consil. 85. num. 2. & 3.* Zabarel. *Consil. 99. num. 2.* Ancharan. *Consil. 3. num. 4. in fine.* Gemin. *Consil. 65. num. 19.* Bald. *Consil. 1. num. 5.* Natta *Consil. 613. num. 3.* Curt. iun. *Consil. 199. num. 15.* & *Consil. 316.*

fil. 316.*init.*Francis.Bec.*Consil.*80.*num.*7. Molin. *lib.*3. *De ritu nuptiar. quæst.* 87. *num.*17. Vnde posita reuocatione priuilegiorum in genere, remanent omnia reuocata in specie.

5 Imo etiam si Pontifex non reuocet expresse priuilegia prohibētia vti facultatibus concedend s pro electione confessarij, possunt vti Religiosi facultate concessa in Iubilæis. nam in tali concessione Pontifex vtitur suprema potestate. Debet enim in Summo Pontifice considerari Ordinaria potestas, quæ est illa, qua procedit secundum præscriptiones legum, & ideo tanquam alligata ad determinationes legum, illi obstant iura, & priuilegia ab alijs concessa, quando actus ipsius ijs contrariatur, quia præsumitur voluntas Principis nihil faciendi, nisi secundum mensuram legum. Debet tamen etiam considerari in ipso Suprema potestas, quæ nullis legibus humanis alligata est, sed operatur tanquam omni lege superior; & ideo, licet actus ipsius sit contrarius legibus, & priuilegijs, hæc illi non obstant, quia procedit vt constitutus in superiori ordine, cui inferiora omnia cedere debent; & proinde, quando habet contrarietatem cum iuribus humanis, aut priuilegijs, adhuc sortitur suum affectum absque eorum derogatione, quia ipsi cedunt omnia, quæ quocunque modo ligant potestatem supremam.

6 Quia ergo Pontifex in concessione iubilæi vtitur potestate suprema, nō vtitur potestate sibi tradita à Christo supra Ecclesiæ thesaurū, cuius est administrator nomine Christi, ideo eius administratio non potest coarctari ab aliquo, & & adstringi ad aliquas leges, nisi ab ipso Christo, vnde fit, quod semper administret cum potestate suprema. Et quia facultas eligendi cōfessarium est in ordine ad consequendum effectum iubilæi, atq. adeo tanquam medium, sequitur, quod proueniat ex eadem suprema potestate; si quidem media sequuntur finem, & ab ipso regulantur. *l. Oratio. ff.* De *ponsalib.* & cui cōpetit iudicare de fine, competit etiā iudicare de medijs, vt habetur 1.*Eth.* *cap.*1. & Cap. *Preterea.* De *officio delegati.* Vnde etiam illius potestatis est ordinare media, cuius est præfigere finem. Et ideo quando finis conceditur per potestatem supremam, per ipsam etiam censentur cōcessa media, quibus peruenitur ad ipsum, quia talis concessio est quædā extensio principalis concessionis; nam cōcesso vno statim intelliguntur concessa omnia, quæ ad ipsum obtinendū conducunt *l.*2.*ff.* De *iurisd.om.iud.*& *l. Ad rem. mobilem.* §.*Qui procuratorem. ff.* De *procurat.* & *l.Auibus.ff. De legat.*3. & *l.*1.§.1.*ff. Si vsufr. pet.*

7 Quin addendum est. Quod ipsa cōcessio eligendi cōfessariū ex quibuscūq. approbatis ab Ordinario posita in iubilæo, est reuocatio expressa priuilegiorū, quibus cōceditur, quod quis nō possit eligere in virtute cuiuscūq. facultatis. Cōcurrunt enim hæ duę voluntates fundatæ in æquali potestate, nempe Pontificia, nimirum. *Nolo, vt possis eligere confessarium in virtute cuiuscunque facultatis.* & *Volo, vt possis eligere*, quæ, cum sint contrariæ directè, imo contradictoriæ, quia quod per vnam datur, per aliam negatur, necessariò vna tollit alteram absolutè, & totaliter. Voluntas autem posterior est illa, quæ præualet. *l. Si mihi, & tibi.* §. *In legatis. ff.* De *legat.*1. & *l. Si quis. ff. De legat.* 3. & *l. Clari.* C. De *fideicom.* nisi prior deroget posteriori, quod in casu nostro non potest contiogere, quia cum voluntas successoris Pontificis non sit sub dominio prædecessoris, non potest ipsi derogare.

8 Quare cum voluntas concedens facultatem eligendi confessarium sit posterior voluntate tollente hanc facultatem; & ex vi verborum excludat ipsam, quia vnum contradictorium excludit alterum ex sua significatione, habetur pro expressa reuocatione priuilegiorum, quia id expressum dicitur, quod habetur ex vi, & natura verborum. *l. Qui totum. ff.* Ad *Trebel.* & *l.fin.* C. Ad *leg. Falcid.* & notant Bart. *in leg. Si fideiussor.* §. *Meminisse. ff.* De *legat.* 1. Ruin. *Consil.* 148. *num.* 6. *volum.* 3.

Paris.

Paris. *Consil.* 97. *num.* 107. *vol.* 1. Ioseph. Sesse *Decis. Aragon.* 65. *num.* 29. Mantica *De coniect. vlt. volun. lib.* 7. *Tit.* 11. *num.* 6. *&* 7. Menoch. *lib.* 4. *Præsump.* 198. *num.* 10. Mascar. *De probat. Conclus.* 1389. *num.* 4.

9 Quod si obijcias, ex dictis sequi, quod priuilegia prædicta essent frustratoria, quia non causarent effectum, quẽ intendunt. Resp. Non sequi, quod sint frustratoria, quia operautur, quod absque licentia suorum Prælatorum nõ possint subditi vti iubileis particularibus, quæ alicui Confraternitati, vel Ecclesiæ conceduntur quò ad facultatem eligendi sibi confessarium per ea, quæ tradunt Coriolanus *De casibus reseruatis. par.* 1. *sect.* 3. *ar.* 15. *num.* 5. Bossius *De iubilæo. Sect.* 5. *casu* 16. *num.* 4.

An damnatus per sententiam iudicis ob actus sodomiticos sit irregularis. Quæst. 131.

SVMMA.

1 *Irregularitas requirit delictum consumatũ, propter quod imponitur.*
2 *Damnatus ob actus sodomiticos est irregularis ex infamia iuris.*
3 *Damnatus de crimine turpi fit irregularis.*
3 *Damnatus per sententiam iudicis de aliquo crimine est infamis.*
4 *Infames secundum ius ciuile sunt tales etiã secundum ius canonicum.*
4 *Sententia iudicis, quò ad crimen lædens famam, infamat.*
5 *Etiam in priuato iudicio.*
6 *Distinctio publici, & priuati iudicij non habet locum in iure canonico.*
6 *In iure canonico omnia crimina sũt publica.*
7 *Quid sit fama.*
7 *Quid infamia.*

1 VIdetur negatiuè respondẽdum, quia dicti actus, non continent Sodomiam cõsumatam, sed solum attentatam; quando autem imponitur irregularitas ob aliquod delictum, debet delictum esse cõsumatum in actu externo, nec sufficit conatus, & attentatio, vt docent communiter Valent. *tom.* 4. *Sum. disp.* 13. *quæst.* 10. *punct.* 2. Sayr. *lib.* 6. *De censur. cap.* 2. *num.* 17. Coninch. *disp.* 18. *De censur. dub.* 2. *num.* 11. Quia quando pœna imponitur alicuĩ delicto, intelligitur de perfecto, & consumato.

2 Sed tenendum est, quod sit irregularis irregularitate proueniente ex infamia iuris, qua quis constituitur irregularis ex eo, quod de crimine turpi per sententiam iudicis damnatus est. Desumitur ex communi doctrina, quod ille sit infamis, atque adeo irregularis, qui in iudicio damnatur de crimine turpi, aut illud confitetur, quam tradunt Glosa *in Cap. Infames. verbo.* Fures. 6. *quæst.* 1. Bal. *in l. Infamem. ff.* De publ. *iudic.* Panorm. *in Cap. At si clerici. num.* 26. De *iudic.* Syluester *verbo*, Crimen. *num.* 4. *in fine.* & *verbo*, Infamia, *num.* 8. *iuncto num.* 11. Aretin. §. *Suspectus.* Instit. *De suspect. tutor.* Filliuc. *tract.* 12. *num.* 148. *&* 212. Gaspar Hurtad. De *censur. tract. de irregularit. disput.* 2. *difficul.* 4. *num.* 12. Corneus *Consil.* 56. *num.* 4. *vol.* 4. Tusch. *verbo*, Infamis. *Conclus.* 111. *num.* 1. *&* 7. & *conclus.* 117. Sayr. *lib.* 7. *de censur. cap.* 9. *num.* 3. Suarez De *censur. disp.* 48. *sect.* 1. *num.* 23. Toletus *lib.* 1. *cap.* 62. Angelus *verbo*, Infamia. *num.* 5. Bonac. De *censur. disp.* 7. *de irregular. quæst.* 3. *par.* 1. *num.* 2. ver. *Secundo contingit.* Basseus *in Florib. Theol. pract. verbo*, Irregularitas. 10. *num.* 5. Clarus *lib.* 5. *senten.* §. *Practica criminalis. quæst.* 72. Auila *par.* 7. *de censur. disput.* 4. *dub.* 5. Laiman. *lib.* 1. *theol. mor. tract.* 5. *par.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. §. *Alia vero crimina.* Naldus *in Sum. verbo*, Infamia. *num.* 1. Lezana *eodem verbo. num.* 7.

3 Ratio autem est; quia est determinatum in iure, quod is sit infamis, atque adeo irregularis, qui de aliquo graui crimine per iudicis sententiam est damnatus. Cap. *Infames.* §. *Porro.* 3. *quæst.* 7. ibi. *Porro infamia multipliciter irrogatur. Aliquando enim contrahitur genere delicti declarati per sententiam, veluti cum iudex pronunciat, iniuriam fecisti, hæreditatem*

tatem expilasti; calumniatus es. & ex Cap. *fin.* De *temporib. ordin.* dum decernitur, quod Sacerdotes, & Clerici, qui ob delicta perdiderunt bonum conscientiæ rectæ, tunc solum non debent impediri, ne ordines suscipiant, aut in susceptis ministrent, si non fuerint ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria. Sequuta ergo sententia condemnatoria ob actus sodomiticos, & attentatam sodomiam, consurgit infamia, atque adeo contrahitur irregularitas.

4 Quod ex eo etiam deducitur. nam secundum ius canonicum Omnes sunt infames, quicunque secundum ius ciuile cõtrahunt infamiam, vt habetur ex Cap. *Infames. 6. quæst.* 1. & notant Bonacina *disp.* 7. *de censur. quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 1. Barbosa alios allegans *par.* 2. *De potestat. Episcopi, allegat.* 43. *num.* 1. Secundum autẽ ius ciuile omnes damnati per sententiam iudicis de crimine, quod famam lædit, sunt infames. *l. Athletas. §. Item qui furti.* & *l. Furti.* & *l. Quid ergo. §. Pœna. ff.* De *his, qui not. infamia.* & *l. Infamem. ff.* De *publ. iud.*

5 Nec valet responsio, quod secundum ius ciuile tunc solum contrahitur infamia, quando condemnatio fit in publico iudicio; secus autẽ, si in priuato ex dict. *l. Infamem. C.* De *publ. iudic.* nam, vt *ibidem* habetur, non solum sententia in publico iudicio facit infamem; sed etiam in priuato. ibi. *Nisi crimen, ex ea actione fuit, quæ etiam in priuato iudicio infamiam condemnato importat, veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum.* Si ergo crimen ex natura sua lædit bonam famam, etiam si pertineat ad priuatum iudicium, sententia condemnatoria infamiam inurit, tale autẽ est crimẽ actuũ sodomiticorum, & sodomiæ attentatę.

6 Deinde secundum ius canonicum non habet locum distinctio iudicij publici, & priuati, quia secũdum ipsum omnia crimina publica sunt, vt docent Glos. *in Cap. Infames. verbo.* Fures. 6. *quæst.* 1. & de communi Bald. *in Rubr. num.* 10. *in fine. C. Qui accusare non pos.* Syluester *verbo*, Crimen. *num.* 4. Anan. *in Cap. Statuimus. post num.* 19. De *maledic.* citans Hostiens. Clarus *lib.* 5. *sent. §.* 1. ver. *Hæc tamen.* citans Milleum *in Practica.* & notat, quod etiam secundum ius ciuile ratione statutorum, & cõsuetudinum specialiũ est adeo immutata materia delictorum, vt vix publica à priuatis discernantur. Ratio autem est, quia tunc iudicium est publicum, quando crimen est publicum. tunc autem crimen est publicum, quando debet puniri quomodocunque innotuerit, & non tantum ad instantiam partis, per ea, quæ notant cõmuniter præsertim Syluester *verbo*, Crimen. *num.* 4. At secũdum ius canonicum omnia crimina debent puniri, vtcumque innotuerint Cap. *Ecce.* 24. *quæst.* 3. & Cap. *Si quid. Dist.* 86. & notat Glos. *in Cap. Crimina.* De *Collusione.*

7 Deniq. cum fama sit *Dignitatis illæsæ status legibus, ac moribus comprobatus.* per *l. Cognitionem. ff.* De *varijs, & extraordin. cognit.* Infamia, prout ipsi opponitur, non erit aliud, quã diminutio, & læsio eiusdẽ status, vt notant Glos. *In Cap. Infames. verbo*, Infamia. 3. *quæst.* 7. & *in l.* 1. *verbo*, Vincula. *C. Ex quib. caus. infam. irrogat.* Bar. *ibidem.* Petrus Gregor. *lib.* 31. *Syntag. cap.* 29. *num.* 7. Suarez *disp.* 48. *de Censur. sect.* 1. Laiman *lib.* 1. *Theol. moral. tr.* 5. *par.* 5. *cap.* 4. *num.* 1. Syluest. *verbo*, Infamia. *num.* 1. Molina De *iust. & iure. tr.* 4. *disp.* 7. *num.* 4. Et desumitur ex *l. Sed si hac lege. §. Prætor. ff.* De *in ius vocando.* & *l. Honori*, & *l. Licet. ff.* De *obseq. à libe.* Manifestum est autem, quod damnatus per sententiã iudicis de attentata sodomia, & actibus sodomiticis habet maximã læsionem, & diminutionem in statu dignitatis, seu vt explicat Glos. *dict. l. Cognitio. §. Existimatio. ff.* De *varijs, & extraor. cognit.* in ipsa conditione humana; vnde fit despicabilis, & amittit conceptum hominis probi, nec habet statum suæ conditionis legibus, & moribus comprobatum, sed reprobatum. Erit ergo absque vlla difficultate conspersus infamia iuris, si quidem talis infamia est secundum iuris dispositionem.

An

An poena carceris irroget infamiam, atque adeo efficiat irregularem. Quæst. 132.

S V M M A.

1 *Pœna carceris secundum Glos. non irrogat infamiam.*
1 *Tortura, & pœnalitas non infamat.*
2 *Pœna carceris per sententiam inflicta infamat.*
3 *Damnatus ad opus publicũ remanet infamis.*
3 *Fustibus subiectus habita quæstione non est infamis, secus si præcessit sententia.*
3 *Quando pœna irroget infamiam.*
3 *Carcer est quædam species seruitutis ignominiosæ.*
3 *Est mala mansio morti æquiparata.*
4 *Pœna participat in dedecore cum culpa.*
4 *Carceris pœna deijcit de statu humanæ dignitatis.*

1 NEgatiuè respondet Glos. *in Cap. Infames. verbo*, Pœnæ. 3. *quæst.* 7. reprobans ipsum tex. Quia, inquit, sola pœna non infamat, & citat *l. Nullam. C. Ex quib. cauſ. infam. irrog.* Sed hic tex. non loquitur de pœna, quia hæc dicit punitionem, & necessariò supponit culpam; sed de pœnalitate torturæ, cuius est alia ratio, quia infligi potest ex diuerso fine, & non dicit ordinem ad culpam. Imo si ad honestum finem suscipiantur huiusmodi pœnalitates pariunt honorẽ. Quin Glos. ciuilis in *dict. tex. l. Nullam*, verbo, *Infamiam*, ait, quod tortura licet nõ irroget infamiam iuris, irrogat tamen infamiam facti, & citat *l. Generaliter*. §. 1. & *l. Eos. ff.* De *Decurion.* per quos tex. talis infamia, quæ est oneratio bonæ opinionis, facit repelli à dignitatibus, & solum admitti in subsidium, quando alij non occurrunt.

2 Tenendum itaque est, quod pœna carceris per sententiam inflicta, causet infamiam, præsertim personæ ecclesiasticæ, aut regulari; & eò magis, quò tempus carceris diuturnius fuerit. & ita tradunt Bart. *in l. 1. C.* Ex *quibus cauſ. inf. irrog.* Baiardus *in Addit ad Clarum quæst. 72. num.* 1. Peirin. *quæst.* 1. *De subdito religioso. Cap.* 13. ver. *Noto quinto.* Rodriquez *tom.* 2. *Quæst. Regul. quæst.* 22. *artic.* 2. Portel. *in Dub. Regularib. verbo*, Carcer. *num.* 1. & facit Glos. *in dict. l.* 1. C. Ex *quib. cauſ. infam. irrog.* verbo *Vincula.* docens, quod vincula nõn irrogant infamiam, quando ordinantur ad crimen explorandum; secus autem, quãdo sunt ob crimem exploratum, & in pœnam, & facit etiam tex. *eiusdem l.* vbi taxatiuè dicitur, quod non causatur infamia, ob id solum, quod quis in carcerem, aut vincula conniјciatur.

3 Desumitur autem argumentum ex *l. Ad tempus. C.* Ex *quibus cauſ. infam. irrog.* vbi decernitur, esse infames damnatos ad tempus ad opus publicum etiã peracta pœna. Vnde Glos. *ibid.* verbo *Subijciuntur.* ait, esse infames propter genus pœnæ, quod facit infames etiam ea completa. & ex *l. Nullam. C. eodem.* vbi decernitur, quod non sit infamis fustibus subiectus ob quæstionem habendã, sed taxatiuè, si sententia non præcessit. Vnde sententia præcedens infamaret. & etiam ex Cap. *Infames.* 3. *quæst.* 7. vbi decernitur, quod genus pœnæ irrogat infamiam. ibi. *Porro infamia multipliciter irrogatur, aliquando genere pœnæ, sicut illi, qui damnantur in opus publicum.* Tunc autem pœna irrogat infamiam, quando ignominiosa est, vt desumitur ex citatis textibus. Pœna autem carceris est ignominiosa, quia inducit quandam speciem seruitutis cum ignominia, vt notant Bart. *in l. Alia cauſa. num.* 14. *ff.* soluto *matrimonio* Bald. *Conſ.* 412. *lib.* 1. Boer. *Deciſ.* 215. Faber §. *vlt. num.* 2. Instit. *De actionib.* & dicitur mala mansio, quæ morti æquiparatur *l. Si hominem. init. ff. Depoſiti* & *l. Nec timorem.* §. *Proinde.* ver. *Timuit. ff.* Quod *metus cauſa.* vt notat Bossius *in Prac. crim.* Tit. *De carcere. num.* 1

4 Ratio

4 Ratio autem est, quia cum pœna sit propter culpam, quam necessariò suppon.t, participat cum ipsa in dedecore opposito humanæ dignitati, in qua consistit bona fama. Pœna verò carceris, ita participat in dedecore cum crimine, propter quod infligitur, vt simul priuet illa libertate, quæ propria est conditionis humanæ, & quasi trahat ad conditionem belluarum, quæ inter vincula, & sub custodia seruiunt. Et proinde deijcit de statu dignitatis humanæ moribus, & legibus comprobato; quod non est aliud, quam inducere infamiam.

An Regularis possit ratione Officij, quod habet ab Episcopo, coram ipso conueniri, & ab ipso puniri, si in Officio delinquat. Quæst. 133.

S V M M A.

1 *Affirmatiua opinio.*
2 *Regularis aliàs exemptus non potest ratione officij sæcularis conueniri ab Episcopo & puniri*
2 *Officium non ponit subiectionem in exempto.*
3 *Ecclesiastici non possunt trahi ad forum sæculare ratione officij sæcularis.*
3 *Officium non extrahit à statu exemptionis.*
4 *Sola exemptio excludit iurisdictionem etiã in capaci.*
5 *Regularis acceptans officium sæculare, nec consentit, nec potest consentire in iurisdictionem Episcopi.*
5 *Exemptus non potest renunciare exemptioni.*

1 DIfficultas procedit de Regulari aliàs exempto à iurisdictione Episcopi, & seclusis casibus, in quibus iuxta Concilij Tridentini dispositionem, aut alias Pontificias constitutiones subijciuntur Episcopis, vt Apostolicæ Sedis delegatis, aut in quibus ex alio speciali capite iuxta easdem Pontificias Constitutiones pertinet iudiciũ ad Episcopos. Et affirmatiuè respondet Barbosa *in Concil. Trident. Sess. 6. cap. 3. De reformat. num.* 3. citans Aldan. *in Compend. Canonicar. Resolut. lib. 1. Tit. 6. num.* 3. referentem ita decisum *d e* 14. *Februar.* 1585. Sed cum non referat, cuius sit talis Decisio, nec de ipsa, cuiuscunque sit, authenticè constet, non potest inducere obligationem iuxta Decretum Vrbani VIII. quò ad Declarationes S. Congregationis. Imo quia non contineret puram declarationem, sed etiam aliquid de nouo constitueret, vt obligaret, indigeret publicatione, non secus ac indigent leges ipsæ.

2 Tenendum tamen est, quod regularis non possit conueniri ratione officij coram Episcopo, nec ab ipso puniri, si aliunde non possit conueniri. Officium namque non ponit subiectionem in exempto, atque adeo nec dat iurisdictionem ordinario, quia cum assumitur ad tale officium administrandũ, censetur assumi citra præiudiciũ exemptionis, nam cum exemptio non sit priuilegium singulare personæ, sed status, quandiù persona manet in illo statu, & est de genere exemptorum, durat etiam exemptio, cui per officium, vt quid singularis personæ non potest præiudicari.

3 Hinc ecclesiastici non possunt trahi ad forum sæculare, nec à laico iudice puniri, si exerceant officium sæculare, etiam quò ad ea, quæ concernunt officium, vt docent Duard. *in Bullam cœnæ. lib. 2. can.* 15. *quæst.* 11. *num.* 25. Megal. *par.* 3. *Instit. lib* 3. *cap.* 11. *num.* 26. *&* 32. Bonac. *disp.* 10. *de legib. quæst.* 2. *pun.* 1. *§.* 1. *num.* 24. Ambrosin. *De immunit. eccles. cap.* 20. *num.* 54. Squillante *De priuileg. Cler. Cap.* 7. *dub.* 3. *num.* 87. Carolus De Graf. *De effectib. Clericat. effectu* 1. *num.* 82. Zanard. *par.* 3. *Director. cap.* 50. Cochier. *De iurisdict. Ordinar. in exemp. tom.* 2. *par.* 3. *quæst. vlt. num.* 1. *&* 2. Alex. *Consil.* 98.

*Consil.*98. *vol.*2. Riccius *in Praxi par.* 3. *Resol.* 105. *num.* 1. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *Resol.*19. Thomas del bene *de parlam. dub.*4. *sect.* 20. *subsect.*2. *num.* 5. & facit. *l. Si quis ad declinandum*. C. De *Episcop.& Cler.* Quia nimirum officium sæculare collatum Clerico non extrahit ipsum à gradu, atque adeo nec ab exemptione; sed sequitur conditionem personæ, & immunitatem ipsis, sicut sequuntur bona. imo & à fortiori, quia exercitium officij est quid personale, & adhæret personæ inseparabiliter, cum consistat in proprijs actionibus ipsius: vnde iudicare de exercitio officij, esset exercere iurisdictionem supra propriam personam clerici.

4 Sed dices, esse diuersam rationem de clerico exercente officium sæculare respectu iudicis laici, ac de regulari respectu Episcopi. nam laicus non est capax iurisdictionis Ecclesiasticæ; Episcopus verò exercet iurisdictionem Ecclesiasticam. Sed hoc in præsenti nihil iuuat. Clericus enim non potest iudicari à laico ratione officij sæcularis, quia laicus non habet iurisdictionem, & clericus est exemptus. Vnde nec laicus exemptus à iurisdictione alterius laici potest ab ipso iudicari, etiam si alias sit capax iurisdictionis. Cum ergo Regularis sit exemptus à iurisdictione Episcopi, non poterit ratione officij ab ipso iudicari.

5 Nec item dici potest, quod Regularis acceptans officium cēseatur cōsentire in iurisdictionem Episcopi. Tum quia hoc etiam dici posset de Clerico respectu iudicis laici, dum acceptat officium sæculare, quod tamen est falsum, quia non potest Clericus consentire in iudicem laicum, cum hoc sit in præiudicium status Cap. *Insolita*. 11. *quæst.* 1. & Cap. *Placuit*. De *foro compet.* & docent communiter. Tum quia exemptus non potest in aliquo exemptionis priuilegio renunciare, cum hoc sit præiudicium superioris, vt notant communiter. Abbas *in Cap. Cum tempore*. De *arbitris. in fine*. Sylvester *ve. bo*, Exemptio. *num.* 10. Archidiacon. *in Cap. Conquestus. num.* 49. *quæst.* 3. De *foro compet.* Bald. *in l, Si quis ex consensu*. *num.* 8. C. De *Episcop. audient.* Surd. *Consil.* 47. *num.* 24. Rota in *Gandauensi Monasterior.* 29. *Apr.* 1611. *Coram Eminentiss. Panzirolo.* per tex. dicti Cap. *Cum tempore*.

An valeat depositio Regularis facta coram Episcopo absque sui Prælati licentia. Quæst. 134.

SVMMA.

1 *Depositio Regularis coram Ordinario absq. licentia Prælati sui est illicita.*
2 *Secundum aliquos valida, si sit spontanea.*
3 *Absolutè est inualida.*
3 *Examinatio testium est actus iudicialis.*
3 *Depositio testium coram notario extra iudicium sine mandato iudicis est nulla.*
4 *Episcopus extra casus concessos non potest exercere circa Regulares actus iurisdictionales.*
4 *Defectus iurisdictionis est omnium maximus.*
5 *Regularis nulliter consentit in iurisdictionem Episcopi.*
6 *Quomodo concesso vno concedantur omnia, sine quibus non peruenitur ad ipsum.*

1 Esse illicitam, sed tamen valere, tenet Farinac. *in Praxi quæst.* 61. *De testib. num.* 134. Quia licētia Prælati requiritur solum ex quadam decentia; & ideo ea ommissa, ommittitur leuis solemnitas, & proinde non vitiat actū. Pro quo adducit plures textus. Et quidem certū esset, quod nō vitiaret actū, si esset solum leuis solemnitas, & accidentalis. at si ea deficiente deficeret aliquid sub-

substantiale, non video, quomodo actus posset subsistere.

2 Itaque Cochier *par. 2. de iurisdict. Ordinar. in exemptos*, docet, valere depositionem, si Regularis spontaneè accedat ad examen; secus autem, si coactè, quia multa subsistunt parte non opponente, quæ tamen in iudicio reuocata impedirentur.

3 Tenendum tamen est, quod huiusmodi depositio non solum sit illicita, sed etiam nulla, siue Regularis coactus deponat, siue etiam spontaneè. Ratio autem est, quia cum examinatio testium sit pars processus, atque adeo actus iurisdictionis saltem ex delegatione, aut mandato, non potest valere, nisi habeat fundamentum in iurisdictione. Cap. 1. §. *Neque. De foro compet.* & notat *ibi* Geminianus. *num.* 3. Quod adeo verum est, vt si Notarius extra iudicium examinet testes sine mandato iudicis, & decreto, eorum depositio nulla sit, vt tradunt Maranta *De ordine iudi*. Tit. *De testib. produc. num.* 6. Mascar. *De probat. in Præfat. lib.* 1. *quæst.* 5. *num.* 23. *&* 89. Cartar. *Decis. criminal.* 86. *num.* 9.

4 Cum ergo Episcopus nullam habeat iurisdictionem circa exemptos Regulares exceptis casibus in iure, & in specialibus constitutionibus Pontificijs, & per consequens Regulares nullam habeant subiectionem ad Episcopos, sequitur, quod Episcopi non possint circa ipsos Regulares exercere actus iurisdictionales, & si exerceant, nulli sint defectu iurisdictionis, qui est defectus omnium maximus, quò ad annullationem actus, vt tradunt Curtius *Consil.* 69. *in fine*. Dec. *Consil.* 38. *num.* 7. & *Consil.* 360. *num.* 1. Paris. *Consil.* 204. *num.* 102. *lib.* 2. Menoch. *Consil.* 1080. *num.* 2. Vantius *De nullitat. Tit. de nullit. defectu iurisdict. num.* 2. *& sequent.* alios plures citans. Vnde dicta examinatio, & depositio erit nulla, vt pote non fundata in debita iurisdictione.

5 Nec sufficit, quod Regularis non coactè, sed spontaneè deponat, quasi per hoc consentiat in iurisdictionem Episcopi. nam cum non habeat facultatem consentiendi, nulliter consentiret, etiam si expressum exhiberet consensum; agitur enim de interesse sui superioris, cui non potest præiudicare. Hinc nemo sine licentia sui superioris potest in iudicem non suum consentire, vt tradunt cõmuniter Doctores per celebres tex. Cap. *Cum tempore*. De *arbitris*, & Capit. *Significasti*. De *foro competenti*. Io. Andr. *in dict. Cap. Cum tempore*. Butrius *ibid. num.* 12. Abbas *num.* 11. Socin. *num.* 42. *ver. Ex quibus infertur*. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regular. quæst.* 36. *art.* 1. & *tom.* 2. *quæst.* 63. *ar.* 10. Tambur. *De iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 15. *quæst.* 12. *num.* 3. Quod à fortiori militat in religiosis, quia non habent proprium velle, aut nolle.

6 Neque valet, si dicatur, quod concesso vno censentur concessa etiam omnia, sine quibus non peruenitur ad ipsum *l.* 1. *ff. De iurisdict. om. iud.* & *l. Ad rem mobilem*. §. *Qui procuratorem*. *ff. De procurator.* & proinde cum Episcopus habeat facultatem procedendi iudicialiter, habebit etiam facultatem examinandi quoscunque, quorum examen sit necessarium pro terminanda illa causa. Nam respond. quod censentur concessa sine præiudicio alterius, & ideo censetur concessum iudici posse examinare exemptos, sed cum licentia suorum superiorum. Alioquin dicendum esset, quod posset in alieno territorio exercere iurisdictionem, quando hoc esset necessarium ad complementũ iudicij, vt citare, condemnare, & alios similes actus iurisdictionales.

An iurisdictio Ordinariorum in Regulares possit extendi ad extensionem rationis. Quæst. 135.

S V M M A.

1 *Affirmans opinio.*
1 *In exorbitantibus à iure fit extensio.*
2 *Ordinario conuenit iurisdictio per totam diœcesim, & ei conuenit quicquid non excipitur, & num. 10.*
3 *Iurisdictio Ordinariorum in Regulares non debet extendi.*
4 *Casus non expressus habetur pro omisso.*
5 *Casus exceptus firmat regulam in contrarium.*
6 *Vbi requiritur expressum, non sufficit tacitum.*
6 *Exceptio contra regulam non admittitur, nisi de ea constet.*
7 *Inclusio vnius est exclusio alterius.*
7 *Expressio casuum in quibus Regulares subduntur Ordinario exclud. omnes alios casus.*
8 *Interest Summo Pontifici suos subditos ab alio non iudicari.*
8 *Iurisdictio Ordinariorum in exemptos est odiosa.*
9 *In correctorijs non fit extensio, & quid si correctio reducat ad ius antiquum.*
11 *Exemptio Regularium an odiosa, & stricti iuris.*
11 *Lex quando odiosa, & fauorabilis, vnde denominanda.*
11 *Finis exemptionis Regularium.*
11 *Priuilegia interpretanda in fauorem Regularium.*

1 Partem affirmatiuam tradit Peirin. *tom. 3. Priuileg. in Addit. ad Constit. Vrbani* 8. *cap.* 12. *ad Constit.* 1. *num.* 25. Cochier. *De iurisdictione Ordinariorum in exemptos. tom.* 2. *par.* 2. *quæst.* 102. vbi cum Gutierez Decretum Concilij Tridentini, *Sess.* 7. *Cap.* 14. *De reformat.* Quod Regulares extra claustra degentes conueniantur coram Ordinario, extendit etiam ad regulares intra claustra degentes, ob eandem rationem. Eius fundamentum est, quia ob extensionem rationis etiam in exorbitantibus à iure datur extensio, vt latè Nauar. *in Cap. Pœna. De pœnit. Dist.* 1.

2 Deinde Ordinario competit iurisdictio per totam suam Diocœsim Cap. *Cum omnes Basilicæ.* 16. *quæst.* 6. & Cap. *Cum Episcopus.* De *officio Ordinarij. in* 6. & proinde cum habeat intētionem fundatam per totam suam diocœsim, quicquid non excipitur expressè, censetur ei concessum, & ideo extendenda est iurisdictio ad omnia non excepta. Denique iurisdictio Ordinarij est fauorabilis, vt supponit, se ostendisse. *lib.* 1. *De iurisdict. in exemptos. quæst.* 4. est ergo extendenda.

3 Hæc tamen doctrina non potest subsistere, & ideo tenendum est, quod Iurisdictio Ordinariorum contra Regulares exemptos nullo pacto sit extendenda, sed continenda intra terminos præscriptos à iure, & constitutionibus specialibus Pontificijs. Cum enim Regulares generaliter exempti sint à iurisdictione Ordinarij, & solum in quibusdam casibus à iure expressis subiecti, sequitur, quod iurisdictio ipsorum non possit se extendere ad Regulares extra casus expressos.

4 Tum quia casus non expressus habetur pro ommisso. *l. Commodissimè. ff.* De *liberis, & posth.* & Cap. *Inter temporalia.* De *translatione Episcop.* & Cap. *Cum dilectus.* De *offic. Ordinar.* & Cap. *Is qui. De sent. excommunicat.* quod locum habet in omnibus dispositionibus, vt notat Ancharan. *Consil.* 120 *init.* & *Consil.* 245. *num.* 5. vbi docet, id valere, etiam si maior ratio militet. Socin. *Consil.* 32. *num.* 18. *lib.* 1. Alexan. *Consil.* 113. *num.* 5. *lib.* 2. & *Consil.* 123. *num.* 21. *lib.* 4. Oldrad. *Consil.* 224. *num.* 14. Tiraquel. *De iure primogenit. q.* 40. *n.* 194. Vnde sequitur, quod in casu non expresso in iure Ordinarius non habeat iurisdictionem in Regula

gula

gulares stante eorundem generali exemptione.

5 Et cum casus exceptus firmet regulam in contrarium. *l. Nam quod liquide. §. fin. ff.* De *penu legata*. & *l. Quasi um. §. Idem respondit. ff.* De *fun. instr.* & Cap. 2. *De coniug. lepros.* Atque in iure sint expressi casus, in quibus Regulares non sunt exempti, sequitur regula generalis, quod in omnibus sint exempti, in quibus specialiter non subijciuntur Ordinarijs; atque adeo quod iurisdictio ipsorum non sit extendenda, nisi ad casus expressos.

6 Quod præsertim verum est, quia vbi expressum requiritur, non sufficit tacitum, & præsumptum. Cap. 2. *De præbend.* & *Cap. fin.* De *procurat. in 6.* Cũ autem Regulares sint vniuersaliter exempti à iurisdictione Ordinariorum, & solum in aliquibus casibus subiecti, non possunt Ordinarij prętendere iurisdictionem in ipsos, nisi expressè ipsis concedatur, quia stante regula generali est opus speciali expressione, vt habeatur exceptio, nec contra ipsam exceptio est admittenda, nisi de illa constet. *l. Ab ea parte. ff.* De *probat.* & *l. Illud. C.* De *Sacrosanct. Eccles.* & *l. fin. C.* De *hæred. instit.* & *l. Apud antiquos. C.* De *furtis*. & Cap. 2. *De coniug. lepros.* Et ideo in casu nostro non debet admitti extensio iurisdictionis Ordinarij in Regulares extra casus exceptos in iure, cum extra ipsos non constet de exceptione à regula vniuersali exemptionis.

7 Accedit etiam, quod cum sit concessa Regularibus absoluta exemptio à iurisdictione Ordinarij, & exprimantur in specie casus, in quibus Pontifices volunt, subesse Ordinario, itaut ad conseruandam generalem exemptionem, vt plurimum constituant Episcopos pro illis casibus Sedis Apostolicæ delegatos, vt passim in Concilio Tridentino, concessio iurisdictionis pro illis casibus stat taxatiuè. Quia cum inclusio vnius sit exclusio alterius. *l. Cum Prætor. ff.* De *iud.* & *l. Quamuis. C.* De *pignoribus*. & *l. Ait Prætor. §. Sed quod Papinian. ff.* De *minorib.* & Cap. *Nonne.* De *præsumpt.* sequitur, quod expressio casuum, in quibus Regulares subijciuntur Ordinarijs, neuum includat alios, sed etiam excludat iuxta doctrinam Abbatis. *Consi. 57. num. 2.* ver. *Sexto. lib. 1.* Calderini. *Consil. 543. a ias. Consi. 12. De sent. excommun.* ver. *Expressio autem.* Angeli *Cõsil. 375. num. 3.* Ruini *Consil. 112. num. 3. lib. 5.* Castrens. *Consi. 468. num. 4. lib. 1.* Ancharani *Consil. 70. num. 8.* Geminiani *Consi. 15. num. 18.* ver. *Adsextũ.* & *num. 19.* Ex proinde quod iurisdictio Ordinariorum in Regulares non sit capax extensionis de casu ad casum ex paritate rationis.

8 Denique cum intersit Summo Pontifici, suos subditos ab alio non iudicari, vt tradunt Abbas *in Cap. 1. num. 19.* De *re iud.* & *in Cap. Si de terra. num. 5.* De *priuileg.* & *in Cap. Significasti. num. 8. in fine.* De *foro competenti.* Io. Andr. *in Cap. Scienti. in fine.* ver. *Si verò.* De *reg. iur. in 6.* Francus *ibid. num. 4.* Felin. *in C p. Cum olim. num. 3.* De *præscriptionib.* Castrens. *Consi. 432. num. 3. lib. 1.* Armilla, *verbo*, Exemptio. *num. 8.* Gail. *lib. 1. Obseruat. 40. num. 2.* Galerat. *tom. 2. De renunciat. centur. 2.* Renunciat. *140. num. 18.* Rota *in Vlixbonen. Monasterij. 19. Nouemb. 1625. Coram Coccino* alios citans, & in *Gandauen. Monasteriorum 29. April. 1641. Coram Panzirolo.* sequitur, quod extensio iurisdictionis Ordinariorum in exemptos esset contra interesse Summi Pontificis, & contra iura præseruantia auctoritatem, & iurisdictionem ipsius. Vnde non esset extensio in fauorabilibus, sed in odiosis, in quibus non admittitur, cum debeant iuxta regulam iuris restringi.

9 Neque vrgent, quæ pro se affert Cochier. nam ad primum dicitur, quod non sumus in exorbitantibus à iure, sed in correctorijs; nam concessio iurisdictionis Ordinarijs in Regulares corrigit in parte legem vniuersalem de exemptione; in correctorijs autem tanquam in odiosis non fit extensio, sed restrictio. argum. *l. Præcipimus. C.* De *appellat. in fine.* & *l. Sancimus. C.* De *testamen.* & Cap. *Cum expediat.* De *elect. in 6.* Neque dici

dici potest, quod debeat fieri extensio, quia correctio reducit ad ius antiquum. cum Glos. in Cap. Statutum, verbo. *Munerandum*. De *præben. in 6.* & alijs. nam hoc habet locum, quando ius antiquum non est in totum abrogatum tanquam odiosum, vt notat Tiraquel. *in Præfat. ad Retract. num.* 9. Ius autem subijciens religiosos Ordinario est abrogatum, vt odiosum, & præiudicans communi vtilitati, & iurisdictioni Summi Pontificis, vt constat ex ipsius abrogationibus.

10 Ad 2. resp. Ordinarijs esse concessum quicquid non est expressè prohibitum, ex eo, quod habent iurisdictionem per totam suam Diocœsim quò ad personas subditas, non autem quò ad exemptos, nam per exemptionem subtrahuntur ipsorum iurisdictioni; & ideo quicquid ipsis in exemptos non est expressè concessum, censetur prohibitum. Vnde iurisdictio Ordinariorum quò ad ipsos non est fauorabilis, sicut est quò ad solas personas subditas, sed odiosa, vt constat ex dictis.

11 Ex quibus colligitur non esse admittendam doctrinam, quam tradunt Innocent. *in Cap. Dudum.* De *Priuilegijs*. Bellamera *Cons.* 20. Boer. *Consil* 24. *nu.* 8. *lib.* 1. Craueta *Consil.* 152. *num.* 2. Abbas *in Cap. Cum capella. num.* 5. De *Priuileg.* Fuscus *lib.* 2. *De visit. cap.* 20. *num.* 29. Flamin. *lib.* 3. *De resignat. quæst.* 16. *num.* 6. Ceuallos *par.* 2. *De cognit. per viam violentiæ. quæst.* 71. *num.* 29. dum docent, exemptionem à iurisdictione Ordinarij esse odiosam, & stricti iuris, quia detrahit ijsdem Ordinarijs, nam licet ipsis, sit odiosa, est tamen fauorabilis Summo Pontifici, & Regularibus; & proinde nō est restringēda, sed amplianda, quia præualet fauor; quando enim lex habet admixtum odiū & fauorem, est censenda fauorabilis, si fauor sit ex intentione legislatoris, vt notat Glos. *in Cap. Si propter.* verbo, *Primi anni* De *rescript. in 6.* Dominic. *ibid. nu.* 9. Francus *num.* 6. Item Glos. *in Cap. Sciant cuncti.* verbo. *Alios.* De *elect. in 6.* Io. Andr. & Geminian. *ibid.* Bar. *in l. Qui exceptionē. num.* 2. *ff.* De *condit. indeb.* Alber. Ias. Salic. *ibid.* Castrens. *in l. Si quis nec causam. nu.* 4. *ff. Si cert. pet.* Felin. *in Cap.* 1. *num.* 14. De *sponsal.* Euerar. *loco à ratione leg. ampla. numer.* 68. Syluest. *verbo.* Interpretatio. *in fine.* Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 11. *nu.* 5. alios citans Mandos. *Reg.* 10. *de ann. quæst.* 3. *numer.* 7. Flamin. *lib.* 12. *De resignat. quæst.* 2. *num.* 23. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 1. *numer.* 4. Tiraquel. *De retract. in Præfat. num.* 56. & §. 30. *Glos.* 1. *num.* 5. Menoch. *De recuper. possess. Remed.* 1. *num.* 28. Ioseph. Ludouic. *Decis. Lucens.* 26. *num.* 23. *par.* 1. Cephal. *Consil.* 35. *vol.* 1. Honded. *Cons.* 95. *num.* 17. Et desumitur ex Cap. 2. §. *Statuimus.* De *decimis. in 6.* ibi. *Cum non sit dicendum asperum, sed pium potius, & benignum*. Et ratio est, quia intentio est forma legis. & finis dat speciem actionibus humanis. Finis autem, & intentio concedendi exemptionem Regularibus fuit fauor ipsorum, vt desumitur ex Cap. *Nimis iniqua*; & Cap. *Nimis praua*. De *excessib. Prelat.* quia nimis grauabantur ab Ordinarijs, & notant Rebuf. *Resp.* 142. Vbald. *De canon. Epis. cap.* 3. *quæst.* 6. *nu.* 9. Tusch. *verbo.* Exemptio. *Conclus.* 566. *n.* 6. Cochier. *to.* 1. *De iurisd. Ordinar. in exemp. par.* 1. *quæst.* 1. *numer.* 15. Cened. *quæst.* 26. *num.* 3. Et proinde in dubijs Priuilegia sunt interpretanda in fauorem Religiosorum, vt notant Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 3. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 11. *art.* 6. *regul.* 10. Hieron. Rodriq. *Resol.* 90. *num.* 49. & habetur ex Priuilegio Leonis X. vt in Compendio *Priuileg. Societ. Iesu.* verbo, *Priuileg.* §. 4. & in Compend. *Priuileg. Benedict. ibid. num.* 49.



An regulares incidant in excommunicationem latam ab Episcopo contra lacerantes cedulones ab ipso affixos, si lacerent. Quæst. 136.

S V M M A.

1 *Regulares lacerantes cedulones non incidunt in excommunicat. ab ipso latam contra lacerantes.*
1 *Etiam si expreßè nominarentur.*
2 *Iurisdictio non potest exerceri in non subditum.*
3 *Turbans iurisdictionem alterius potest ab ipso puniri.*
4 *Excommunicatio lata contra lacerantes cedulones ab Episcopo non iuuat pro puniendis Regularibus turbantibus iurisdict.*
5 *Non est defensio parata, sed pœna iurisdictionali modo imposita.*

1 Quod non incidant, quia expressè nō nominantur Regulares, sed est tātum lata generaliter contra lacerantes, docet Alphonsus de Leone *De censur.* Recollect. 2. *num.* 473. Quid autem sit dicendum, si exprimeret, in specie etiam Regulares, non explicat.

2 Sed tenendum est, quod etiam si exprimeret, non eos afficeret. Siue enim non exprimat, siue exprimat, semper ferre excommunicationem est actus iurisdictionis, & ideo siue feratur per modum legis, siue quocunque alio modo, non se extendit ad non subditos, quia iurisdictio non potest exerceri in non subditum, iuxta illud 1. *Ad Corinth. Cap.* 5. De *his qui foris sunt nihil ad nos.* & Cap. 2. *De constit. in* 6. Extra *territorium ius dicenti non paretur impunè.* Regulares autem non sunt sub iurisdictione Episcopi, cum sint ab ipsa exempti.

3 Dices. Qui turbat iurisdictionem alterius, potest ab ipso puniri. Cap. 1. *De offic.* Delegati. vbi communiter Doctores, & Cap. *Dilecto.* De *senten. excommunicat. in* 6. & *l. Vnica. init. ff. Si quis ius dicen. non obtemper.* & communiter Doctores, quos allegat, & sequitur Farinac. *in Pract. Tit. De crimine læsæ maiest. quæst.* 113. *num.* 67. quia tunc punitio reducitur ad defensionem iurisdictionis, atque adeò ad ius naturale, vt ex citato Cap. *D. lecto.* habetur. Regularis autē lacerans cedulones Episcopi turbat ipsius iurisdictionem.

4 Resp. Ex hoc tantùm sequi, quod stante perturbatione iurisdictionis possit contra Regularem procedere remedio congruo, & adhibere etiam censuras, si opus sit, non tamen, quod incidat in excommunicationem iam latam contra lacerantes, quia hæc non fuit directa ad ipsum, cum non sit subditus, & proinde non comprehendatur sub actu iurisdictionis Episcopi, qualis est impositio excommunicationis. Et quia ius puniendi turbantes iurisdictionem incipit solùm, quando incipit turbatio; impositio autē excommunicationis est iurisdictio exercita ante turbationem iurisdictionis, ideo non se extendit ad Regularem.

5 Instari tamen potest. Excommunicatio est defensio parata contra perturbantes iurisdictionē, atque adeò respicit actum perturbationis, ergo Regularis, dum perturbat, incidet in ipsam, vt pote iam habilis puniri. Resp. non esse defensionem paratam, sed se habere per modum pœnæ iurisdictionali modo impositæ, & ideò non extenditur ad non subditos; aliàs omnis excommunicatio, & pœna imposita à lege afficeret non subditos, quia posset dici, quod sit parata defensio pro tuitione legis, & iurisdictionis exercitæ in imponenda lege. Non ergo se habet per modum defensionis, quia defensio non potest incipere, nisi incipiente iniuria. vnde cū impositio excommunicationis sit non existente iniuria illata, non erit actus defensionis, sed iurisdictionis, qui non se extendet ad non subditos.

An

An Ordinarius punire possit Regulares abutentes suis Priuilegijs. Quæst. 137.

S V M M A.

1 *Affirmans opinio.*
2 *Ordinarius non potest punire Regulares abutentes suis priuilegijs.*
3 *Etiam si concernant exemptionem.*
3 *Per abusum non perditur Priuilegium ipso facto.*
4 *Quid si in Priuilegio dicatur, quod ipso facto sit amissum?*
4 *Pœna à lege ipso facto imposita non habet locum, nisi præcedat sententia declaratiua.*
5 *Ordinarius non potest iudicare exemptos de abusu Priuilegiorum.*
5 *Iudicare de Priuilegijs concessis à Pontifice, ad ipsum solùm pertinet.*

1 AFfirmat Tamburinus *to.* 1. *De iure Abbat. disput.* 15. *quæst* 7. *num.* 53. ver. *Ordinarius punit*; sed non probat, & solùm citat Zabarel. in *Clement. Abusionibus. num.* 1. *& vlt.* De pœnit. & *in Clement. vnicam. num.* 16. De *Officio Ordinar.* Nec scio, in quo iure, aut ratione fundari possit. Solùm posset dici, quod abutens priuilegio exemptionis, illud amittat, & proinde desinat esse exemptus, atque adeò vt subiectus iurisdictioni Episcopali possit puniri.

2 Tenendum tamen est pro certo, quod Ordinarius non possit punire Regulares propter abusum priuilegiorum, etiam si concernant exemptionem ab ipsius iurisdictione. Quod non possit punire ob abusum priuilegiorum, quæ non concernunt exemptionem, cõstat, quia non obstante huiusmodi abusu, remanent exempti ob priuilegium exemptionis, quod habet vim legis.

3 Quod autem neque propter abusum priuilegij concernentis exemptionem possit punire probatur. Nam non obstante tali abusu priuilegium nõ amittitur ipso facto, sed tantùm est auferendum; iura enim, quæ ponunt amissionem priuilegij propter abusum, vt Cap. *Vbi. Dist.* 74. & Cap. *Priuilegium.* 11. *q.* 3. & Cap. *Licet.* De regularib. & Cap. *Priuilegia.* De *Priuilegijs.* & Cap. *Contingit.* 2. De *senten. excommunicat.* solùm significãt, abutentem priuiegio esse priuandum. nam dicitur, quod *Meretur*; qui autem meretur pœnam aliquam, non illi subiacet, nisi ex sententia Iudicis infligentis. Quare abutens priuilegio exemptionis, non per hoc statim caret exemptione, & proinde non subiacet iurisdictioni Ordinarij.

4 Quod si in aliquo priuilegio concernente exemptionẽ ponatur pro abusu pœna amissionis ipso facto incurrenda, neque adhuc potest Ordinarius punire Regularem, quia nõ incurritur pœna amissionis, nisi præcedat sententia declaratoria abusus, vt desumitur ex *l. Eius, qui delatorem. ff.* De *iure Fisci.* & Cap *Cum secundum.* De *hæreticis. in* 6. vbi, quod requiritur sententia declaratoria hæresis, vt locum habeat confiscatio bonorum ipso facto imposita pro hæresi. Et tradunt Bart. *in citat. l. Eius, qui delatorem.* Isernia *in Cap.* 1. *num.* 10. ver. *Damnetur quo tempore.* De *feud. sine cul. non amitt.* Felin. *in Cap. Rodulphus. num.* 35. De *rescriptis*, Tiraquel. *in l. si vnquam. verbo*, Reuertatur. *num.* 400. C. De *reuocan. donat.* & docent communiter de lege pœnali, quod non sortiatur suum effectum quò ad pœnam, nisi præcedat sententia declaratoria criminis. Ita Bald. *in Cap.* 1. De *feud. sine culpa non amit.* Io. Andr. *in Cap. Pro humani.* De *homicid. in* 6. Dec. *in Cap.* 1. *num.* 73. *in* 1. *lect.* De *constitut.* Syluester *verbo.* Assaninus. *num. vlt.* Tabiena *ibid. num.* 2. *&* 3. Caiet. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. *in fine.* Aragon. & Bannes *ibid.* Salon. *Controuer.* 1. Couaruu. 4. *Decret. par.* 2. *cap.* 6. §. 8. *num.* 10. Grammat. *decis.* 15. *n.* 8. Mysinger. *Centur.* 2. *obserua.* 43 Achil. de Grasis. *Decis.* 1. De *pœnis.* Nauar. *Cap.* 23.

Manual. num. 66. Medina *C. De restitut. quæst.* 1. *§. Post Verum dominium.* ver. *Ad prop situm*. Sotus *lib.* 1. *de iustit. & iure. quæst.* 6. *art.* 6. *conclus.* 1. Molina *tom.* 1. De *iust. & iure. disp.* 95. ver. *Contrariam sententiam.* Riccius *Collect.* 303. Valent. 1. 2. *disp.* 7. *quæst* 5. *punc.* 6. ver. *Ex quo deinde.* Vasquez 1. 2. *disp.* 170. *cap.* 3. Suarez *lib.* 5. *De legib. cap.* 8. *num.* 5. Sanchez alios plures citans *lib.* 2 *in Decal. cap.* 22. *num.* 7. Quod etiam cōstat ex praxi, & ratio est, quia impositio pœnæ ipso facto incurrēdæ habet vim sententiæ condemnatoriæ, sententia autem condemnatoria non potest habere locum, nisi in iudicio constet de crimine; & ideò vt sententia condemnatoria legis habeat locum, & sortiatur, debet crimen deduci ad iudicium, & declarari.

5 Nec potest Ordinarius iudicare Regulares exemptos de abusu priuilegiorum, etiam per solam declarationem abusus. Quia, quando agitur de priuilegio Pontific s, soli Sedi Apostolicæ cōpetit iudicium ex Cap. *Cum venissent.* De *iudic. js.* & notat ibi Glos. verbo, *Iudicari*. Cotta *in Memorabil.* verbo, *Priuilegium*. Gutierez *l b.* 3 *Pract. car. quæst* 28. *num.* 2. Innocent. *in Cap. Venerabili*. De *Cens.* Panorm. *ibid. num.* 3. *&* 4. & *in Cap. Ex parte.* De *verbor. significat.* Gail. *l. b.* 1. *Obseruat.* 1. *num.* 7. Armilla *verbo*, Interpretatio. *num.* 4. Io Garzia *de Nobilit. Glos.* 1. § 1. *num.* 1. *&* 2. Gironda *De Priuileg. & exempt. num.* 83. Cochier. De iurisdict. Ordinarior. in exemp. lib. 2. quæst. 13. Gregor. Lopez *in l.* 2. *tit.* 1. *par.* 2 & *in l.* 27. *Glos.* 1. *nu.* 18. *par.* 3. *& l.* 6. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopil.* ipse Tamburin. *tom.* 1. *De iure Abbat. disput.* 15. *quæst.* 10. *num.* 3. Barbosa *ad dict. Cap. Cum venissent. num.* 2. vbi & alij Doctores. Cuius rei ratio est, quia inferior non potest iudicare superiorem, neque de rebus, quæ ad ipsum concernunt, Priuilegia autem concessa à Pontifice, præsertim si concernant exemptionem, pertinent ad Apostolicam sedem vt quid ipsius.

An Religio amittat priuilegia, si aliqui ex Religiosis illis abutantur. Quæst. 138.

S V M M A.

1 *Religio non amittit priuilegia, quia aliqui abutantur.*
1 *Praiudicans iuri proprio implicato cum alieno, non illi nocet.*
2 *Quando priuilegium est plurium, non valet renunciatio vnius.*
2 *Subditus non validè renunciat priuilegio.*
3 *Nemo ex alieno delicto puniendus.*
4 *Religiosus abutens priuilegio an ipso priuetur.*
4 *Religiosus non renunciat validè priuilegijs, nec renunciando illa amittit.*
5 *Religiosus abutens priuilegia, amittit, si Religio consentiat.*
5 *Qui potest impedire, & tacet, censetur consentire.*
6 *Si vnum, aut plura monasteria abutantur priuilegijs, alia monasteria non amittunt.*
6 *In iure separabili potest vni praiudicari, & non alteri.*

1 Respondendum est, Non amittere, etiam si plures abutantur. Ratio autem est, quia præiudicans iuri proprio, quod est implicatum cum iure alieno, non illi nocet. Cap. *Cum tempore.* De *arbitris.* & Cap. *Cum olim.* §. *Nos igitur*. De *præscriptionib.* Priuilegium autem concessum religioni, & singulis ipsius, ita pertinet ad singulos, vt etiam pertineat ad totum corpus religionis; & ideo qui illi præiudicat per abusum, non præiudicat religioni. Et quod præiudicans iuri proprio loquendo de renunciatione, non teneat præiudicium, si ius proprium sit implicatum cum alieno. tradunt Felin. *in Cap. Cum dilecta.* De *ascriptis.* Abbas *in Cap. Signi-*

*gnificasti.num.*11.*De foro competẽti.* Mandel. *Consil.*74. *num.*3. Seraph. *Decis.* 324. *num.* 5. & 341. *num.* 7. Tusch. *Littera P. conclus.*759. *num.* 3. Sarauia *De iurisdict. adiunctorum. quæst.*7. *num.*7. *in fine*. Nouar. *in Praxi elect. fori sect.*3. *quæst.*7. *n.*15. *& sequent.* Syluester. *verbo*, Priuilegium. *quæst.*10. Armilla *num.*9. Cened. *quæst.*12. *Canonic. num.*10. Sigismundus à Bononia. *De elect. par.*1. *cap.*2. *dub.*25. *num.*7. Suarez *De legib. lib.*8. *cap.*6. *num.*2. Sanchez *lib.*4. *Sum. cap.*39. *num.*29. Rota *Decis.*32. *nu.*8. *par.*2. *Diuers.* & *apud Farinac. in Post. to.*2. *Decis.*273. *num.*3.

2 Quod insuper ex eo confir. Quod priuilegium non magis deperditur per abusum, quàm per renunciationem. Non deperditur autem ex renunciatione, quando priuilegium pertinet ad plures, & ita est inter ipsos implicatum, vt non possit competere vni, nisi etiam cõpetat alteri, vt docent Cancer. *lib.*2. *Variar. Resolut. Cap.*2. *De iurisdict. num.*194. Giurba *Consil.*95. *num.*13. Quod præsertim verum est, quando læditur ius superioris non consentientis, vt notant Castrens. *Consil.* 431. *num.*3. *init.* Roman. *Consil.* 369. *num.*18. Cardinal. *Consil.* 38. *in fine.* Afflict. *Decis.*173. Gratian. *Decis.*78. *n.*50. Cenedus. *quæst.*12. *Canon. num.*8. *& seq.* Tuschus *littera C. Conclus.* 1027. *num.* 3. Gail. *lib.* 1. *Obseruat.* 40. *num.* 3. Rouitus *pract.*2. *De iurisdict. inuit. non turb. nu.*25. Io. Baptista Costa *De scient. & ignorant. Centur.*2. *quæst.*66. *num.*5.

3 Neque obstat, quod in abusu interueniat culpa, & delictum, non autem in renunciatione, quia cum nullus ex alieno delicto sit puniendus. Cap. *Iam itaquè* 1. *q.* 4. & Cap. *Si habes.*24. *q.* 3. & Cap. *Quæris*. *De consecrat. Dist.* 4. & latè Tusch. *littera P. Conclus.*1212. *num.*4. *& sequent.* & Farinac. *par.* 1. *Praxis Crimin. quæst.*24 *num.*1. *& sequent.* non magis debet vnius abusus alteri nocere, quam noceat renunciatio; aliàs ex delicto alterius puniretur.

4 Imo, neque religiosus abutens priuilegio, ipso priuatur, quia non valet abusus contra ipsum, dum non valet cõtra religionem, sicut nec perderet priuilegium, si ipse illi renunciaret, quod sequitur ex hucusque dictis, & ex ijs, quæ tradunt Abbas *in Cap. Ad audient. n.* 12. ver. *In contrarium tamen*. *De præscriptionib.* Felin. *ibid.* Scaccia *De senten. & re iud. Glos.*7. *quæst.*3. *limit.*4. *num.*229. Cenedus *lib.*1. *pract. quæst.*26. *num.*9. Cochier. *De iurisdict. Ordinar. in exemp. par.*3. *q.*12. *num.*4. Tamburin. *De iure Abbat. tom.* 1. *disput.*15. *quæst.*12. *num.*3. Quod præsertim verum est, quia ius religiosi est ius religionis, & ideò quamuis ex propria actione deberet amittere priuilegium, quia tamen manet membrum religionis, ab ipsa in illo manutenetur, à quo deberet cadere.

5 Hoc tamen est limitandum, nisi interueniat consensus religionis etiam tacitus, quia tunc abusus censeretur totius religionis, & proinde tota religio deberet priuari priuilegio; nam consentiẽdo ratum haberet, & proinde faceret suum proprium. Tunc autem censeretur consentire, si videns abusum frequẽter, taceret; quia cum posset impedire, tacendo censeretur consentire. *l. Fideiussor*. *C. Mandati*, & notant Bart. *in l. Quæ dotis. num.*22. *ff.* Soluto *matrimonio*. Barbosa *ibid. nu.*160. Couaruu. *Cap.*15. *Pract. num.* 5. ver. *Tertio*. Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.*99. *num.*15. Tiraquel. *De retractu*. §. 1. *Glos.* 9. *num.* 149. Mascar. *De probat. conclus.*1158. *num.*47. Surdus *Consil.*290. *num.*22.

6 Est tamen aduertendum, quod si vnum, aut plura Monasteria abuterentur priuilegio, non per hoc alia Monasteria ipsum amitterent, si priuilegium esset locale, nam ius vnius Monasterij est separabile à iure alterius, vt notant Milis. *in Repertorio. verbo*, Possessio, *seu quasi iur. incor.* Coccinus *Decis.* 52. *nu.*8. Quando autem ius est separabile, potest vni præiudicari, & non alteri per ea, quæ tradunt Bart. *in l. penul. num.* 3. *Casu* 2. *princ p. C. De pactis.* Bald. *num.*4. *opposit.*4. Salicet. *num.*4. *Casu* 3. Abbas *in Cap. Si diligenti. num.*7. *De foro compet.* Seraph. *Decis.*970. *n.*2. Gonzalez *de alternat. Glos.*45. §.2. *nu.*32. Gratian. *tom.*3. *Discept. Forens. cap.*426. *num.*8. & 9. Rota *apud Farinac.*

Decis. 132. num. 4. tom. 2. Posthum. & in vna Cenensi Iurispatron. 1. Decem. 1606. coram Lugdunensi.

An heres teneatur credere in foro conscientiæ asserenti, quod decedens ab intestato disposuerit de aliqua parte hereditatis in fauorem tertij. Quæst. 139.

S V M M A.

1 *Vnicus testis non sufficit in foro externo pro vltimis voluntatibus etiam ad causam piam.*
2 *Hæres non tenetur in conscientia credere vnico testi quò ad aliquam dispositionem etiam piam.*
2 *Qui non est certus de mandato Apostolico, non tenetur obedire.*
3 *Non tenemur relinquere certum, vt adhæreamus probabili.*
4 *Quod secundum ius Canonicum non inducit obligationem in foro fori, quò ad vltimas voluntates, nec etiam inducit in foro conscientiæ.*

1 QVod non sufficiat pro externo vnicus testis, certum omninò est, etiam si dispositio sit ad causas pias, vt expresè habetur ex Cap. *Licet.* De testib. ibi. *Licet quædam sint causæ, quæ plures, quàm duos exigunt testes, nulla tamen est causa, quæ vnius testimonio, quamuis legitimo, terminetur.* Et proinde requiruntur etiam in dispositionibus pro causis pijs saltem duo testes, vt decernit Alex. III. Cap. *Relatum* 1. De testamen. iuxta illud Deuteron. 17. *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Vnde difficultas est, quid dicendum quò ad forum conscientiæ.

2 Respondendum ergo est. Quod hæres ab intestato, neque in foro conscientiæ tenetur stare testimonio vnius quò ad dispositionem aliquam defuncti, nisi aliunde de ipsa constet iuxta doctrinam Laiman. *lib. 3. Theol. moral. sect. 5. tract. 5. cap. 2. num.* 4. Desumitur autem ex Cap. *Cum in iure.* De *officio deleg.* i. Vbi habetur, quod qui non est certus de mãdato Apostolico, non tenetur obedire. Cum ergo non magis obliget exequutio vltimæ voluntatis, quàm mandatum Apostolicum, qui non est certus de ipsa, non tenetur illam adimplere. Non habetur autem certitudo per testificationem vnius.

3 Ratio autem est. Quia in hoc casu testificatio vnius, licèt omni exceptione maioris, non facit aliquid certum circa mentem defuncti, sed tantùm facit indicium, & probabilitatem. Vnde cõcurrit, quod est probabile cum eo, quod est certum. Est enim certum, quod bona omnia defuncti pertineant ad hæredem succedentem ab intestato, & solùm probabilis dispositio aliquorum ex ipsis ad fauorem tertij. Non tenetur ergo hæres ab intestato relinquere certum, vt adhæreat probabili, & proindè non tenetur se priuare bonis, quæ sibi certò obueniunt, vt ea tradat ijs, quibus solùm ex quodam indicio obueniunt, si quidem ius probabile non exigit in consciẽtia præferri iuri certo.

4 Rursus vnicus testis non sufficit pro foro externo, neque secundùm ius Canonicum, vt constat ex dicto Cap. *Licet.* De testib. ergo neque etiam pro foro conscientiæ. Quia ius canonicum respicit obligationem, quam in ordine ad cõscientiam inducunt vltimæ voluntates defunctorum, & vult, quod in foro externo exequutioni mandetur; & proindè relictis solemnitatibus iuris ciuilis id solùm requirit, quod est necessarium ad certificandam obligationem quò ad cõscientiam, vt in dicto Cap. *Relatum* De testamentis. Vnde si requirit saltem duos testes, vnicus non sufficiet ad certificandam obligationem, quò ad conscientiam.

An inferat iniuriam, qui cum alio contendens dicit, Ego non sum fur. Non sum proditor, &c. Quæst. 140.

SVMMA.

1 *Opinio negatiua.*
2 *Infert iniuriam, qui cum alio contendens, dicit. Non sum fur, &c. & quando.*
3 *Verba, Non sum fur, notant tertium furti.*
3 *Quod virtualiter inest, habetur pro expresso.*
3 *Taciti, & expressi idem est iudicium.*
4 *Verba iniuriosa contra vnum, inferunt etiam iniuriam alteri, si eum tacitè perstringant.*
5 *Verba iniuriosa inferunt iniuriam ex eo solùm, quod taciti sint contra aliquem.*

1 QVod non inferat iniuriam, tenet Antonius Gomez *in Comment. Tit. De iniur. cap. 6. tom. 3* Quia nimirum dicendo, *Non sum fur*, solùm à se remouet notam talis infamiæ, non autem alium lędit, si quidem non dicit, quod alius sit fur.

2 At huiusmodi loquendi modum iniuriam inferre, docent Speculat. *Tit. De aduocat. §. Iam tunc. num.* 3 Boer. *Consi. 4. num.* 17. alios citans. Parlador. *lib. 1. Rerum quotidian. cap. 10. num.* 17. quod tamen ita accipi debet, vt non sint similia verba prolata ad repellendam iniuriam; nam si quis insimularetur furti, aut proditionis, & responderet, *Ego non sum fur. Ego non sum proditor*, staret in terminis defensionis, & proindè non inferret, sed solùm propulsaret iniuriam.

3 Ratio autem est, quia hæc verba, dum non ordinantur ad defensionem, ordinantur ad segregandum proferentem ab eo, cum quo loquitur, ita vt ponant discrimen in eo, quod non sit fur, non sit proditor, & continent tacitam comparationem oppositorum, ita vt sit tacitus sensus *Non sum fur, sicut tu*: vnde inest virtualiter his verbis iniuria, qua alter notatur vt fur; & proinde censenda sunt verba expressè iniuriosa, nam id pro expresso habetur, quod virtualiter inest, vt notant Anton. Monach. *Lucens. Decis. 33. num.* 10. Ioseph Sesse *Decis. Arragon 202. num.* 31. Quod præsertim verum est, quia taciti, & expressi idem est iudicium *l. Cum quid. ff. Si cer. pet.* & *l. fin. ff.* De *legat. 2.* & *l. Item quia. ff.* De *pactis.*

4 Quod amplius confirmatur, nam qui verba iniuriosa proferens vnum nominat, & alium tacitè perstringit, huic etiam iniuriam infert, si ex indicijs colligitur in ipsius quoque iniuriam fuisse prolata, vt habetur ex *l. Lex Cornelia. §. Si quis librum. ff.* De *iniurijs*. vbi Glos. & tradunt Bart. *in l. Item apud. §. Cui. ff.* De *iniur.* Albericus *in tract. Statut. par. 2. quæst.* 40. Iaf. *in l. Turpia. num.* 10. *ff.* De *legat.* 1. Penna *in l. Errat. C.* De *castrensi pecul.* In casu autem nostro modus ipse loquendi clarè indicat, quod dicta verba *Non sum fur*, alium perstringunt, & tendunt in contumeliam ipsius; inferent ergo illi iniuriam.

5 Rursus vt verba iniuriosa inferant iniuriam, sufficit, si tacitè contra aliquem tendant, vt si nemine nominato impersonaliter proferantur, si tamen ex indicijs appareat, contra quem proferantur. vt ex dicta *l. Lex Cornelia. §. Si quis librum.* & *l. Quod Senatusconf. ff.* De *iniurijs*. desumitur, & docent Bart. *in l. Item apud. §. Cui. ff.* De *iniur.* Socin. Iun. *Consi. 38. lib. 2.* Capic. *Decis.* 58. Quando autem contendens cum aliquo, dicit *Non sum fur*, & non ad repellendam iniuriam sibi illatam, hæc verba tacitè tendunt contra tertium, ita vt quod remouent à proferente transferant in ipsum. Erit ergo illata iniuria.

An Capitulum Generale Regularium, aut ipsorum Generalis possint Prouincias nouas erigere, & erectas diuidere. Quæst. 141.

SVMMA:

1 *Mutationes Sedium Episcopal. erectiones, & diuisiones Episcopatuum, & Prouinciarum non fiunt sine Apostolica Sede.*
2 *Discrimen inter Prouincias Regularium, & Episcopatus.*
3 *Capitulum Generale potest erigere, & diuidere prouincias apud Regulares.*
4 *Quando facienda diuisio, & erectio nouarum Prouinciarum.*
4 *Vbi habet locum ratio legis, habet locum etiam dispositio.*
5 *Capitulum generale habet plenam dispositionem regiminis Religionis, si habet potestatem legislatiuam.*
5 *Fratres Minores prohibentur erigere, & diuidere Prouincias.*
6 *Generales Religionum non possunt erigere, & diuidere Prouincias.*
6 *Erectio Prouinciarum requirit potestatem legislatiuam.*
6 *Causa parit effectum sibi commensuratum.*
7 *Generales tenentur regere Religionem secundum mensuram Constitutionum.*

1 NEgatiuam partem tradũt Miranda *tom. 2. Manual. quæst. 7. art. 11.* Rodriquez *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 23. art. 8.* & *tom. 3. quæst. 43. art. 1.* Casarub. *in Compen. Priuileg. Mendicant.* verbo, *Prouintia.* Fernandez *par. 1. Exam. theol. mor. cap 5. §. 2. num. 1.* Portel. *in Dubijs Regularib.* verbo, *Prouincia.* Quod colligunt ex diuersis textibus, in quibus statuitur, vt erectiones, mutationes Sedium Episcopalium; diuisiones Diocesum non fiant absque facultate Sedis Apostolicæ, vt in Cap. *Felix.* & Cap. *Pretiosus. 16. quæst. 1.* & Cap. *Temporis.* & Cap. *Mutationes. 7. quæst. 1.* & Cap. *Sicut vnire.* De *excessibus Prælator.* & Cap. *Nisi specialis.* & Cap. *Quod translationem.* De *officio legati.* Nec Archiepiscopus potest diuidere Prouincias. Cap *Peruenit.* D *ist. 101.* Volunt autem, esse eandem rationem de Capitulo Generali Regularium, & eorumdem Generali.

2 Sed hanc esse rationem friuolam, nec tenere paritatem, ait Peirinus *De Priuileg. Regular. in Additam. ad Constitut. Iulij II. Cap. 3. num. 24.* Quia multum interest inter Episcopatus, & Prouincias, quia Episcopi sunt perpetui, & ideò, si ab vno Episcopatu diuidatur portio diocæsis pro erigendo alio Episcopatu, erit in præiudicium Episcopi. Secundò. Quia diuisio Episcopatuum causaret rumorem in Populis. Tertiò. Quia Episcopi non fiunt absque consensu Pontificis. Quartò. Quia Episcopus habet in Diocœsi Sedem Episcopalem, quam non potest mutare absque consensu Sedis Apostolicæ. *C. Mutationes.* Cap. *Temporis. 7 quæst. 1.* Et denique, quia sicuti ad dissoluendum carnale matrimonium requiritur causa, & auctoritas Prælati, ita etiam ad dissoluendum spirituale. Sed hæc duo posteriora discrimina non iuuant; quia, si diuideretur Episcopatus, primus Episcopus non mutaret Sedem. Deinde est diuersa ratio de indissolubilitate matrimonij carnalis, & spiritualis, nam carnale non ita potest dissolui, vt maritus cum alia contrahat, sicut potest Episcopus aliam habere Ecclesiam. & cum carnale sit celebratum cum auctoritate Ecclesiæ, requiritur eadem auctoritas ad separationem. vnde solùm sequeretur ex hoc, quod esset necessaria auctoritas Ecclesiæ pro diuisione Episcopatuum, sed non suprema.

3 Non sunt ergo leges circa institutionem, & diuisionem Episcopatuum extendendæ ad prouincias, quia, cum non sit eadem ratio, non adest fundamentum extensionis, & proinde tenendum est cum Peirino *citato.* Quod possit Capitulum generale erigere nouas Prouincias, & erectas diuidere. Hoc autem

tem

tem in primis habetur ex concessione Clementis VIII. facta Fratribus S. Mariæ de Mercede, quæ est. in *tom. 3. Bullar. Constitut. 112. eiusdem Pontificis*. Vndè, qui habent communicationem priuilegiorū, possunt vti eadem facultate.

4 Deinde erectio nouarum prouinciarum, & antiquarum diuisio debet fieri secundùm Canones, quando adest aliqua necessitas, seu quia non possunt cōmodè visitari, seu quia ob diuersitatem dominiorum sæcularium nō potest seruari pax inter subditos, & ex alijs huiusmodi causis rationabilibus. ita Cap *Precipimus. 16. quæst. 1* & Cap. *Vnico. §. Sanè*. De *officio deleg.* & Tridentinum. *sessione 21. cap. 4. De reform.* & notant Glos. *in d. Cap. Vnicum.* verbo, *Multiplicarat*, & verbo, *Ereximus*. Rebuf. *in Praxi Benef. Tit. De erect. Eccles. in Cathed. num. 2. par. 1.* Mandos *De signat. grat.* Tit. *De erect. Eccles.* Barbosa *De potest. Episc. par. 1. allegat. 68. num. 1* Ergo ex iisdem causis proportionaliter poterunt etiam erigi, & diuidi prouinciæ apud Regulares, quia vbi habet locum ratio legis, ibi habet locum etiam dispositio ipsius *l. Illud. ff.* Ad *leg. Aquil.* & *l. Si post dauerit. §. 2. ff.* Ad *leg. Iuliam de adult.* & *l. Quidam numularios. ff.* De *edendo*. & *l. Illud. C.* De *sacrosanc. Eccles.*

5 Ratio autem à priori est, quia Capitulum Generale habet potestatem legislatiuam, vt supponitur, atque adeò habet facultatem instituend ordinem, secundùm quem tota Religio dirigatur secundùm ipsius exigentiam, ergo habet etiam facultatem erigendi de nouo, & diuidendi Prouincias; quia Institutio Prouinciarum est pars ordinis ipsius regiminis. Et sicut summus Pontifex potest diuidere, & instituere Diocœses, & Prouincias, quia ad ipsum spectat vniuersale regimen Ecclesiæ; ita etiam Capitulum generale idem poterit circa prouincias religionis, quia ad ipsum spectat vniuersale regimen religionis. Hinc vt Fratres Minores non possent nouas Prouincias erigere, opus fuit speciali prohibitione Nicolai IV. vt habetur *in Compend. priuileg.* verbo, *Prouincia*. §. 1. & meminit Miranda *tom. 2. Manual. quæst. 7 art. 11.*

6 Quod autem spectat ad Generales tenendum est contra Peirinum *citato tom. 3. priuilegiorum in Additam. ad Constit. Iulij II. cap. 3.* & Trimarchi in quadam Lucubratione de hac re apud *citat. Peirin.* quod non possint nouas erigere prouincias, aut erectas diuidere, supposito, quod non habeant potestatē legislatiuam, ita vt possint condere nouas leges, aut veteres abrogare, aut potestatem delegatam à Capitulo generali. Ratio est, quia erigere, & diuidere Prouincias est ex maioribus actibus, qui cōcernunt ordinationem regiminis, ergo requirit etiam maiorem potestatem, atque adeò potestatem legislatiuam, nam causa non potest producere effectum, nisi secundùm propriam mensuram, determinationem, & limitationem. *l. In agris. ff.* De *acquiren. rer. domin.* & *l. Cancellauera. ff.* De *ijs, quæ in test. delen.* & *l. Ex facto. §. Item quæro. ff.* De *vulg. & pupil. substit.* & Cap. *Ea noscitur*. De *sent. excommunicat.*

7 Præterea Generales accipiunt regimen religionum exercendum secundùm præscriptionem Constitutionum, Statutorum, & Ordinationum: Vndè facultas ipsorum est tantùm in ordine ad exequutionem, non autem ad aliquam innouationem regiminis; ergo non possunt nouas erigere prouincias, aut erectas diuidere, quia hoc est innouare ea, quæ pertinent ad regimen.



An

An facultas audiendi Confessiones, validè reuocetur sine iusta causa ab Ordinarijs, si sit absolutè concessa. Quæst. 142.

S V M M A.

1 *Ordinarius reuocans sine iusta causa facultatem audiendi confessiones, peccat mortaliter.*

2 *Reuocatio est inualida quò ad absolutè approbatos.*

3 *Approbatus absolutè ad audiendas confessiones habet ius absolutum per modum sententiæ acquisitum.*

3 *Sententia iniqua non nocet.*

4 *Iudicium de idoneitate absque causa non potest retractari.*

4 *Concilium Tridentinum assistit approbatis ab Ordinario pro facultate audiendi confessiones.*

5 *Regulares habent à Sede Apostolica iurisdictionem in foro conscientiæ.*

5 *Facultas Ordinariorum quò ad Confessarios regulares.*

6 *Confessarij simpliciter approbati non tenentur obedire, si Ordinarius absque causa vetet audire confessiones.*

6 *A sententia euidenter iniqua non est opus appellare, sed sufficit allegare iniquitatem.*

1 QVod Ordinarius peccet mortaliter auferendo licentiam audiendi confessiones absque iusta causa, tenent communiter, præsertim *citandi*, quia sine causa priuat tertium iure acquisito, & cum notabili detrimento bonæ opinionis; quod specialiter militat quò ad Regulares, quibus, vt dicemus, Episcopus non dat iurisdictionem, sed tantùm iudicat de ipsorum idoneitate, iuxta formam Concilij Tridentini, de qua infra. Et in re graui facit contra Decretum Sacræ Congregationis. *Sub die 20. Nouembris* 1615. in quo statuitur, quod Ordinarij non possint suspendere regulares ab audiendis confessionibus, si simpliciter sint admissi, nisi ex noua causa, quæ concernat confessiones, aut quia non obseruent interdictum ab ipsis Ordinarijs impositum.

2 Tenendum igitur est contra Turrianum *De pœnit. quæst.* 8. *art.* 1. *disp.* 26. *dub.* 3. Io. Sanchez *in Select. de Sacram. disp.* 48. *num.* 23. Quod Ordinarius non possit absque causa reuocare licentiam audiendi confessiones semel absolutè cōcessam, & proinde reuocationem esse nullam. Ita Fumus *verbo*, Absolutio. Baptista Salis *in Sum. tit.* 4. *De confess. n.* 5. Syluester *verbo*, Confessor. 2. *num.* 5. Rodriquez *tom.* 3. *quæst. Regular. quæst.* 23. *art.* 6. & *in Bullam Cruciatæ.* §. 9. *num.* 32. Vega *par.* 1. *Sum. Cap. De confessario. Casu* 7. qui volunt, quod neque à successore possint iterùm examinari, aut reuocari licentia, loquendo tamen de Regularibus. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 14. *art.* 10. *conclus.* 2. Suarez *De pœnit. disp.* 28. *sect.* 8. *num.* 4. & 5. Henriquez *lib.* 3. *de Pœnit. cap.* 6. *nu.* 6. Facundez *Precep.* 2. *Eccles. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 26. qui tamen loquitur de solis Regularibus, & vult, hoc illis conuenire ratione priuilegij, vt in *Motu proprio* Pij V. qui incipit. *Romani Pontifices*; non autem de iure communi; quod tamen non est verum; nam conuenit de iure communi, vt constabit ex dicendis. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 8. *dub.* 7. Laiman. *lib.* 5. *Theol. mor. cap.* 11. *nu.* 6. Coninch. *disp.* 8. *De Sacram. pœnit. dub.* 7. *num.* 59. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 267. Peirin. *tom.* 1. *Priuileg. ad* 2. *Constit. Sixti IV. n.* 44. Portel. *in Dub. Regular. verbo*, Licentia. *in Addit. num.* 4. Lezana *tom.* 1. *quæst. Regular. cap.* 19. *n.* 9. Gauātus *in Manuali Episcop. verbo*, Confessor. *num.* 23.

3 Ratio autem est. Quia approbatus absolutè ad confessiones audiendas, acquirit etiam absolutum ius, quod illi com-

confertur per modum sententiæ, qua iudicatur idoneus ad exercitium huius ministerij; ius namq. est secundùm mensuram approbationis. Ergo non potest priuari sine causa iure acquisito; & si priuetur, actus seu sententia priuationis est nulla, vt potè contra iustitiam; contra quam quæcunque fiunt, non possunt subsistere; & vltra facultatem Ordinarij, quia cum omnis facultas rationabilis sit, non se extendit ad iniusta; Et proinde talis reuocatio non nocet habenti ius audiendi confessiones, sicut de sententia iniqua tradunt Dec. *consil.* 445. *num.* 41. ver. *Quinto respondetur.* Socin. Iun. *Consil.* 181. *num.* 98. *lib.* 2. Craueta *Consil.* 622. *num.* 5. *lib.* 4. Menoch. *Consil.* 501. *num.* 7. & *Consil.* 904. *num.* 68. Sic etiam reuocatio sententiæ iustæ esset nulla, si aliàs etiam subsisteret, quia esset contra iustitiam, & non noceret ei, in cuius fauorem lata fuisset sententia iusta.

4 Quod amplius confirmatur ex decreto Concilij Tridentini *Sess.* 23. *Cap.* 15. *De Reformat.* vbi decernit, quod Sacerdotes non possint exercere potestatem absoluendi à peccatis, quam in sua ordinatione accipiunt, nisi obtenta approbatione ab Ordinarijs, aut nisi habeant parochiale beneficium, ergo facultas audiendi confessiones nō potest ab Ordinarijs auferri ab ijs, qui sunt absolutè approbati, quia cum approbatio sit iudicium de idoneitate, supposito, quod iustum fuerit, non potest absque noua causa retractari; quod enim semel approbatum est, non potest amplius reprobari, nisi aliquid de nouo superueniat, iuxta Reg. *Quod semel placuit.* De *reg. iur. in* 6. Et ideò confessarius semel absolutè approbatus, remanet semper idoneus, quousque ex noua causa declaretur non idoneus. Stante autem approbatione habet confessarius assistentiam legis Cōcilij Tridentini, in cuius virtute potest audire confessiones, contra quam cum non possit Episcopus ire, nec etiam potest auferre facultatem audiendi confessiones, nisi retractando approbationē, & iudiciū de idoneitate, atq; adeò solùm ex causa, ob quam desinat esse idoneus.

5 Et hoc habet locū speciali modo in Regularibus, quia, vt dictum est supra *quæst.* 128. *num.* 5. habent iurisdictionem non ab Ordinarijs, sed à Summo Pontifice, vt habetur ex Extrauag. *Inter cunctas* De *priuileg.* & ex *Constit. Clem. IV. Quæ incipit Exigentibus.* & ex priuilegio Sixti IV. *Ordini Prædicatorum. in Bulla* quæ incipit. *Sedis Apostolicæ.* v. *Id. Iunij* 1477. & Pauli III. *Societati Iesu. die* 3. *Iulij* 1545. *in Bulla.* Cum *inter cunctas.* & à Paulo IV. *in Bulla* Ex *Clementi. die* 1. *Iulij* 1556. & ex Clement. *Dudum.* §. *Per huiusmodi.* De *sepult.* ibi, *Nequaquam intendimus potestatem in hoc concedere ampliorem.* Et ita etiam notant Glos. *in Cap. Si Episcopus.* verbo, *Item tertio.* De *Pœnit. & remis. in* 6. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 6. *num.* 5. & 6. Confet. *in Compend. Priuileg. Mendicant. Tit.* 17. *cap.* 5. ver. *Septima.* Graf. *in Append. ad Decis. lib.* 2. *Cap.* 5. *numer.* 15. Vasquez 3. *par. tom.* 4. *quæst.* 93. *art.* 3. *dub.* 3. *nu.* 2. Beia. *par.* 4. *Cas. Conscien. Casu* 20. ver. *Non placet mihi.* Suarez *disput.* 28. *de pœnit. sect.* 4. *num.* 22. Portel. *in Dub. Regular. verbo,* Licentia. *in Addit. n.* 4. Io. Suarez *in Enchirid. lib.* 5. *verbo,* Confessor. *ver. Confessores Regulares.* Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 58. *art.* 1. Molfes. *par.* 1. *Sum. tract.* 7. *cap.* 14. *num.* 64. Peirin. *tom.* 3. *priuileg. in Additam. ad Constit. Sixti IV. cap.* 2. *num.* 20. Vega. *par.* 1. *Sum. Cap. De confessario. Casu* 7. Laiman *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 3. Lezana *tom.* 1. *quæst. Regular. cap.* 19. *nu.* 9. Vnde respectu Regularium non conuenit Ordinarijs alia facultas, nisi examinandi, & iudicandi de idoneitate. Quare si semel secundùm conscientiam iudicant idoneos, functi sunt munere suo, & Regulares exercent hoc munus vt ministri Sedis Apostolicæ, nec subsunt amplius Ordinarijs, nisi emergat noua causa, ob quam possint iudicari, quod non sint amplius idonei. Neque supradicta Clementin. *Dudum.* De *sepult.* est reuocata per Concil. Trident. vt dictum est *cit. quæst.* 128. *num.* 7. cum pluribus Doctoribus ibi *citatis.*

6 Hinc notant Peirin *tom.* 3. *Priuileg. in Addition. ad Constitut. Sixti IV. cap.* 2.

cap.2.n.20. Lezana *tom.1.q.Regular.c. 19. nu. 19.* Quod si Ordinarius auferat facultatem audiendi confessiones à Regularibus simpliciter approbatis, non tenentur obedire, quia in hoc excedit limites suæ facultatis. Et posset dici, sicut dicitur de sententia euidenter iniqua, quod pro foro externo non sit necesse appellare, sed sufficiat allegare iniquitatem, vt de sententia loquentes tradunt Abbas *in Cap. Inter cæteras.* De *sent. & re iud.* Butrius *ibid.* Zabarel. *Consil.56.* Curtius Sen. *Consil. 60.* ver. *Denegata.* & *Consil. 66.* ver. *Imo potius.* Barbat. *Consil. 44. lib. 1.* Paris. *Consil. 100 num.43.lib.1.* Socin. Sen. *Consil. 101. num.6. lib.3.* Ruin. *Consil.16. num.6. lib.2.* Menoch. *Consil.675.num.20.* Et pro confirmatione affert Peirin. *Constit. 26. Leonis X. §. 6.* Quæ habetur *tom.1. Priuilegior. Minor.* vbi habetur *Confitentes Regularibus indebitè ab Episcopis recusatis, Constitutioni, quæ incipit, Omnis vtriusque sexus, quò ad Confessionem dumtaxat, satisfecisse censeantur.* Quare supponit Pontifex, quod possint audire confessiones, si quidem illis confitentes satisfaciunt præcepto confitendi.

An licentia, seu approbatio pro confessionibus concessa Regularibus ad beneplacitum validè reuocetur absque iusta causa. Quæst. 143.

S V M M A.

1 *Affirmatiua opinio.*
2 *Approbatio Regularium ad beneplacitum pro confessionibus non reuocatur validè, si absque causa reuocetur.*
3 *Quod est ad beneplacitum est alligatum alienæ voluntati.*
3 *Quando beneplacitum habeat locum.*
3 *Approbatio Regularium ad confessiones audiendas est ex debitis ex iustitia.*
4 *Approbatio ex natura sua non pendet ex beneplacito.*
4 *Nulliter fieri, & non fieri paria sunt.*
5 *Officialis creatus ad beneplacitum est perpetuus.*
5 *Gratia ad beneplacitum est perpetua.*
6 *Declaratio S. Congregat. pro absoluta approbatione Regular. ad audien. confession.*
7 *Omnis interpretatio facienda, vt actus valeat.*
7 *Quomodo accipiendum beneplacitum in approbatione Confessarij Regular.*

---

1 QVod non possit iustè reuocari, atque adeò nec absque peccato conueniunt omnes. Solùm difficultas est, an validè reuocetur. Et affirmatiuè respondet Diana *p.6.tract.6. Resol.48.* ver, *Nota tamen.* asserens ita cõmuniter sentire Doctores; quod tamen non reperio, nam difficultas à paucis tãgitur, & hi sunt inter se diuisi. Idem etiam sentit Barbosa *in Concilium Tridentinum.sess.23.cap.15.nu.41.* pro quo citat solùm Sel. *in Select. Canon. cap. 14. n. 17.* attestãtem ita decisum fuisse à S.Congregatione *in Papiens.11. Martij 1619.* Sed de hac declaratione non constat, & multo minus, an S. Congregatio senserit, quod possit absque causa reuocari. Imo dicta declaratio, vt ab alijs relata solùm habet, quod licentia *Ad beneplacitum* possit reuocari. non autem habet, quod etiam absque causa sit reuocabilis. Fundamentum huius opinionis est, quia licentia concessa ad beneplacitum, est limitata ad certum tempus vagum determinandum pro arbitrio approbantis, quando autem reuocatur, tunc determinatur tempus, & proinde cum sit transactum tempus, pro quo est concessa, ipsa cessat.

2 Alij tamen tenent, quod non intercedente iustà causa reuocatio sit inualida. Ita Peirin. *tom. 3. Priuilegior. in Additam. ad Constit. Sixti IV. cap.2.n.20.* citans Coninch, Portel, Filliucium. Insuper idẽ tenet Cœlestin. *in Compend. Theol. moral. tract. 8. Cap. 9. quæst. 3.* & idem etiam debent tenere, qui docent, quod approbatio facta simpliciter non pos-

possit reuocari, & insuper, quod clausula, *Ad beneplacitum*, non possit apponi, & si apponatur absque iusta causa, non valeat, & habeatur pro non apposita. Ita Henriquez *lib.3. de pœnit. cap.6. num.6.* Miranda *tom.1. Manual.quæst.45.art.10.* Lezana *tom. 1. quæst. Regular. cap. 19. num.8.*

3 Ratio autem est, quia, quando clausula, *Ad beneplacitum*, apponitur stante absoluta habilitate Regularium in ordine ad approbationem, perdit suã vim, nam facit ex natura sua, quod id, supra quod cadit, sit dependens in conseruari ab aliena voluntate, ita vt cessante voluntate, cesset etiam id, quod est ad beneplacitum illius. *l. Centesimis. §. fin. ff.* De *verbor. obligat.* & *l. Vxor. §. Sceuola. ff.* De *legat.* 3. & Cap. *Si gratiosè.* De *rescriptis in 6* Vnde habet locum solùm in gratuitis, & in ijs, quæ dependent ex liberali voluntate; non autem in ijs, quæ sunt de iustitia. Approbatio autem Regularium pro confessionibus audiendis non est ex gratuitis, & quæ pendeant ex liberali voluntate Ordinariorum, sed ex ijs, quæ debita sunt ex iustitia, quia habent ius à Summo Pontifice tanquam ipsius delegati audiendi confessiones, si idonei inuenti fuerint; vndè quando absolutè sunt idonei, debent ex iustitia absolutè approbari, quia in hoc Ordinarij se habent tanquã iudices à Concilio Tridentino deputati pro iudicando de idoneitate Sacerdotum in ordine ad confessiones audiendas, & ideò debent non secundùm voluntatem, sed secundùm veritatem iudicare.

4 Rursus approbatio ex natura sua est opus intellectus, non voluntatis, cũ sit iudicium de idoneitate, quod vt rectum sit, debet conformari cum habilitate approbandi; iudicium autem non pendet ex libito, seu beneplacito iudicantis, sed à rei veritate, & ideo debet esse secundùm mensuram habilitatis, & non secundùm beneplacitum. Cum ergo stante absoluta idoneitate approbatio debeat esse absoluta, clausula, *Ad beneplacitum*, perdit vim suam, quia excedit limites facultatis Ordinariorum, quæ solùm in virtute Conc. Trid. *sess.23. cap.15. De reformat.* extenditur ad iudicandum de idoneitate, non autem ad restringendam facultatem, & propriæ voluntati subijciendam, quam habent Regulares in ordine ad cõfessiones audiendas; & nulliter apponitur; atque adeo habetur pro non apposita, cum paria sint nulliter aliquib fieri, & factum non fuisse. *l. Quoties. ff. Qui satisdare cog.*

5 Accedit etiam, quod Officialis, ad beneplacitum creatus, est perpetuus, nec potest remoueri absq; legitima causa. *l. Iurisperitus. ff.* De *excusat. tut.* Vbi Doctores. Alexan. *in l. Principalibus. n.6. ff. Si cert. pet.* vbi & alij. Idem Alexan. *in l. Centesimus. §. Si ita stipulatus. num. 11. ff.* De *verbor. obligat.* Ias. *num.* 14. Ann. *Consil.56. num.22. vol.1.* asserens id procedere etiam de Officiali creato ab Episcopo. Mascar. *De probat. Conclus.* 188. *num.8. lib.1.* Gutierez *lib.2. Quæst. canon. quæst.11. num.4.* Gonzalez *ad Reg.8. Cancel. Glos.12. num.28.* Menoch. *in Addit. ad lib.1. de Arbitr. quæst.55. nu.21.* vbi alios citat. Hoc autem à fortiori valet quò ad confessarios, quia agitur de approbatione, quæ est actus iustitiæ. Imo gratiam quoque ad beneplacitum dici perpetuã tradunt Capic. *Decis.* 123. *num.* 4. & *in Addit. Decis.*116. Riccius *par. 1. Praxis. Resol.65. num.4.*

6 Hinc Sacra Congregatio *die 2. Iulij* 1587. declarauit, quod Regulares absolutè idonei, absolutè quoque debeant admitti. *Regulares, qui quò ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumuè examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumuè locorum, aut generis personarũ admittantur in Diœcesi propria. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur probare, & admittere. Qui autem in domibus laicorũ confessiones ex causa audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem confessionis pro medico aduenienti relinquere.* Cum ergo dicta clausula habea-

beatur pro non apposita, eodem modo inualidè reuocabitur approbatio, non existente iusta causa, ac si esset absoluta, absque tali clausula.

7 Quia tamen facienda est omnis interpretatio pro substinenda validitate actus, vt notant Rolan. à Valle *Consi.*.61. *num.*26. *lib.*3. Tusch. *Littera A. Concl.*136. *num.*14. Rota *Decis.*469. *num.*3. *par.*2. *Recent.* ideò censendum est, quod clausula, *Ad beneplacitum*, sit apposita in terminis habilibus, quando nimirum beneplacitum approbantis poterit habere locum; atque adeo pro eo tempore solùm, in quo emergat causa aliqua, ob quam approbatus absolutè possit suspendi ab audiẽdis cõfessionibus. Et sic accepta inseruit dicta clausula, vt existente vera causa, ob quam quis debeat suspendi ab audiendis confessionibus, & de ipsa re vera constet Ordinario, possit absque strepitoso iudicio suspendere.

An ex sententijs, quibus partes non acquiescunt, inducatur consuetudo. Quæst. 144.

S V M M A.

1 *Actus iudiciales, & sententia inducunt consuetudinem.*
2 *Sententia, quibus partes non acquiescunt, non inducunt consuetudinem.*
3 *Ad inducendam consuetudinem requiritur tacitus consensus populi.*
3 *Quid sit consuetudo.*
4 *Sententia nulla an inducant consuetudinem.*
4 *Sententia nulla non est sententia, nec sententia nomen meretur.*

---

1 EX actibus iudicialibus induci consuetudinem, atq. adeò etiam ex sententijs, communis est omnium sensus. imo sufficere duos actus, satis communiter tradunt. Hostien. *in Cap. Ex parte. num.*16. De *consuet.* Præposit. *in Cap. Mos est. n.*5. ver. *Item quia. Dist.* 1. Bart. *in l. De quibus. ff.* De *legib.* Bald. *ibid.* Zasius *Tit. de legib. in fine.* Paris. *Consil.*31. *num.*44. *lib.*4. Ruin. *Consil.*354. *num.* 9. *lib.* 3. Francisc. Viuius *Commun. Opinio. lib.*2. *opin.*75. ver. *Consuetudo vt inducatur.* Suarez *in Thesauro recept. sentent. verbo,* Cõsuetudo. *n.*278. & alij communiter.

2 Difficultas autem est, an quando partes non acquiescunt sententiæ, tunc inducatur consuetudo. Et negatiuè respondendum est cum Alexand. *Consi.* 132. *num.*4. *lib.*1. Rota *Decis.*301. *num.*3. *par.*2. *Recentior.* Ratio autem est; quia, quando partes non acquiescunt sententijs, sententia non sortitur exequutionẽ, sed reperit obstaculum pro suo effectu, & consequenter non interuenit consensus, quo communitas mediante parte, quæ habet interesse, admittat actum, vt inductiuum consuetudinis.

3 Ad inducendam autem consuetudinem, requiritur tacitus consensus populi, vt deesumitur ex *l. De quib. ff.* De *legib.* & notant Alexan. *Consil.*132. *nu.* 9. *lib.*2. & *Consil.*173. *num.*7. *lib.*6. Corn. *Consil.*293. *num.*7. *lib.*1. Dec. *Consi.*538. *nu.*9. & *Consil.*483. *num.*25. Neuizan. *Consil.* 9. *num.* 31. Curt. Iun. *Consil.* 184. *num.* 10. Socin. Iun. *Consil.*92. *num.*18. *lib.*4. Ruin. *consi.*119. *num.* 10. *lib.*4. Decis. *Pedemont.* 99. *num.*45. Rota *Decis.*72. *num.*22. *par.*2. *diuers.* Est enim consuetudo Ius quoddã moribus institutum. Cap. *Consuetudo. Distinct.*1. non potest autem moribus institui, nisi interueniat consensus communitatis.

4 Quod adeò verum est, vt secundũ opinionem magis receptam, quam tradunt Petrus de Rauenna *De consi. nu.*115. Natta *Consil.*309. *num.*7. *lib.*2. Piagius *De consuet. quæst.*3. *nu.*14. sententiæ quoque nullæ inducant consuetudinem, si partes acquiescant. Cum tamen sententia nulla non sit sententia, nec sententiæ nomen mereatur. *l.* 4. §. *Condemnatum. ff.* De *re iudicata.* & Clement. *Pastoralis.* De *sent. & re iud.* & ostendit Ripa *in dict.* §. *Con-*

§. *Condemnatum. num.* 3. & sequitur Menoch. *Consil* 1131. *num.* 2. Cum enim sit nulla, non habet formam, & substantiã sententiæ. Et ideò cum inducat consuetudinem, inducit ratione solius acquiescentiæ: vnde hac sublata sententiæ quoque legitimæ non inducent, cum deficiat id, cuius virtute inducitur consuetudo.

An Milites duellantes teneantur Romam adire pro absolutione ab excommunicatione, an verò possint absolui, vbi degunt. Quæst. 145.

SVMMA.

1 *Milites an ob duellum teneantur adire Romanam Curiam.*
2 *Legitimè impeditus potest absolui à reseruatis absque eo, quod adeat* Romanam *Curiam.*
3 *Famuli an pro reseruatis Romana Sedi teneantur illam adire.*
4 *Duellantes in articulo mortis possunt à quocunque absolui.*
5 *Quando exceptio firmet regulam in contrarium,*
6 *Exceptio excipit omne id, ex quo sequitur idem effectus.*
7 *Quæ facultates, & indulta sint reuocata quò ad absolutionem duelli.*
7 *Priuilegia inserta in corpore iuris non reuocantur, nisi cum expressa mentione.*
8 *Correctio iuris vitanda est.*
9 *Absoluti à reseruatis ratione legitimi impedimenti eo transacto tenentur adire* Romanam Sedem.

---

1 RESpondetur Non teneri Romam adire, sed posse absolui, vbi sunt iuxta doctrinam, quam tradunt communiter de absolutione à Censuris reseruatis Syluester *verbo*, Absolutio 4. *num.* 7. Vgolin. *De censur. in genere. tab.* 1. *cap.* 4. §. 5. *nu.* 14. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 40. *num.* 3. ver. *Tertia. quia.* & *lib.* 2. *in Decal. cap.* 13. *num.* 36. Nauar. *Cap.* 27. *Manual. num.* 90. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 7. Auila *De Censuris par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 14. *dub.* 16. *n.* 240. Gutierez *lib.* 1. *quæst. Canon. cap.* 3. Vasquez 3 *par. quæst.* 91. *ar.* 3. *dub.* 8. Coninch *disput.* 8. *de pœnit. dub.* 12. *num.* 88. & *De censur. disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 240. Duard. *lib.* 3. *in Bullam Cœnæ.* §. 2. *quæst.* 8. *num.* 21. Reginal. *lib.* 1. *Praxis Fori pœnit. num.* 145. Suarez 3. *par. tom.* 5. *De Censur. disp.* 25. *sect.* 5. *num.* 27. Bonac. *disp.* 1. *De Censur. in com. quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 4. Tabiena *verbo*, Absolutio 2. *num.* 8. Felin. *in Cap. Quamuis. De sent. excommunicat.* Panorm. *in Cap. De cætero. num.* 1. ver. *Et circa.* De *sent. excommunicat.* Geminian. *in Cap. Eos qui. num.* 5. De *sent. excommunicat. in* 6. Ancharan. *num.* 1. ver. *Tertio nota.* Et in terminis de duellantibus. Peregrin. *De duel. quæst.* 37. *num.* 6.

2 Hoc autem desumitur ex Cap. *Ea noscitur.* De *sentent. excommunicat.* vbi decernitur, quod quando quis tali impedimento detinetur, vt non possit Romanam Sedem adire, excusatur, & potest absolui ab Episcopo. Quod etiam supponitur in Cap. *Eos qui.* De *sent. excommunicat. in* 6. ibi. *Eos, qui à sententia canonis, vel hominis (cum ad illum, à quo aliàs fuerant de iure absoluendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum.) ab alio absoluuntur etiam.* Vtrobique autem generaliter de omni excommunicatione textus procedit, & circa dict. Cap. *Eos, qui.* notat Glos. verbo. *Canones.* Milites autem habent legitimum impedimentũ, quia non possunt deserere signa sine periurio: & sunt sub potestate alterius, nempè Ducis, & Principis. Esse autem sub alterius potestate est legitimum impedimentum, ne quis pro absolutione teneatur adire Romanam Curiam. Cap. *Mulieres.* & Cap. *Relatum.* De *sentent. excommunicat.*

3 Neque est eadem ratio de militibus, & de famulis, quia famuli tantùm

locant domino operam suam; vnde possunt ad libitum recedere, nisi pro certo tempore se obligauerint. Inter milites autem, & Principem interuenit cõtractus, quo miles ita obligat propriam personam, vt non possit amplius se retrahere, nisi facultate obtenta, vnde grauiter punitur, si deserat signa.

4 Neque obstat, quod in Constitutione Clementis VIII. contra Duellum, quæ incipit *Illius vices. sub XVI. Kalend. Sept.* 1592. §. *Ipsas verò.* ita reserueturabsolutio ab excommunicatione contracta ob duellum, vt solùm concedatur absolui in articulo mortis. ibi. *Cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice pœnitẽtia, & satisfactione congrua peracta, nisi in mortis articulo constituti nequeant obtinere etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibusuis personis tàm ecclesiasticis cuiuscunque ordinis, aut militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quàm laicis etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum.* Cum autem exceptio firmet Regulam in contrarium. *l. Quæsitum.* §. *Denique. ff.* De *fundo costruct.* Et solum à regula excipiatur articulus mortis, sequitur, quod extra articulum mortis nunquam tali excommunicatione irretitus possit absolui ab alio, quàm à Romano Pontifice.

5 Nam respondetur. Quod tunc exceptio firmat regulam in contrarium, quando non potest habere aliam interpretationem, vt notat Federicus de Senis. *Consil.* 233. *num.* 3. ver. *Non obstat.* vbi ait, quod Pontifex statuens, quòd omnes soluant decimas, si aliquem Ordinem excipiat, non intelligitur velle, quòd alij exempti soluant, sed talis exceptio habet vim concessionis pro Ordine exceptuato. Et hoc contingit in casu nostro; nam exceptio habet vim expressæ concessionis absoluendi pro articulo mortis, non autem est reuocatio facultatis à iure concessæ quò ad alios casus legitimi impedimenti, sed relinquitur in suo statu, sicut à iure dispositum est.

6 Rursus. Nec etiam exceptio firmat regulam in contrarium, quando aliquid excipitur ratione effectus, qui ex ipso sequitur, vt notat Castrens. *Consf.* 91. *num.* 9. & 10. *lib.* 1. nam tunc intelligitur exceptuatum omne id, ex quo sequitur idem effectus. Et proinde casus similes, vt notat Alexan, *Consf.* 130. *num.* 4. & 6. *lib.* 4. continentur sub exceptione, non per extensionem, sed comprehensiuè. In casu autem nostro excipitur articulus mortis, quia sequeretur, quod deesset remedium absolutionis, si non posset tunc absolui; eodem autem modo idem effectus sequitur, si quando adest legitimum impedimentum, non posset absolui, cum non possit adire curiam Romanam.

7 Nec item obstat, quod Clemens VIII. reuocet in *supracit.* Constit. omnes facultates, & indulta in Ordine ad facultatem absoluendi ab excommunicatione contracta ob duellum, nam reuocatio intelligitur de indultis, & facultatibus absoluendi regulariter, non autem absoluendi in casibus exceptuatis à iure. Atquè adeò intelligit de facultatibus, & indultis specialibus, non autem de facultate concessa à iure; quia hæc, vel est per modum Priuilegij, & tunc, cum sit inserta in corpore iuris, non censetur reuocata, nisi fiat expressa mentio, vt cõmuniter Doctores Glos. *in l.* 2. §. *Legatis.* verbo. *Non compelluntur. ff.* De *re iudicata.* & *in Authen. Qua in Prouincia.* verbo, *Illico omni priuilegio.* C. Vbi *de crim. agi opor.* & Doctores *ibid.* Felin. *in Cap.* 2. *n.* 12 & *in Cap. Nonnulli. num.* 9. & 26. De *rescript. in* 6. Ruin. *Consil.* 228. *num.* 13. *vol.* 1. Ias. *Cap.* 1. *nu.* 16. De *Constit.* Lotter. *lib.* 1. De *re benef. quæst.* 7. *num.* 23. Suarez *lib.* 8. *De legib. cap.* 38. *num.* 12. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 25. *art.* 6. Palaus *Par.* 1. *Oper moral. tract.* 3. *disp.* 4. *De priuileg. punct.* 2. §. 4. *num.* 5. & habetur ex *l. Eius militis.* §. *Militia missus.* De *testam. milit.*

8 Vel se habet per modum legis, vt verisimilius est, cum sit talis facultas cõcessa in ordine ad commune bonum spirituale, & tunc, cum sit vitanda, quantum

tum

sum fieri potest, correctio iuris. *l. Si quando*. C. De *inofficioso testam.* & *l. Præcipimus. in fine*. C. De *appellat.* & Cap. 1. De *noui oper. nunc.* & Cap. *Cum expediat*. De *elect. in 6*. Non erit talis lex reuocata, quia derogatio facultatum, & indultorum sufficienter saluatur, si derogentur facultates, & indulta specialia per modum priuilegij, & quò ad absolutionem ordinariam, subsistente facultate concessa à lege, quò ad casus extraordinarios, quando quis legitimè impeditur, ne possit accedere ad Curiam Romanam.

9 An autem debeat iniungi, quod compareant dicti milites coram Summo Pontifice, aut eius Pœnitentiario functa militia. Respondetur affirmatiuè iuxta Duard. *in Bullam Cœnæ. lib. 3.* S. 2. *quæst.* 10. *num.* 14. Alter. *lib.* 5. *De Censur. disput.* 22. *cap.* 2. *dub.* 4. Syluestrum *verbo*, Absolutio 4. *num.* 9. Nauar. *Cap.* 27. *Manual. num.* 88. Sayr. *lib.* 3. *De Censur. Cap.* 28. *num.* 22. Suarez *disput.* 22. *De Censur. sect.* 1. *num.* 8. Graffis De *Effectibus Cler. effectu* 9. *num.* 167. Bellet. *in Disquisit. Cler. Tit. De fauore Clericor.* S. 3. *num.* 3. Bossium *Discep*. 1. *Moral. num.* 186. Barbosam *in Cap. Relatum*. *num.* 2. De *sentent. excommunicat.* & De *potest. Episcopi par.* 1. *allegat.* 41. *num.* 29. loquentes de filiofamilias, & de seruo. Quia transacto impedimento temporali, vt est impedimentum militiæ, tenetur absolutus ab excommunicatione comparere coram eo, à quo debuisset absolui. Cap. *De cætero*. & Cap. *Quod de his*. & Cap. *Quamuis*. & Cap. *Eos qui*. De *sentent. excommunicat.*



An, quando duellantes possunt absolui ab Episcopo ratione necessitatis, aut legitimi impedimenti, possint etiam absolui à Regularibus. Quæst. 146.

SVMMA.

1 *Negatiua sententia.*
1 *Decretum Clementis VIII prohibet Regularibus, ne etiam in casu necessitatis, aut impedimenti absoluant à casibus ibi expressis.*
2 *Quando duellantes possunt absolui ab Episcopo, possunt etiam absolui à Regularibus.*
3 *Regulares à quibus casibus absoluere non possint.*
3 *Possunt absoluere à casibus Episcopalibus, reseruatis à iure.*
3 *Moderatio Decreti Clementis VIII. circa Priuilegia Regular. pro absolutione à reseruatis.*
4 *Quando casus Papales fiant Episcopales.*
5 *Lex non potest eligere industriam personæ.*
6 *Regulares possunt vti Priuilegijs, quò ad casus Episcopales reseruatos à iure.*

1 EAdē est ratio de casu duelli, ac de cœteris casibus specialiter Romanæ Sedi reseruatis, pro quibus derogatum est priuilegijs concessis Regularibus, à quibus non possunt in Italia extra Vrbem absoluere, iuxta Decretum Clementis VIII. *Die* 9. *Ianuarij* 1601. & eiusdem moderationem *sub die* 26. *Nouembris* 1602. Et negatiuè respondent Suarez 3. *par. tom.* 5. *De Censur. disp.* 25. *sect.* 5. *num.* 27. Henriquez *lib.* 6. *De pœnit. cap.* 14. *num.* 7. Bannes. 2. 2. *quæst.* 64. *art. vlt. in fine*. Bonacina *disp.* 1. *De Censur. in communi. quæst.* 3. *punct.* 2. *num* 4. ver. *Addit denique*. Et fundamentum est, quia in concessione talis facultatis facta Episcopis censetur

electa industria personæ. Rursus quia in Decreto Clementis VIII *sub Die 9. Ianuarij* 1601. circa casus reseruatos habetur expressè; Quod Regulares non possint virtute priuilegiorum absoluere à reseruatis Episcopis,& contentis in Bulla Cœnæ, & reseruatis Summo Pontifici etiam in casu necessitatis, & impedimenti, sed solùm in mortis articulo.

2 Sed oppositum, nempè posse Regulares virtute priuilegiorum absoluere à dictis casibus, atque adeò etiam duellantes, quando possunt etiam Episcopi absoluere, tenendum est iuxta doctrinam, quam tradunt Sanchez *lib.* 4. *in Decal. Cap.* 54. *num.* 27. Merolla *tom.* 1. *Theol. moral. disp.* 1. *cap.* 2. *difficul.* 11. *n.* 540. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *De dub. Regular. Resolut.* 13. ver. *Nota quarto*. Neque quò ad hoc ipsorum priuilegia esse reuocata.

3 Hoc autem desumitur ex duobus principijs omninò certis, quorum primum est, quod Regulares possunt absoluere virtute priuilegiorum ab omnibus casibus reseruatis præterquam à cōtentis in Bulla Cœnæ, & ijs, quos Episcopi sibi reseruant, & cœteris quinque, de quibus in declaratione, & moderatione facta 26. *Nouembris* 1602. circa primnm Decretum Clementis VIII. auferēs Regularibus facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis. Vndè possunt absoluere ab omnibus casibus Episcopalibus reseruatis à iure. Prius enim ante dictum Decretum poterant absoluere Regulares ab omnibus casibus, & censuris reseruatis præterquam à contentis in Bulla Cœnæ, ex Priuilegio Minimis concesso à Leone X. *in Bulla*. *Data Romæ apud S. Petrum Kal. Iunij anno* 1518. vt refertur *in Priuileg. eorumdem Minimor.* Quod Priuilegium fuit confirmatum à Clemēte VII. *in Bulla*, quæ incipit. *Deuotionis augmentum*. *Data Romæ apud S. Petrum die* 22. *Septembris* 1532. vt in ijsdem Priuilegijs Minimorum. Et etiam in specie confirmatum fuit à Paulo III. *in Bulla*, quæ incipit *Supra Gregem Dominicum*. *Romæ apud S. Petrum* IV *Non. Iunij anno* 1539. vt in ijsdem Priuilegijs. Et idem priuilegium in ampliori forma concessit Paulus III. PP. Iesuitis, vt apud Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 61. *art.* 5. & Mirandam *tom.* 1. *Manual. quæst.* 46. *art.* 5. Vnde cum dicta priuilegia maneāt in suo robore, iuxta moderationem supradicti Decreti Clementis VIII. præterquam quò ad casus Bullæ Cœnæ, & quinque illos Papales enumeratos in dicta moderatione, & eos, quos Episcopi sibi reseruant, ibi. *Ac præterea declarat, eos quidem Sacerdotes tàm sæculares, quàm Regulares, qui aliquo ex priuilegijs indultis, & facultatibus in supradicto decreto suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates vsu ante idem Decretum receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur tantùm, & non aliàs absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis*. vt apud Quarantā *in Sum. Bullar. verbo*, Casus reseruati. §. *Sacra Congregatio*. Vnde cum in dicta declaratione non comprehendantur casus Episcopis à iure reseruati; & Regulares potuerint ab ijs absoluere ante dictum Decretum Clementis VIII. poterunt etiam modo absoluere.

4 Alterum principium iuris est. Quod casus Papales fiunt Episcopales, quando indigens absolutione siue quò ad crimina, siue quò ad censuras ratione legitimi impedimenti non potest accedere ad Romanam Curiam pro absolutione obtinenda; tunc enim àbsolui potest ab Episcopo, vt decernitur in Cap. *Ea noscitur*. *De sentent. excommunicat.* & Cap. *Eos, qui*. eodem *tit. in* 6. & notant Doctores communiter in *citat. tex.* & alibi præsertim citati. *Quæst. praced. num.* 1. Cum ergo Episcopi possint absoluere, quando legitimè impediti non possunt Romanam Sedem adire, duellantes, & à cœteris casibus Papalibus, ita vt in his terminis casus desinant esse Papales, & fiant Episcopales, Regulares quoque poterunt absoluere, cum possint absoluere à casibus Episcopalibus à iure reseruatis.

5 Neque obstant, quæ pro opposita sententia adducta sunt. Nam ad primum respondetur, quod in reseruatis à iure ipsis Episcopis non potest censeri ele-

electa industria personæ; tunc enim solum potest habere locum electio industriæ personæ, quando delegatio, aut commissio fit ab homine; non autem quando fit à lege; quia, quando fit à lege, est perpetua, & fit gradui, seu dignitati, non autem personæ. Imo cum personæ sint ignotæ Legislatori, quæ tale munus subituræ sunt, non potest earundem industriam eligere, vt dictum est. cum pluribus *Centur.* 1 *quæst.* 93. *num.* 7.

6 Ad secundum resp. ex dicta declaratione Decreti Clementis VIII. remanere sublatum, quod non possint Regulares stante necessitate, & impedimento absoluere ab illis casibus, quando possunt Episcopi quoque absoluere: nam cum ibi declaretur, quod possint Regulares vti suis priuilegijs quò ad facultatem absoluendi, præterquam quò ad casus Bullæ Cœnæ, & illos quinque, & eos, quos Episcopi sibi reseruant, remanet declaratum, quod possint vti quò ad casus Episcopales à iure reseruatos, & proinde remanēt exclusi solūm dicti casus Papales, quandiù remanent Papales, non autem quando amittunt conditionem reseruationis Papalis, & fiunt Episcopales.

An Regulares possint absoluere à censuris reseruatis Episcopo. Quæst. 147.

S V M M A.

1 *Affirmatiua sententia.*
1 *In diuersis non fit illatio.*
2 *Regulares non possunt ex declaratione Sacra Congregationis absoluere à censuris reseruatis Episcopo.*
3 *Nec etiam seclusa dicta declaratione.*
3 *Vbi est eadem ratio, est etiam eadem lex per comprehensionem.*
3 *Eadem ratio facit, vt omnia, quæ illam participant, comprehendantur sub concessione, aut prohibitione.*

1 Difficultas procedit stante Decreto Clemētis VIII. *sub die* 9. *Ianuarij* 1601. & eiusdem moderatione *sub die* 26. *Nouembris* 1602. iuxta quorum tenorem prohibentur Regulares absoluere à reseruatis Episcopo. Et affirmatiuè resp. Megal. *par.* 1. *Instit. lib.* 1. *Cap.* 3. *num.* 10. & probabile putat Diana *par.* 3. *tract.* 2. *De dubijs Regular. Resol.* 13. ver. *At his non obstantibus*, quia Decretum Clementis VIII. loquitur de casibus reseruatis, & proinde non habet locum in Censuris, quia censura non est casus, sed pœna casus. vt ait Nauar. *Cap.* 27. *Manual. num.* 262. in diuersis autem non fit illatio *l. Papinianus*. ff. De *Minorib.* & Cap. *Ad audientiam*. De *decimis*.

2 Verum stante declaratione Sacræ Congregationis sub *die* 7. *Ianuarij anno* 1617. in qua de mandato Pauli V. declarauit, dictum Decretum Clementis VIII. procedere etiam quò ad censuras, quam refert Peirin. *tom.* 1. *Priuileg. ad Constit.* 1. *Iulij II*, §. 32. *num.* 63. non est amplius dicta opinio tenenda, nec tanquam probabilis haberi potest. Vnde oppositum tradunt Peirin. modo *citatus*. Cochier. *De iurisdict. Ordinar. in excemp. par.* 4. *quæst.* 56. Barbosa *De offic. Parochi cap.* 19. *num. vlt.* Merolla *par.* 1. *theol. moral. disp.* 1. *cap.* 2. *difficul.* 4. *num.* 575. Lezana *tom.* 1. *Quæst. Regular. cap.* 19. *n.* 15.

3 Imo seclusa quoque dicta declaratione ita tenendum, nam in Decreto Clementis VIII. non venit in considerationem casus, siue censura, si quidem materialiter se habent, sed ipsa reseruatio, quæ est ratio, ob quam reuocata sunt priuilegia Regularium, ne possint se immiscere quò ad absolutionem ab ijs, quæ Episcopi sibi reseruant. Nec enim dictum Decretum prohibet Regulares absoluere à casibus reseruatis Episcopo, quia sint casus; sed quia sunt reseruati. Vnde cum etiam in censuris sit eadem ratio, adest etiam eadem lex, non per extensionem, sed per comprehensionem iuxta *l. His solis.* §. *Satis etiam*

cautè

cautè putamus. C. De *reuocan. donat.* & *l. Illud* C. De *sacrosanc. Eccles.* & *l. Item veniunt. §. Ait Senatus. ff.* De *peten. hæred.* & notant Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo*, Libertis. *num.* 44. & 46. C. De *reuocan. donat.* Rebuf. *in l. In lege censoria. num.* 203. ver. *Itemq. de seruis. ff.* De *verbor. significat.* Gutierez *lib. 3. pract. quæst.* 17. *num.* 84. Gonzalez *Ad reg.* 8. *Cancellar.* §. 7. *proem. nu.* 105. Surd. *Decis.* 276. *num.* 8. Alexand. *in l. Peregrè*. §. 1. ver. *Non obstat. ff.* De *acquir. possess.* Corneus *Consil.* 198. *vol.* 4. Imola *in l. Si vero.* §. *De viro. num.* 14. *ff.* Soluto *matrimonio*. Curtius Sen. *Consi.* 13. *num.* 7. Claud. *in l. Si constante matrim. num.* 14. *ff.* Soluto *matrimon.* Barbosa *nu.* 103. Socin. iun. *Consil.* 30. *num.* 32. *lib.* 1. Roland. *Consil.* 27. *num.* 8. *vol.* 1 Ruin. *in l.* 2. *num.* 95. *ff.* De *legat.* 1. Hyppolit. Riminal. *Instit. De donat. nu.* 227. Tusch. *littera P. Conclus.* 892. *in fine.* Gomez *lib.* 1. *Variar. cap.* 5. *n.* 11. Syluester *verbo*, Lex. *quæst.* 18. Couaruu. *Cap. Alma mater. par.* 2. §. 4 *num.* 7. ver. *Secundo.* Menoch. *Consil.* 11. *num.* 10. & 19. Panorm. *in Cap. fin. num.* 10. De *rescrip.* Molina *lib.* 1. *De primogenit. Cap.* 5. *nu.* 10. Salas *disp.* 21. *de legib. sect.* 6. *reg.* 3. Palaus *par.* 1. *Oper. moral. tract.* 3. *disp.* 5. *punc.* 3. §. 4. *num* 2. Sanchez *lib.* 7. *sum. cap.* 5. *num.* 4. Bonacina *disp.* 1. *De legib. q.* 1. *punc.* 8. *num.* 26. & cõmuniter. Sicut enim quæ participant eandem rationem formalem obiecti pertinent ad obiectum eiusdem potentiæ, seu facultatis comprehensiuè contenta sub ipso tàm in naturalibus, quàm in supernaturalibus; vnde omnes colores comprehenduntur sub obiecto potentiæ visiuæ, quia omnes participant rationem coloris: ita etiam, quæ participant eandem rationem, comprehenduntur omnia sub cõcessione, vel prohibitione, quæ circa talem rationem versatur.



An Nouitius absolutus à Prælato ab excommunicatione papali reseruata, teneatur adire Romanam Sedem, si non profiteatur. Quæst. 148.

S V M M A.

1 *Regulares possunt absolui à suis Prælatis à reseruatis Pontifici.*
1 *Etiam Nouitij.*
1 *Nouitius in fauorabilibus venit nomine Religiosi.*
2 *Priuilegia Regular. pro absoluendis à reseruatis etiam proximè ingressuros religionem.*
3 *An Nouitij absoluti à reseruatis Papæ reincidant, si non profiteantur.* & *n.* 4.
5 *Absoluuntur vt priuilegiati.*
6 *Clerici collegialiter viuentes absoluti à reseruatis Papæ, non tenentur se præsentare*
6 *Nec Ianitores.*
6 *Nec Officiales.*
7 *Reincidentia expressa in priuilegijs pro absolutis à Regularibus intuitu religionis, quos comprehendat.*

1 Regulares possunt absolui à suis Prælatis ab excommunicatione Papali reseruata Cap. *Monachi.* Cap. *Illorum.* §. *Qui si claustra.* De *sent. excommunicat.* & comprehenduntur sub hoc priuilegio etiam Nouitij, cum in fauorabilibus veniant nomine Religiosi, vt notant Glos. *in Clement.* 1. verbo, *Religiosus.* De *electione*. Coriolan. *par.* 1. *De casib. reseruat. sect.* 3. *ar.* 18. *num.* 3. Vecchius *in Praxi Nouitior. disp.* 9. *dub.* 26. *n.* 1. & *disp.* 11. *dub.* 10. Riccius *in Praxi par.* 2. *Resol.* 138. *num.* 3. Henriquez *lib.* 12. *Sum. cap.* 5. *num.* 3. Et hoc valet de iure communi iuxta textus allegatos.

2 Adsunt etiam diuersa priuilegia Summorum Pontificum, quorum vigore possunt superiores absoluere nedum professos à censuris, & casibus reseruatis

tis Romanæ Sedi, sed etiam Nouitios: imo etiam volentes intrare religionem. Ita Clemens IV. Minoribus, vt refert Casarub. *in Compen. Priuileg. verbo* Absoluto *ordin. Quò ad Fratres. n.* 4. Sixtus IV. Minorib. per suam Constitutionem, quæ incipit, *Regimini*. §. 12. quæ est 14. *ipsius apud Rodriquez in Bullario*, & idem Pontifex Prædicator. *in Constit.* quæ incipit. *Nouerint vniuersi*. §. 14. & est 33. *apud eandem* Rodriquez. Iulius II. Minimis S. Francisci de Paula *in Constit.* quæ incipit. *Virtute conspicuos*. quam refert Peirin. *tom.* 1. *priuileg.* Clemens VII. Fratribus Prædicatoribus. & Paulus III. Iesuitis, de quibus Suarez *tom.* 4. *De relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 5. *& sequent.* Quæ tamen priuilegia non erat necessarium extendi expressè ad Nouitios, quia eo ipso, quod possunt Superiores Regulares absoluere suos subditos, possunt Nouitios quoque absoluere. Vnde quod Nouitij possint à dictis reseruatis absolui tradunt Syluester *verbo*, Absolutio 5. *n.* 4 Sayr. *li.* 3. *de Censur. cap.* 28. *num.* 14. Bonac. *Disp.* 2. *de censur. q.* 4. *punc.* 5. *num.* 5. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 20. *ar.* 1. Io. à Cruce *lib.* 1. *De Statu Relig. cap.* 6. *dub.* 15. *conclus.* 4. Villalob. *tom.* 1. *Sum. tract.* 16. *difficul.* 19. *num.* 4. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 24. *nu.* 5. Peirin *tom.* 1 *Priuileg. ad Constit.* 2. *Iulij II.* §. 9. *num.* 30. Hieronym. Rodriquez *in Compen. quæst. Regular. Resol.* 3. *num.* 12. Lezana *tom.* 1. *quæst. Regular. Cap.* 24. *num.* 8. Molfes. *par.* 1. *Sum. tract.* 7. *cap.* 18. *num.* 29. Miranda *tom.* 2. *Manual. q.* 7. *ar.* 3. & *quæst.* 9. *ar.* 10. Viuald. *in Candelabro* Tit. De *absolutione. num.* 23. *&* 24. Reginald. *lib.* 8. *Praxis fori pœnit. nu.* 58. Vecchius *in Praxi Nouitior. disp.* 9. *dub.* 5. *num.* 1. *& seq.*

3 An autem Nouitij absoluti, si non profiteantur, reincidant in censuras, & teneantur adire Romanam Sedem, affirmant Syluester *verbo*, Absolutio 5. *nu.* 4. ver. *Nonum*. Summa Astensis *par.* 2. *lib.* 7. *tit.* 13. *ar.* 5. *quæst.* 10. Sayr. *lib.* 3. De *censur. cap.* 28. *num.* 15. Bonac. *disp.* 2. De *censur. q.* 4. *punc.* 5 *num.* 5. Viuald. *in Candelabro. par.* 2. Tit. De *absolut. num.* 23. Peirin. *tom.* 1. *Priuileg. ad Constit.* 2. *Iulij II.* §. 9. *num.* 33. Bossius *Discept.* 1. *Moral. num.* 192. Mouentur, quia ob fauorem religionis, & ob temporale impedimentũ religionis tenentur se Pontifici præsentare iuxta id, quod statuitur in Cap. *Eos, qui*. De *sent. excommunicat. in* 6. Deinde, quia ita statuitur in supracit. Constit. Clementis IV. & Iulij II. dum hæc facultas Regularibus conceditur.

4 Sed negant Rodriquez *to.* 1. *quæst. Regular. q.* 20. *ar.* 21. Alter Rodriquez *in Compend. Quæst. Regul. Resol.* 3. *num.* 12. *&* 52. Villalob. *par.* 1. *Sum. tract.* 16. *difficul.* 19. *nu.* 4. Portel. *in Dub. Regular. verbo*, Casus reseruati. *num.* 33. Suarez *tom.* 4. *De relig. tract.* 1. *lib.* 2. *Cap.* 24. *nu.* 6. quia Priuilegium Clementis VII. pro Prædicatoribus, & Pauli III. pro Iesuitis non faciunt mentionem de reincidentia.

5 Verum absolutè tenendum est, quod non reincidant, nec teneantur se præsentare superiori, seclusõ quod priuilegia faciant mentionem de reincidẽtia, vel non faciant. Quia non absoluuntur ratione impedimenti, sed vt priuilegiati, à suo Prælato, qui quò ad hoc habet iurisdictionem ordinariam, & per se, & non per accidens ratione impedimẽti. Et eadem est ratio de ipsis, ac de alijs, qui absoluuntur à reseruatis, & à censuris ab ijs, ad quos spectat absoluere; ad Prælatum autem ipsorũ spectat de iure absoluere. Solum autem tenentur se præsentare, qui absoluuntur ab ijs, ad quos de iure non spectat, sed tantum per accidens ratione impedimenti Cap. *Eos, qui*. De *sentent. excommunicat. in* 6.

6 Rursus. Clerici collegialiter viuentes, Ianitores, Officiales cessante officio, aut vita collegiali non tenentur adire Sedem Apostolicam, vt docent ijdem Doctores primæ sententiæ cum communi, & specialiter Bosius *num.* 202. quia talis fauor non conceditur ratione impedimenti temporalis, sed ratione personæ tali modo viuentis, aut tale munus exercentis. Sed etiam in casu nostro priuilegium est concessum Nouitijs ratione personæ existentis in via ad religionem, & quia veniunt nomine Religiosi

giosi in ordine ad participandũ huiusmodi priuilegium religiosorũ, quia est illud idem, quod est concessum professis, ergo absolutè remanent absoluti absque vlla obligatione præsentationis.

9 Neque vrgent, quæ pro opposita sententia allata sunt. primum namque solutum manet ex dictis. Ad secundum verò resp. dicta priuilegia, quæ mentionem faciunt de reincidentia, non procedunt quò ad Nouitios, sed quò ad eos, qui volunt ingredi religionem, & assumere habitum, vt constat ex priuilegio Clementis IV. pro Minoribus relato à Casarub. *in Cõpend. Priuileg. verbo*, Absolutio *ordinar. quò ad Fratres. num.* 4. ver. *Item Clemens*. & ex priuilegio Iulij II. *in Bulla*, quæ incipit *Virtute conspicuos. sub. Kal. August. anno* 1506. relata à Peirino *tom.* 1. *Priuileg. pro* 2. *Constit. eiusdem Pontificis*. in ipsa enim §. 9. ita habetur. *Volumus autem nihilominus, quod huiusmodi volentes vestro aggregari consortio, nisi mox, postquam fuerint absoluti, Ordinem vestrum intrauerint, etiam si super hoc eis induciæ à Prælatis Ordinis eiusdem cõcedantur, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos taliter absolui contigerit, relabantur.* Vnde cum Pontifices loquantur taxatiuè de ijs, qui absoluuntur intuitu ingressus religionis, antequam ingrediantur, non est extendendum ad Nouitios. Rursus cũ seclusis his priuilegijs possint Nouitij absolui tanquam religiosi de iure communi iuxta Cap. *Monachi*. & Cap. *Illorum*. §. *Qui si claustra*. De *sentent. excommunicat.* tunc neque potest habere locum reincidentia.



An dispensans in lege Superioris teneatur in foro contentioso assignare causam, ob quam dispensat. Quæst. 149.

S V M M A.

1 *Superior non potest absque causa dispensare in lege superioris.*
1 *Dispensatio sine causa in lege superioris est dissipatio.*
2 *Dispensatio in lege superioris sine cognitione causæ est saltem reuocanda, etiam si adesset causa.*
2 *Cur in dispensatione requiratur causa cognitio.*
3 *Dispensans in lege superioris non tenetur exprimere causam.*
4 *Iudex non tenetur exprimere causam suæ sententiæ.*
5 *An peccet dispensans in lege superioris, si causam non examinet, quando sibi de ea constat.*
6 *Iudex inferior non potest iudicare secundum conscientiam, sed secundum allegata.*
7 *Regulares dispensantes in legibus Pontificijs, aut Capituli Generalis debent examinare causam.*
7 *An sufficiat, quod causa innotescat in actis Visitationis.*

1 QVod inferior non possit dispensare in lege superioris absque causa, & irrita sit dispensatio, certum omnino est, vt desumitur ex Cap. *Quod pro remedio*. 1. *quæst.* 7. & Cap. *Innotuit*. De *electione*. & ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 18. *De reformat.* ibi *Quod si vrgens, iustaque ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerint, cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognita, ac summa maturitate, atq; gratis à quibuscunq. ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* Et proinde

inde dispensatio absque causa potius dissipatio dicenda est, vt notant Monach. *in Cap.* 1. De *ætate, & qualit. ord. in* 6. Curtius Sen. *Consil.* 16. & 17. Socin. *Consil.* 246. ver. *Circa secundum*. & *Consil.* 251. ver. *Illum ommitto. vol.* 2. Paris. *Consil.* 12. *num.* 210. *vol.* 2. Rolan. à Valle *Consil.* 61. *num.* 26. *vol.* 1. quia nimirum euertit, quod per leges in bonum communitatis ædificatum est.

2 Rursus certum est etiam, quod si quis dispenset in lege superioris absque eo, quod præmittat causæ cognitionem, etiam si iusta causa dispensandi interueniat, in foro contentioso, ad minus erit reuocanda dispensatio, quamuis aliàs in foro conscientiæ valida esset, vt docent Innocent. *in Cap. Diuersis. num.* 1. De cler. *coniug.* Hostiens. *num.* 9. Io. Andreas. *num.* 9. Bellamera *in Cap. Veniens. nu.* 18. & 19. De *filijs presbiteror.* Armilla *verbo*, Dispensatio. *num.* 14. Lopez *par.* 1. *Instruct. cap.* 4. ver. *Tertiò dicitur*. Panorm. *in Cap. Cum ad monasterium. nu.* 17. De *statu Monach.* & *in Cap. At si Clerici*. §. De *adulterijs*. *num.* 12. De *iudic.* Alexander de Næuo. *in Cap.* 1. *num.* 128. De *constit.* Turrecrem. *Cap.* 1. *art.* 4. *num.* 4. *Dist.* 89. Henr. *in Cap. Cum ad monasterium*. *nu.* 17. De *statu monach.* Cardinal. *ibidem*. § *fin. num.* 5. vbi rursus Hostiens. *num.* 32. Io. Andr. *in fine*. Probus *in Addit. ad Monach. Cap. vnico. nu.* 4. ver. *Postremo*. De *ætat. & Qualit. ordinan.* Borgas. *De irregularit. par.* 2. Tit. *De differ. termin. in mater. dispensat. in fine*. Quos sequitur Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 17. *num.* 11. cum *num. anteced.* eos retulerit, qui censent, talem dispensationem esse ipso facto irritam. Ratio autem est, quia cum requiratur causa ad dispensandum in lege Superioris, & simus in foro contentioso, debet etiam in foro cōtensioso constare de causa, cū enim causa legitimam faciat dispensationem, non potest in foro contentioso haberi pro legitima, nisi in ipso constet de causa. Et proinde requiritur causæ cognitio. Cap. *Necessaria*, & Cap. *Dispensationis*. 1. *Quæst.* 7. & expressè in Trident. *cit. cap.* 18. *De reformat. sess.* 25. præcipitur, vt præmittatur causæ cognitio. Nam aliàs non potest de ipsa constare in foro contentioso. Vnde dispensatio nunquam temerè concessa debet reuocari.

3 An autem dispensans in lege superioris debeat exprimere causam in ipsa dispensatione, ob quam dispensat. Negatiuè mihi respondendum videtur, si quidem iura, quæ requirunt, quod causæ cognitio præmittatur, non requirunt vlterius, quod reperta vera causa, eaden in dispensatione exprimatur: vnde cum non constet de huiusmodi obligatione, nō est imponenda dispensanti.

4 Quod etiam ex eo colligitur, quia non minus causa requiritur pro ferenda sententia, quàm pro dispensando in lege superioris; & tamen non tenetur iudex causam in sententia exprimere, nisi in ailquibus casibus specialibus ob specialem rationem, quæ in ijs militat, sed sufficit, quod in actis de causa constet. *l. Qui testamentum. init. ff.* De *excusat. tut.* vbi Bald. ver. *Vltimò nota*. vbi asserit, fatuum esse iudicem, qui causam inserit sententiæ. Angel. & cœteri Doctores *ibid.* & *l. In summa. ff.* De *re iud.* vbi item Doctores. & Cap. *Sicut.* De *re iudicata*. vbi Glos. *verbo*, Non *exprimantur*. Panorm. *notat. vlt.* Felin. & alij Doctores *ibid.* Cardin. *in Clement. Sæpe.* §. *Quia*. *quæst.* 17. De *verbor. significat.* Angel. *in l. Qui Romæ.* §. *Duo Fratres. ff.* De *verbor. obligat.* Imola, & Alexan. *ibid.* Bar. *in l. Si is, apud quem. ff.* De *acquiren. hæred.* Si ergo in sententia, in qua agitur de iure tertij, & administratione iustitiæ, non est exprimenda causa, multò minus erit exprimenda indispensatione, sed sufficiet, quod in examinatione causa censeatur iusta, & sufficiens.

5 Ex his colligitur, quid dicendum de doctrina, quam tradit Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 17. *num.* 12. *in fin.* dum ait, Dispensantem in lege superioris non peccare, si causam non examinet, si sibi de ea constet; siquidem examen requiritur, vt de causa constet, ne temerè fiat dispensatio. Licet enim hoc verum sit quò ad forum conscientiæ, non tamen valet quò ad forum externum. nam requi-

quiritur examen, vt in foro externo constet de causa, & simul etiam, quod rationalis appareat dispensatio, vt tollatur occasio scandali, & vt seruetur debitus modus procedendi pro foro externo. Et ideò dispensans sine examine causæ, etiam si illam notam habeat, non seruat præscriptum legis præcipientis examen.

6 Sicuti autem iudex inferior non potest iudicare secundum cõscientiam, sed tenetur conficere acta, & secundum ipsa iudicare, aliter peccat mortaliter existente materia graui. *l. Illicitas. §. Veritas. ff.* De *offic. Præsid.* vbi communiter Doctores. & *in Cap. Pastoralis. §. Quæ verò.* De *offic. deleg.* Turrecrem. *in Cap. Iudicet.* 3. *Quæst.* 7. Couarruu. *lib.* 1. *Variar. cap.* 1. *num.* 6. & communiter etiam Theologi. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. Caiet. *ibid.* Maior. *in* 3. *Dist.* 33. *quæst.* 4. Syluester *verbo*, Iudex. 2. *quæst.* 5. D. Antonin. 3. *part. tit.* 9. *cap.* 6. Alensf. 3. *part. quæst.* 40. *art.* 2. Sotus *lib.* 5. *de iust. & iure. quæst.* 4. *ar.* 2. Ita etiam inferior dispensans in lege superioris, si agatur de re graui, peccabit mortaliter, si non examinet causam, cum teneatur seruare in foro externo iuris ordinem, & procedere secundum allegata, & probata; & proinde in re graui violat legem, quam in conscientia teneatur seruare.

7 Colligitur etiam. Quod quando Prælati regulares dispensant in foro exteriori, aut in legibus Pontificijs virtute suorum priuilegiorum, aut in Constitutionibus religionis iuxta facultatem, quã habent, cum hæ quoque sint leges superioris, tenentur præmittere cognitionẽ causæ, quia ipsi quoque tenentur quò ad substantialia seruare formam iuris; & iudicare secundum allegata, & probata; & proinde, si aliter dispensent, poterit impugnari dispensatio, & reuocari ab habente facultatem. Pro cognitione autem causæ sufficiet, quod de ipsa constet in actis Visitationis, quia hęc faciunt fidem in foro exteriori, vt notant Pauin. *De visit. quæst.* 4. *num.* 24. & 34. Rota die 13. *Decemb.* 1551. *coram Vestano apud Caputaq. Decis.* 188. *part.* 2. Riccius *in Praxi par.* 1. *Resol.* 545. *nu.* 1. Aut si etiam Capitulum alicuius conuentus testetur Capitulariter de veritate, & iustitia causæ pro obtinenda dispensatione pro aliquo tertio, non autem pro seipso, quia nemini in causa propria creditur.

An Capitulum Regulariũ instans apud Superiores pro aliqua dispensatione; & testans, adesse rationabilem causam, peccet, si causa non sit rationabilis. Quæst. 150.

1 *Capitulum Regularium proponens purè causam, & instans pro dispensatione non peccat, si causa non sit sufficiens.*
2 *Quid, si asserat, causam esse sufficientem.*
2 *Petens dispensationem sine causa an peccet.*
3 *Dispensans, & inducens ad dispensandum sine causa in lege superioris peccat.*
4 *Proponens causam vt sufficientem, & eam non examinans, vt inducat ad dispensandum in lege superioris, peccat.*
5 *Capitulum proponens causam, quæ ex genere suo potest esse, & non esse sufficiens pro dispensatione, an peccet.*

---

1 Difficultas procedit, quando est dispensandum in lege superioris, nimirum aut iuris communis virtute priuilegiorum, aut Capituli Generalis; & seclusa bona fide, quia supposito, quod Capitulum putaret, causam esse rationabilem, licèt non esset rationabilis, & sufficiens, excusaretur. In hac autem difficultate hoc certum est, quod si Capitulum purè proponat causam, & instet de dispensatione relinquens examinationem superioribus, non peccat, etiam si existimet, causam non esse sufficientem; quia fieri potest, quod licèt sibi non videatur sufficiens, existimetur tamen talis à superioribus, atque adeò prudenter, atque ratio-

rationabiliter dispensent iuxta ea, quæ de dispensatione tradunt Philiar. *tom.* 1. *De offic. Sacer. part.* 3. *lib.* 4. *Cap.* 4. ver. *Altera difficultas.* Nauar. *in Manuali Prælud.* 9. *num.* 13. Ledesma 1. *part. Sum. tract. De matrim. cap.* 27. *dub.* 1. *post* 4. *conclus.* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 18. *num.* 9. Sà *verbo*, Votum. *num.* 21. Salas *disp.* 20. *de legib. sect.* 6. *num.* 63. Quando enim causa relinquitur examinanda, petens dispensationem ex vi illius causæ, præsumitur petere, si causa sufficiens sit.

2 Si verò non solum purè proponat causam, ob quam instat dispensari, sed insuper asserat, huiusmodi causam esse sufficientem, præsertim habita ratione circunstantiarum, quæ solum, vt plurimum, à præsentibus ponderari possunt & re vera cognoscat, causam non esse sufficientem; aut illam prudenter non examinet, peccabit mortaliter, nec poterit à mortali excusari, nisi dispensatio sit in materia leui. Hoc deducitur ex communi doctrina eorum, qui docent, quod peccatur mortaliter, quando solum petitur dispensatio absque iusta causa. Quod inter alios tradunt *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. Couarru. 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 9. *num.* 7. Ledesma *par.* 1. *Sum. tract. de matrim. cap.* 27. *dub.* 1. *post* 4. *conclus.* ver. *Digo lo segundo.* Rodriquez *part.* 1. *Sum. cap.* 235. *init.* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 18. *num.* 8. Merol. *tom.* 2. *tholog. moral. disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 21. *num.* 294. Martinez 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. *dub.* 1. *conclus.* 5. Valent. *tom.* 2. *disput.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 9. Viual. *in Appendice ad Candelab. nu.* 23. Laiman *lib.* 1. *theol. moral. tr.* 4. *cap.* 22. *num.* 12. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 314. & *tract.* 21. *num.* 439. Bonac. *disp.* 1. *de legib. q.* 2. *punct.* 3. *num.* 16. Malder. 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. *dub.* 2. ver. *Dico tertio*. Salas *disp.* 20. *de legib. sect.* 6. *num.* 59. Palaus *par.* 1. *oper. mor. tract.* 3. *de dispensat. legis. punct.* 8. §. 2. *nu.* 6. Quod tamen solum habet locum, vt alibi dictum est, quando proponitur causa vt sufficiens, & cum animo inducendi ad dispensandum.

3 Ratio autem est, quia petens dispensationem, & proponens causam tanquam sufficientem inducit ad dispensandum, siquidem instantia dispensationis coniuncta cũ causa mouet rationabiliter ad dispensandum. Cum autem inferior dispensans in lege superioris absq. legitima causa peccet mortaliter, si dispensatio sit in materia graui, vt docent communiter cum D.Th. 1. 2. *quæst.* 97. *ar.* 4. quorũ plures referunt, & sequuntur Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 18. *nu.* 3. & Merolla *tom.* 2. *theol. moral. disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 21. *num.* 284. quia imprudenter, infideliter, contra præscriptum legis, & tanquam dissipator se gerit; sequitur, quod petens dispensationem tanquam ex iusta causa inducat ad peccandum.

4 Et hoc non solum est verum, si petens dispensationem iudicet, causam non esse rationabilem, & proponat tanquam rationabilem; sed etiam, si non examinet iustitiam causæ, quia cum proponatur tanquam rationabilis, vt in tali propositione fundetur dispensans, & fidem adhibeat, tenetur proponens prudenter se gerere, atque adeo examinare causam, alioquin temerè, & infideliter se gereret; vnde dispensatio nulla, & peccaminosa adhuc ipsi imputaretur.

5 Ex quibus colligitur, quod si Capitulum proponat aliquam causam in genere, nempe necessitatem, aut aliam huiusmodi, quæ ex genere suo possit esse, & nõ esse sufficiens ratione diuersarum circunstantiarum, cum quibus coniugitur; & proponat tanquam sufficientem, si reuera non sit sufficiens, aut non sit prudenter examinata, peccabit mortaliter, si agatur de dispensatione in re graui, quia adhuc inducet ad malè dispensandum, atque adeo ad peccatum.

An Titius poſsit ſibi retinere quædam bona Caij, quæ dixit, ſe velle ei in teſtamento relinquere, ſi Caius ab inteſtato decedat. Quæſt. 151.

S V M M A.

1 *Pactum de donando an contineat donationem & num. 6.*
2 *Titius non acquirit ius ad bona aliqua Caij ex eo, quod Caius dixit, ſe velle ea ipſi legare.*
2 *Aliud eſt donare, & aliud promittere donare.*
3 *Promiſſio relinquendi legatum non eſt abſoluta.*
3 *Diſpoſitio trahitur ad tempus, in quo effectus confertur.*
4 *Imperfectum teſtamentum quando non valeat quò ad legata pia.*
5 *Teſtamentum, & legata requirunt vltimam voluntatem.*
6 *Pactum de donando an cõtineat donationem.*
6 *An pariat actionem.*

1 PArs affirmatiua videtur ſuaderi ex doctrina, quam tradunt Azo, Odiffredus, Bartolus, Baldus, Angelus, Io. Faber, Fortunius Garzia, Chriſtophorus Portius, quos citat, & ſequitur Ripa *lib. 3. Reſponſ. cap. 12. num. 2.* teſtans de communi. & inſuper Alciat. *Reſp. 117. num. 102.* Socin. Sen. *Conſil. 102.* ver. *Poſtremo. lib. 4.* quos citat, & ſequitur Menoch. *Conſil. 92 num. 27.* Quia, inquint ipſi, pactum de donando continet donationem; vnde etiam promiſſio de legato aliquo in alicuius fauorem faciendo, continebit inſtitutionem legati.

2 Sed oppoſitum tenendum eſt, nimirum Titium non acquiſiuiſſe ius ad illa bona Caij tanquam ad legatum ſibi relictum, & proinde non poſſe ea ſibi retinere, etiam ſi promiſſio Caij de inſtituendo tali legato ſit acceptata à Titio, iuxta doctrinam, quam tradunt Imola *in l. In heredibus. §. 1. ff. De donat.* Alexan. *in l. Iuriſgentium. init. ff.* De *pact.* Salicet. *in l. Si quis argentum. §. fin.* C. De *donat.* Gallin. *Rubr. De verbor. obligat. num. 113.* Tiraquel. *tract. De retract. conuen. in fine. num. 48.* qui alios plures citat, qui volunt, aliud eſſe donare, & aliud promittere donare. & pactum de donando non habere ſpecialem effectum, nec ſortiri exequutionem.

3 Ratio autem eſt, quia promiſſio relinquendi legatum in teſtamento non eſt abſoluta promiſſio, ſed coarctata ad teſtamentum, & ad legatum; & eſt virtualiter conditionata, ſi nimirum promittens teſtamentum condiderit; quia, cum legatum non habeat locum, niſi interueniat teſtamentum, ſi non ponitur teſtamentum, & vltima voluntas, nec etiam ponitur legatum. Et proinde promiſſio relinquendi aliquid in legatum non poteſt ſortiri ſuum effectum, niſi interueniente diſpoſitione vltimæ voluntatis, quia eſt alligata ad vltimam voluntatem tanquam tunc ſortitura ſuum effectum. Vnde cum omnis diſpoſitio trahatur ad tempus, in quo effectus confertur. *l. Quod ſponſa.* C. De *donat. ante nupt.* & attendatur tempus perfectionis, vt docent Bart. *in l. Sicuti. §. fin. ff. De legat. 1.* vbi & cœteri. Alexan. *Conſil. 61. num. 5.* Roman. *Conſil. 63. num. 4. lib. 5.* Menoch. *Conſil. 770. num. 2.* Cum in caſu noſtro non interuenerit diſpoſitio vltimæ voluntatis, dicta promiſſio non potuit ſortiri aliquem effectum, quia non eſt ſortitum ſuum effectum id, in quo ipſa debebat conſumari, & habere effectum. Vnde fuit potius propoſitum, & eiuſdem maniſeſtatio relinquendi in legatum talia bona, quàm promiſſio ipſorum.

4 Et Confir. Quando teſtamentum eſt imperfectum quò ad voluntatem, non valet neque etiam quò ad legata pia; vt, ſi teſtatur dicens, ſe velle teſtari, &

& faciat vocari notarium, & testes, & interim instituat hæredem, & aliqua legata, sed moriatur, antequam veniant notarius, & testes; tunc tale testamentum neque valet quò ad legata pia, vt tradunt Oldrad. *Consil.* 119. Alberic. *in l. Hac. consultissima. §. Si quis.* C. De *testam.* Ancharan. *in Cap.* 2. *num.* 10. De *testamentis.* Imola *Consil.* 91. Anan. *Consil.* 57. Castrens. *Consil.* 101. & *Consil.* 451. *vol.* 2. Dec. *in Cap.* 1. *num.* 15. De *fide instrum.* Guillel. Benedict. *in Cap. Raynutius. verbo,* Testamentum. *num.* 71. De *testamentis.* Rodericus Suarez *in l. Quoniam in prioribus. q.* 4. *vlt. par.* C. De *inoffic. testam.* Aretin. *in l. Si is, qui. ff.* Qui *testam. fac. poss.* Paris. *Consil.* 24. *nu.* 11. *vol.* 3. & *Consil.* 146. *vol.* 4. Ias. *Consil.* 155. *vol.* 4. Dec. *Consil.* 159. & *Consil.* 488. Ruin. *Consil.* 1. *num.* 21. *vol.* 2. & *Consil.* 7. *num.* 8. *vol.* 3. Boer. *Decis.* 93. *circa finem.* Grammat. *Decis.* 62. Couaruu. *in Cap. Relatum* 1. *n.* 9. De *testam.* Sanchez *lib.* 4. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 5.

5 Et hoc habetur expressè ex *l. Ex ea. ff.* Qui *testam. fac. pos.* ibi. *Ex ea scriptura, quæ ad testamentum faciendum parabatur, si nullo iure testamentum perfectum esset, nec ea, quæ fideicommissorum verbo habent, peti posse*, & ex *l. Fideicommissa. §. Quoties. ff.* De *legatis* 3. ibi. *Quoties exemplū testamenti præparat, & prius decedat, quàm testetur, non valent, quasi ex codicillis, quæ in exemplo scripta sunt, licet verba fideicommissi scriptura habeat.* Et ratio est, quia testamentum, & legata non subsistunt, nisi in virtute vltimæ voluntatis, in tali autem casu, in quo testamentum est imperfectum quò ad voluntatem, non habetur vltima voluntas, sed solum præparatio ad vltimam voluntatem, quia cū ex mente testatoris vltima voluntas sit determinãda coram notario, & testibus, non habetur quousque determinetur iuxta modū, quem sibi testator præscribit; & ideo, si non determinat, nec etiam habetur effectus vltimæ voluntatis. Et hoc valet etiam in foro conscientiæ, quia legata solum debentur ratione dispositionis vltimæ voluntatis, qua seclusa, corruit etiam debitum. In casu autem, de quò agimus, quando quis dicit, volo relinquere tibi in testamento talia bona, voluntas est magis imperfecta, quàm si intendens testari coram notario ante aduentum ipsius scribat, Relinquo Petro centum aureos; & ideo non ponit obligationem, nec facit legatum debitum.

6 Neque obstat, quod pro opposita parte allatum est; neque enim est verum, quod pactum de donando contineat donationem: quia ex genere suo pactum de aliquo faciendo non continet ipsum factum; vt manifestè constat in sponsalibus, quæ sunt promissio, & pactum de matrimonio ineundo, neque tamen dici potest, quod contineant matrimonium. Et ratio est, quia promissio facti non est ipsum factum, vt notant Glos. *in l. Bonæ fidei. verbo* Condicturum. *ff. De eo, quod certo loco.* Ias. *ibid. num.* 3. Couaruu. 3. *Variar. Cap.* 4. *nu.* 7. Craueta *Consil.* 76. *nu.* 5. Cephal. *Consil.* 66. *nu.* 10. *lib.* 1. Bursat. *Consil.* 10. *num.* 1. *lib.* 1. Boer. *Decis.* 58. *num.* 4. Ioseph. Ludouic. *Conclus.* 72. *num.* 1. Solum ergo tale pactum parit obligationem donandi iuxta promissionem. Et si iudicialis sit, parit etiam actionem, qua promissor constringi potest, vt exequatur, quod promisit. *l. Cum ostendimus. §. fin. ff.* De *fideius. tut.* & *l. Tale pactum. §. Qui prouocauit. ff.* De *pact.* vbi Bar. Aretin. *in l.* 1. *init. ff.* De *verbor. obligat.* vbi etiam cœteri Doctores. Ias. *in l. Iuris gentium. §. Si cum nulla. num.* 19. *ff.* De *pact.* & *in l. Si conuenerit. num.* 21. *ff.* De *iurisdict. om. iud.*



An, si Petrus dicat, se velle donare centum Caio, possit Caius ea sibi retinere, si apud se habeat, decedente Petro. Quæst. 152.

SVMMA.

1 *Quid dicat voluntas donandi.*
2 *Caius non potest sibi retinere, quæ Petrus dixit, se velle illi donare.*
2 *Promissio donandi non continet donationem.*
3 *Dicens, se velle donare, an se obliget ad donandum.*
4 *Promissor quando possit cogi ad exequendum.*
5 *Quando propositum donandi exterius manifestatum sit fundamentum interpretandi voluntatem, quod voluerit donare.*
6 *Mens præsumitur talis, qualis de iure debet esse.*

1 AFfirmatiuè videtur respōdendum, iuxta doctrinam, quam tradunt Doctores *quæst. præcedenti. num.* 1. allegati, siquidem dum dicit, se velle donare, sufficienter ostendit voluntatem suam, qua se liberalem ostendit erga Caium. & dicta verba important virtualem donationem, & sufficienter declarant mentem proferentis, quod illa centum sint Caij. vnde si ea sibi retineat, non facit contra voluntatem domini.

2 Sed pars negatiua tenenda est iuxta Doctores citatos. *Quæst. præcedenti num.* 2. Quia promissio donandi non continet donationem, & proinde non dat ius ad res, de qua dicitur instituenda donatio. Promissio nanque donandi respicit donationem celebrandam pro tempore futuro, & ideo non continet exequutionem ipsius, sed solum obligationem ad exequendum. Et hoc valet supposito, quod dicens velle, se aliquid donare id dicat promittendo, & se obligando ad celebrādam donationem.

3 Verum si dicens, se velle aliquid donare, non intendat se obligare ad donandum, vt præsumitur, quando simpliciter dicit, volo donare; tunc non inducitur aliqua obligatio, sed tantum declaratur propositū donandi ad ostendendum affectum liberalem, & ideo à fortiori non potest donatarius designatus sibi retinere id, quod designatum fuit pro donatione. Vnde, cum non adsit intentio se obligandi, non inducitur obligatio, atque adeo non acquiritur ius aliquod donatario designato, iuxta ea, quæ de promissione tradunt Sotus *lib.7. De iust. & iure. quæst.1. art.2.* Lessius *lib.2.* De *iust. & iure. cap.*18.*dub.*1. *num.6.* Sà *verbo*, Promissio. *nu.*1. Filliuc. *tr.*23. *cap.*2. *num.*30. Molina *De iust. & iure. tract.*2.*disp.*262.*n.*1.*&* 8. Rebel. *De obligat. iust. lib.*18. *q. vnica. nu.*5. Bonac. *disp.*3. De *contract. quæst.*12. *punct.*1.*n.*12.

4 Neque contra supradicta obstat, quod promissio inducat obligationem adimplendi, & quod possit cogi promissor, vt exequatur rem promissam iuxta *l. Vbi autem nō apparet. §. fin. ff.* De *verbor. obligat.* & tradunt communiter *in l. Stipulationes. ff.* De *verbor. obligat.* præsertim Bar. *num.*14. nam hoc tantum valet de promissione, quæ sit vera promissio, & acceptata; non autem, quando non est vera promissio, sed solum ordinata ad indicandum animi affectum, & propositum testandi talem animum liberalitate aliqua.

5 Dices. Quod stante proposito de donatione faciēda exterius manifestato, adest sufficiens fundamentum interpretandi voluntatem, quod Petrus contentus sit, quod Caius retineat illa centum, & proinde ex hoc capite posse ea sibi retinere. Resp. tale propositum exterius manifestatum non esse de se sufficiens fundamentum faciendi huiusmodi interpretationem, nisi aliud concurrat, si quidem respicit donationem, vt faciendam, & nondum obligatam, & ideo est talis conditionis, vt requirat vlteriorem voluntatem, quæ determinet de donatio-

tione: vnde adhuc relinquit donationem indeterminatam, & voluntatem in sua indifferentia ad donandum, vel non donandum. Imo potest esse, quod ordinetur solum ad manifestandum affectum.

6 Solum habet locum talis interpretatio, quando esset facta promissio inducens obligationem ad donandũ; Tunc enim, quia mens præsumitur esse talis, qualis de iure debet esse, vt notant Ias. *in l. Causas. num.* 3. *C. De transact.* Grammat. *Consi.* 34. *num.* 3. & *Consi.* 45. *nu.* 33. *in Criminal.* Dec. *Consi.* 64. *nu.* 4. & *Consil.* 580. *nu.* 2. Gozadin. *Consil.* 101. *n.* 10. Loquentes de principe, quod tamen ob eandem rationem locum habet in omnibus, cum quilibet debeat præsumi bonus, atque adeo rationabiliter procedere. Et quia quisque præsumitur memor propriæ salutis, atque adeo velle satisfacere proprijs obligationibus. Tunc inquam poterit facere huiusmodi interpretationem, quod contentus fuerit, vt sibi ea centum retineat, aliàs irrationabiliter esset inuitus, quia nollet satisfacere propriæ obligationi. Non est tamen eadem ratio de eo, qui dixit, & promisit, se velle aliquid relinquere in testamento, quia talis promissio non inducit obligationem, nam, vt dictum est *quæst. præcedenti. num.* 3. censetur promissio conditionata, si nimirum condiderit testamentum; Et cum sit promissio exequenda per vltimam voluntatem, & vltima voluntas sit semper libera, nec sortiatur effectum, donec morte confirmatur, ideo semper talis promissio manet in suspenso, nec parit obligationem.



An si ecclesiasticus asserat coram iudice laico, quod farina introducta nomine ipsius, & confiscata in fauorem appaltatoris, sit propria, teneatur ad restitutionem, si reuera non sit propria. Quæst. 153.

S V M M A.

1 *Casus explicatio.*
2 *Sententia confiscationis est nulla non citata, nec audita parte.*
3 *Sententia nulla nullum habet effectum.*
3 *Non est sententia.*
3 *Nulliter fieri, & non fieri paria sunt.*
4 *Pœna, quæ ipso facto incurritur, non est exequenda ante sententiam declaratiuam criminis.*
5 *Impediens sententiam declaratiuam criminis, an teneatur resarcire damnum inde sequens.*
6 *Asserens, quod sit suum, quod aliàs esset confiscandum, an teneatur resarcire damnum.*
6 *Testis deponens falsum, vt impediat confiscationem, an teneatur resarcire fisco.*
7 *Deponens falsum in iudicio, quomodo peccet.*
8 *Ius fisci ad confiscanda non incipit, nisi sequuta confiscatione.*
9 *Falsa attestatio contra fiscum quam administrationem iustitiæ impediat.*
10 *Impediens, ne quis hæreditatem, aut beneficium cõsequatur, quodnam ius lædat.*
10 *Impediens, ne fiscus consequatur confiscanda, quodnam ius lædat.*

1 IN quadam ciuitate præter vsualem panem, conficitur panis specialis melioris qualitatis; non tamen omnes possunt ipsum conficere, sed ij solum, qui conueniunt cum appaltatore. Non obstantibus tamen pœnis, plures clanculum confi-

ciunt panē eiusdem qualitatis,& curant, quod etiam clanculum introducatur farina in vrbem. Accidit casus, quod quidam illam introduxit, tanquam si esset personæ ecclesiasticæ, sub cuius nomine in ingressu vrbis notata fuit. Id appaltator resciuit, & instauit coram iudice, vt farina confiscaretur, & sibi iuxta leges adscriberetur, quod à iudice statim præstitum est non præmissa informatione, cuius reuera esset illa farina, nec audita parte. Persona ecclesiastica, cuius nomine farina est importata in vrbem comparuit coram iudice, & vt gratificaretur domino farinæ, dixit, esse suam propriam, & iudex statim iussit, farinam confiscatam restitui. Dubitatur modo, an dictus ecclesiasticus teneatur ad aliquam restitutionem.

2 In hac difficultate hoc certū est; quod sententia, qua farina fuit confiscata, & adiudicata appaltatori, nulla fuit, vt pote lata parte inaudita, nec etiam citata, vt communiter docent Bar. *in l.Prolatam.* C. De *sent. & interloquut. om. iud.* Alexan. *in l 2. C.eodem.* Ias. *ibid.* Dec. *Consil.*603. *nu.*11. Vantius *De nullit. sent. ex defect. citat. num.* 2. Omissa namque citatione tolluntur defensiones, quæ sunt de iure naturali, vt ex Clement. *Pastoralis*, De *re iud.* Quare huiusmodi defectus est talis, vt neque à Principe suppleri possit per ea, quæ tradunt Bart. *in Extrauag.* Ad *reprehendendum*.verbo. *Sine figura iudicij. num.*7. Alex. *Consil.*11. *num.*5. *lib.*3. Felin. *in Cap. Quæ in Eccles. num.*66. ver. *Limita sexto*. De *constitut.* & *in Cap. Cum olim* . *num.*12. De *re iudic.* Afflict. *Decis.*283. *in fine.* Dec. *Consil.*544. *nu.*27. Capic. *Decis.*69. *num.*35. Vantius *De nullit.* Tit. *An qualibet sentent. pos. dici nul. n.*13. Cum enim defensio sit de iure naturali, non potest quis ea priuari à Principe, cum non sit supra ius naturale, atque adeo nec etiam priuari potest citatione, quæ est intimatio defensionis.

3 Rursus etiam certum est. Quod, cum sententia fuerit nulla, nullum habuit effectum, & consequenter nullam fecit mutationem circa iura partium. Sententia nanque nulla non est sententia. *l. fin.* C. De *sent. & breuiloq. recit.* & Clement. *Pastor.* §. *Vt igitur.* De *re iudic.* & notat inter alios Tiraquel. *in l. Boues.* §. *Hoc sermone. limit.*1. *num.*9. *ff.* De *verbor. signific.* & proinde habetur pro non prolata, quia nulliter fieri, & non fieri paria sunt. *l. Quoties. ff.* Qui *satisdare cogan.* & consequenter non potest habere aliquem effectum, quò immutet iura partium, & quod non est debitum, faciat esse debitum.

4 Cum autem pœna imposita à lege, etiam si ipso facto per transgressionem incurratur, non sit debita ante sententiam declaratoriam criminis, vt cum sententia communissima, & vera docent Decius *in Cap.*1. *num.*73. De *constit. in* 1. *lect. noua edit.* Alexander *in l.Si quis maior. num.*13. C. De *transact.* Io. Andr. *in Cap. Pro humani.* De *homicid. in* 6. Bald. *in Cap.*1. *De feud. sine culpa non amit.* Couarruu. 4. *Decret. part.*2. *cap.*8. §.8. *num.*10. Grammat. *Decis.*15. *num.*8. Achilles de Grassis. *Decis.*1. *De pœnis.* Magon. *Decis.* 16. Ferdinan. Vasquez *lib.* 1. *Controuer. illustr. cap.*28. *num.*14. Cantera *in quæst. Criminal.* Tit. *De quæst. tangent. punit. delictor. cap.*1. *nu.*16. & 17. Penna *in Director. Inquisitor. par.*3. *commen.*158. Siman. *De cathol. Instit. tit.*9. *nu.*161. & *sequent.* Medina *C. De restit. q.*1. §. *Post rerum dominium.* ver. *Ad propositum.* Caiet. 2.2. *q.*62. *art.*3. *in fine.* Salon. *controuer.*1. *post.*3. *conclus.* Bannes *quæst.*12. *art.*2. *dub. unico. circa solut.* 2. *princip. conclus.* 1. Aragon. *q.*11. *ar.*3. ver. *His suppositis.* Sayr. *lib.*3. *Clauis reg. cap.*9. *num.*30. Molin. *tom.*1. *de iust. & iure. tract.*2. *disp.*65. ver. *Contrariam sententiam.* Nauar. *Cap.* 23. *Manual. nu.*60. Henriquez *lib.*13. *Sum. cap.*56. *num.*2. *circa finem.* Azor. *part.*1. *lib.*5. *cap.*7. *quæst.*1. & 3. & *lib.*8. *cap.*12. *quæst.*3. Riccius *Collect.*303. Valent. 1.2. *disp.*7. *q.*5. *punct.*6. *q.*3. ver. *Ex quo deinde.* & 2.2. *disp.*1. *quæst.*12. *punct.*2. *in fine.* Mysinger. *Centur.* 2. *Obseruat.*43. Sotus *lib.*1. *De iust. & iure quæst.*6. *ar.*6. *conclus.*1. Syluester *verbo.* Assassinus. *num. vlt.* Tabiena. *num.*2. & 3. Rosella. *nu.*1. Adrian. *Quodlib.*6. *ar.*1. Victoria *Relect.*1. *De Indis insulanis. num.*14. Gomez *tom.*3. *Va-*

riar.

uar. cap. vlt. num. 3. Sousa *in Bullam De largitione muner. num.* 102. Vasquez 1. 2. *disp.* 170. *cap.* 3. Lessius *lib.* 2. *De iust. & iure. Cap.* 29. *d. b.* 8. *n.* m. 64. Villagat. *De extens. leg. Tit. De extens. leg. penal. instit. haret. &c. nu.* 122. Suarez *lib.* 5. *De legib. Cap.* 8. *num.* 5. Merol. *tom.* 2. *theol. moral. disp.* 4. *cap.* 5. *dub.* 2. *nu.* 75. Sanchez *lib.* 2. *Sum. cap.* 22. *num.* 7. qui alios citat. Mancinus *in Disquisitionibus Genialib. Centur.* 3 *cap.* 238. *num.* 2. & 4. Quando enim pœna infligitur ipso iure, & ipso facto, communis vsus ita interpretatur clausulam, *Ipso facto*, & *Ipso iure*, vt solum inducat pœnam accedente sententia declaratoria criminis, & de se tantum operetur, vt pœna censeatur inflicta, sed sub conditione declarationis. Et hæc communis interpretatio habetur ex Cap. *Cum secundum*. De *hæreticis. in* 6. vbi ad pęnam confiscationis bonorũ propter hæresim, quæ ipso facto incurritur, requiritur sententia declaratoria hæresis. Ibi. *Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales (iuxta Gregorij Papæ Prædecessoris nostri declarationem) antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Cum, inquam, pœna non sit debita ante sententiam iudicis declaratiuam criminis, sequitur in casu nostro, quod cum sententia fuerit nulla, atque adeo res se habeat, tanquam si non esset sententia sequuta, non sit debita farina appaltatori; atque adeo ex hoc capite non adsit obligatio restituendi. Vnde reducitur difficultas, an teneatur dictus ecclesiasticus, quia per suum testimonium, licet extraiudiciale, impediuit, ne farina adiudicaretur appaltatori.

5 Et quidem iuxta sententiam Molinæ *tom.* 1. *De iust. & iure. tract.* 2. *disp.* 95. *num.* 36. Soti *lib.* 1. *De iust. & iure. quæst.* 6. *ar.* 6. Castri *lib.* 2. *de leg. pœn. c.* 15. *§. I x bis.* Laiman. *lib.* 3. *Theol. moral. tr.* 2. *sect.* 5. *cap.* 7. *num.* 4. Spatarij *in Pract. Regular. tract.* 7. *cap.* 11. *num.* 7. & aliorum respondendum esset, quod teneatur ad restitutionem. Quia peccauit contra iustitiam, nam impediuit, ne per sententiam iudicis redderetur alteri, quod debitum erat. Deinde qui fraude, aut dolo impedit, ne quis consequatur beneficium, legatum, aut instituatur hæres, tenetur ad restitutionem, ergo à fortiori tenebitur, quando impedit, ne reddatur, quod debitum est.

6 At tenendum est, non obligari ad restitutionem, iuxta ea, quæ tradunt Ledesma *part.* 2. *sum. tract.* 8. *De iust. commut. cap.* 25. *difficul.* 11. *post* 7. *conclus.* citans Orellanam Bannes, & asserens, esse communem opinionem Thomistarum. Lessius *lib.* 2. *De iust. & iure cap.* 12. *dub.* 18. *num.* 136. Carbonius *quæst.* 31. *De restit. concl.* 5. Vasquez 1. 2. *disp.* 175. *cap.* 12. *num.* 13. & 14. Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæst.* 5. Sanchez *lib.* 1. *Sum. cap.* 22. *n.* 22. Tanner. 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 2. *nu.* 76. Salas *disp.* 15. *De legib. sect.* 7. *num.* 105. Sà *verbo*, Restitutio. *nu.* 46. Granad. 1. 2. *Controuer.* 7. *tract.* 3. *par.* 1. *disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 8. Io. à Cruce *par.* 1. *Direct. conscien. q.* 8. *ar.* 4. *dub.* 13. *Conclus.* 5. Syluius 2. 2. *quæst.* 71. *ar.* 1. *quæsit.* 01. *Conclus.* 6. Pitigian. *in Practica crimin. part.* 1. *cap.* 6. Villalob. *part.* 2. *Sum. tract.* 12. *difficul.* 1. *num.* 12. Turrian. 2. 2. *disp.* 53. *nu.* 6. Malder. *ibid. tract.* 6. *cap.* 2. *dub.* 9. §. *Dico tertiò.* Diana *par.* 3. *tract.* 6. *Resol.* 35. ver. *At his non obstantibus*; Quatenus docent, quod testis deponens falsum, quando agitur de pœna applicanda fisco, aut alteri, non tenetur ad restitutionem. Et hoc est iuxta doctrinam Bannes 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Aragon. & Salon. *ibid.* & Nauar. *cap.* 18. *Manual. num.* 39.

7 Ratio autem est, quia testis in iudicio non tenetur fateri verum, nisi ex obedientia, & iustitia legali; vnde si dicat falsum, solum peccat contra obedientiam, & iustitiam legalem, non autem contra commutatiuam, nec lædit ius alicuius, quod sit ad mulctam, seu pœnam, sed solum ius legalis iustitiæ. Et in casu nostro ille ecclesiasticus non peccauit contra obedientiam, quia non testatus est iudicialiter, nec poterat obligari, nec contra iustitiam legalem, sed

solum

ſolum contra fidelitatem, ergo non adeſt obligatio ad reſtitutionem, nam hæc ſolum conſurgit ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ, aut ad ſummum iuſtitiæ diſtributiuæ.

8 Sed dices. Lædi ius appaltatoris, namlicet non habeat ius ad ea, quæ confiſcantur ante cõfiſcationem, habet tamen ius ad ſententiam confiſcationis; vnde impediens ſententiam per atteſtationem falſam, lædit tale ius. Reſp. Neque habere ius ad bona confiſcanda, quia ſolum illi fiunt debita ratione confiſcationis; neque etiam habere ius ad ſententiam, per quam confiſcantur bona, quia habet ſolum ius ad id, quod ipſi per legem, ſtatutum, aut pactum adiudicatur; vnde, cum adiudicentur ea, quæ confiſcantur, ius ipſius ſolum incipit poſita confiſcatione, & ideo non habet ius ad ſententiam, ſed ſolum poteſt inſurgere pro fiſco, quod ipſi non impeditur.

9 Inſtari adhuc poteſt, falſa atteſtatio impedit adminiſtrationem iuſtitiæ, ex qua impeditur appaltator, ne conſequatur, quod conſequeretur, ſi iuſtitia adminiſtraretur; ergo damnificat, atque adeo conſurgit obligatio reſtitutionis: Reſp; impedire adminiſtrationem iuſtitiæ non commutatiuæ, ſed legalis; vnde ex hoc non conſurgit obligatio reſtitutionis. Nec etiam ex eo, quod, dum non fit confiſcatio, alter non conſequatur bona confiſcata, quia hoc non eſt damnum contra ius alterius, quia vt dictum eſt, ante confiſcationem non adeſt ius ad confiſcanda, ſed ſolum eſt damnum negatiuum, hoc eſt impedimentũ, ne quis aſſequatur, quod aliàs aſſequi poſſet; & indirectè infertur. Obligatio autem ad reſtituendum non oritur ex damno etiam poſitiuo. quod indirectè infertur. Sic occidens Petrum, quamuis ſit cauſa, quod Petrus occiſus nõ ſoluat, quod debebat ſuis creditoribus, aut non reſtituat famam, &c. non tenetur occiſor ad ſoluenda debita Petri, aut reſtituendam famam, &c. non alia ratione, niſi quia non læſit in his aliquem, ſed læſit ſolum Petrum.

10 Nec obſtant, quæ pro oppoſita ſententia allata ſunt, nam primum ſolutam manet ex dictis. Ad 2. verò reſpon. eſſe diſparem rationem de eo, qui vi, aut fraude impedit, ne quis conſequatur beneficium, aut aliud commodum, ac de eo, qui impedit confiſcationem occultando verum, aut atteſtando falſum, nam hic non lædit ius alicuius, ille vero lædit, quia facit actionem iniuſtam, in qua continetur læſio iuris illius, qui vi, aut fraude impeditur, ne aſſequatur aliquod commodum; ſtante enim aſſequibilitate commodi, & quod ipſe paratus ſit ad aſſequendum, habet ius ad proſequendam aſſequutionem; & ideo ſi ab aliquo interponatur vis, aut fraus, qua impediatur proſequutio aſſequutionis, læditur directè, & per ſe primò tale ius, & ideo peccatur contra iuſtitiam commutatiuam.

An Epiſcopus punire poſsit Regulares, ſi ſibi vſurpent iura Epiſcopalia. Quæſt. 154.

SVMMA.

1 *Epiſcopus an poſſit punire Regulares vſurpantes iura Epiſcopalia.*
2 *Eccleſia Regularium vſurpantium iura Epiſcopalia ſubijciuntur interdicto.*
3 *Ordinarij non habent iuriſdictionem in Regulares, niſi ijs expreſſè concedatur.*
3 *Ordinarij non poſſunt ferre cenſuras in Regulares, niſi ijs expreſſè concedatur.*
4 *Confratres, ſeu oblati an eximantur à iuriſdictione Epiſcopi.*
4 *Quid pro Regularibus ſtatuatur in Cap.* Cũ & plantare. *De priuileg.*
5 *Epiſcopus poteſt punire Regulares perturbantes eiuſdem iuriſdictionem.*
5 *Conceſſa iuriſdictione conceduntur omnia, ſine quibus non poteſt exerceri.*
5 *An vſurpatio iurium Epiſcopalium ſit perturbatio iuriſdictionis.*

1 Quod

1 Quod punire possit, tradunt Cochier. *part*, 2. *De iurisdict. Ordinariorum in Exemptos. lib.* 1. *quæst.* 45. *num.* 100. Barbosa *de Potestate Episcopi par.* 3. *Allegat.* 105. *nu.* 65. Merolla *tom.* 3. *Theol. moral. disp.* 7. *cap.* 4. *dub.* 9. *nu.* 166. & alij. Atque id colligunt ex Cap. *Cum & plantare.* De *priuileg.*

2 Verum ex *dicto tex.* hoc minimè colligi potest, nam ibi tantum per ipsum Pontificem Regularium talia attentatium Ecclesiæ subijciuntur interdicto, & decernitur irritum, quicquid fecerint. ita enim. §. *Qod autem.* textus habet. *Quod autem de prædictis fratribus dictum est, ab alijs quoque religiosis, qui præsumptione sua Episcoporum percipiunt iura, & contra canonicas eorum sententias, & tenorem priuilegiorum nostrorum venire præsumunt, præcipimus obseruari. Si enim contra institutum hoc venerint, & Ecclesiæ, in quibus ista præsumpserint, subiaceant interdicto, & quod egerint irritum habeatur.* Ex quibus manifestum est, quod Pontifex Alexander III. in *hoc textu* nullam tribuit Ordinarijs facultatem puniendi Regulares, qui sibi iura Episcopalia vsurpant. Imo cum ipse pœnas imponat, excludit talem potestatem ab Episcopis.

3 Ratio autem est. quia ex vna parte habemus certam, & indubitatam exemptionem Regularium; ex alia autem parte nō habemus ius, quod tribuat pro hoc casu potestatem Ordinarijs puniendi Regulares, sed ad summum opinionem Doctorum, quæ non facit aliquid certum, sed ad summum probabile. quando autem certum concurrit cum opinabili, præferendum est, quod certum est, & secundum ipsum iudicandū. Hinc videmus, quod quando ius vult, quod Ordinarij possint exercere aliquā iurisdictionem in Regulares, hoc expressè declarat, vt passim in Tridentino Concilio, & quò ad Censuras notat Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio. disp.* 23. *nu.* 23. plures alios allegans, Lezana *to.* 1. *Quæst. Regular. Cap.* 11. *nu.* 14. quia stante exemptione requiritur specialis dispositio, vt possint Episcopi exercere iurisdictionē in exemptos, si quidem exempti subtrahuntur eorundem iurisdictioni.

4 Obijciunt tamen nonnulli, quod in *dicto tex.* Cap. *Cum & plantare.* §. *Quod autem.* De *priuileg.* statuitur, quod obseruentur ab alijs religiosis, quod ibi statutum est quò ad præfatos Fratres. De his autem statutum est in præcedenti. §. *Quo ad confratres.* Quod in ipsos Episcopi suam potestatem exercere possint. poterunt ergo exercere etiam in omnes Regulares. Sed hæc obiectio procedit ex praua intelligentia tex. nam in dicto §. *De confratribus,* est sermo de oblatis, qui non sunt verè religiosi, vt clarè constat ex verbis ipsius tex. ibi. *De confratribus hoc constituimus, vt si non se prædictis fratribus omnino reddiderint, sed in proprietatibus suis omnino duxerint remanendum.* Et de his statuitur, quod si non se tradiderint plenè suis fratribus, non eximantur à sententia Episcopi, hoc est, non gaudeant priuilegio exemptionis. In sequenti autem §. *Quod autem.* quod supra §. *Ecclesias igitur. & sequentib.* statutum fuerat de fratribus Templi, & Hospitalis, extenditur ad omnes Regulares. Statuitur autē pro dictis fratribus Templi, & Hospitalis, quod non possint recipere Ecclesias, & Decimas de manu laicorum sine consensu Episcopi; quod euitent excommunicatos nominatim, & interdictos per sententiam Episcoporum; Quod in Ecclesijs suis, quæ ad ipsos pleno iure non pertinent, instituendos præsbiteros præsentent Episcopo, quo inconsulto non possint institutos remouere; & pro rebus temporalibus Instituti exhibeant rationem competentem ipsi Episcopo. Quod in Ecclesia posita in loco interdicto celebrare possint tantum semel in anno. Hæc inquam extenduntur etiam ad omnes Religiosos. non autem aliquid decernitur quò ad Episcopos circa punitionem Regularium.

5 Rursus obijcitur. Episcopus potest punire Regulares exemptos, qui suam

suam iurisdictionem perturbant; vt notant Innocent. *in Cap. Dilectus. in fine.* De pœnis. Salzedo *in addit. ad Pract.* Diaz *Cap.3. litteoa A. §. Punire.* Aufer. *De potest. sæculari super Ecclesias. person. n. 23.* Roias De *haret. part. 1. num. 15.* Sanchez *lib. 7.* De *matrim. disp. 33. num. 21.* Emmanuel Themudus à Fonseca *part. 1. Decis. 62. nu. 32.* & alij in *Cap. 1.* De pœnis. *in 6°* Quia nimirum concessa iurisdictione, conceduntur omnia, sine quibus non potest exerceri iurisdictio. *l. 2. ff.* De *iurisdict. om. iud.* Qui autem sibi vsurpat iura Episcopalia perturbat iurisdictionē Episcopi. Resp. vsurpationem iurium Episcopalium non esse perturbationem iurisdictionis Episcopi, quia tunc solum perturbatur iurisdictio alicuius, quando impeditur, ne exerceatur. Quando autem quis exercet iura Episcopalia, & ea sibi vsurpat, non impedit, quin Episcopus quoque exerceat; sic si alius Episcopus in aliena diœcesi benediceret solemniter, Pontificalia exerceret, non perturbaret iurisdictionem Diœcesani. Vnde vsurpatio iurium Episcopalium solum tunc perturbat iurisdictionem, quando ex hoc sequitur, quod non possit ipse Episcopus ea exercere, quod est per accidens.

An quando Regularis aliquis declaratur incorrigibilis, possit Ordinarius loci inquirere, an sit iustè, an iniustè eiectus. Quæst. 155.

S V M M A.

1 *Episcopus secundum de Franchis potest inquirere, an regularis sit iustè eiectus.*
2 *Episcopus non habet ius inquirendi, an sit iusta eiectio Regularium.*
2 *Sententia eiectionis Regularium notificanda Ordinario.*
3 *Recognoscere alterius sententiam est actus iurisdictionis.*
4 *Regulares omnino exempti ab Ordinarijs.*
4 *Subijciuntur Regulares Ordinarijs solum in casibus expressis.*

1 PArtem affirmatiuam tenet Lauretus de Franchis *par. 1. Controuer. inter Episcop. & Regular. ad Decreta Sacra Congregat.* De *Apostatis, & Eiectis. in resp. ad 3. Quæsitum. pag. 219.* & citat Cardinal. *in Clement. 1. §. Quia vero.* ver. *Addo quarto.* Quia multi sunt eiecti culpa sua, & viuunt laxiori vita; vnde dolus ipsis patrocinaretur. Et hoc, ait, esse notandum pro quotidiana practica.

2 Sed hoc est prorsus reijciendum, & tenendum, quod non possit Ordinarius inquirere, an Regularis sit iustè, an iniustè eiectus. In decreto nanque *Sacræ Congregationis de Eiectis,* disponitur, quidquid seruandū est ante eiectionem incorrigibilium, in eiectione ipsa, & post eiectionem, & solum statuitur, quod sententia eiectionis notificetur Ordinarijs; non autem tribuitur ipsis facultas, quod inquirant, an sententia sit iusta, vel iniusta. ergo non habent talem facultatem, cum à nullo iure sit ipsis tributa.

3 Ratio autem est; quia recognoscere alicuius sententiam est actus superioritatis, & iurisdictionis. nam facultas recognoscendi est etiam facultas corrigendi sententiam, & est subijcere propriæ potestati, quod ab alio gestum est, quod non fit sine exercitio superioritatis; argum. ex Cap. *Sententia.* 35. *Quæst. 9.* & Cap. *Nemini.* 17. *quæst. 4.* & *l. 1. in fine. ff.* De *quæst.* & *l. 1. §. De qua. ff.* De *postulan.* Glos. *in dict. Cap. Nemini.* Bald. *in l. 2. C.* De *sen. exper. recit.* vbi, Quod sententia Pontificis, aut Principis non potest per alium retractari, quia nimirum non habent superiorem.

4 Cum

4 Cum ergò Regulares sint omnino exempti à iurisdictione Ordinariorum, Cap. *Nimis praua*. De *excessib. Prælator*.& Cap. 1. §. *fin*.& Cap. *Neque aliquis*. De *priuilegijs in 6*. & ex Trident. *Sess*. 21. *Cap*. 2. *&* *Cap*. 21. *De reformat*. & *Sess*. 14. *cap*. 5. *De reformat*. ibi. *Præsenti canone minimè comprehensi, sed exempti omnino sint, & esse intelligantur*; Et solum subijciantur in casibus expressis: & hic casus non sit de expressis, non poterit Ordinarius se ingerere, nec recognoscere, an religiosus iustè, an iniustè fuerit eiectus.

Quas personas possint Ordinarij secum introducere, quando in casibus permissis ingrediuntur Monasteria Monialium. ***Quæst. 156.***

SVMMA

1 *Prælati ingredientes monasteria Monialium quas personas possint secum introducere.*
2 *Possunt associari Regularibus, & Nouitijs si cætera conditiones concurrant.*
2 *Nouitij in fauorabilibus veniunt nomine Regularium.*
3 *Possunt associari ab Equitibus Hierosolimitanis, Militarium Ordinum. nu. 4. Clericis sæcularib. num 5.*
3 *Equites Hierosolimitani sunt verè religiosi.*
4 *Equites Ordinum militarium in fauorabilibus veniunt appellatione Religiosi.*
5 *Clerici sæculares in fauorabilibus veniunt appellatione religiosorum.*
6 *Laici honestè viuentes dicuntur personæ religiosæ.*
6 *Verba legis accipienda secundum totam latitudinem significationis naturalis.*
7 *Quid propriè significet nomen Religiosus.*
7 *Religiosus vnde dicatur.*

1 IN Constitutione Gregorij XIII. circa clausuram Monialiū, quæ incipit, *Dubiis, quæ*. *sub die* 23. *Decemb*. 1581. decernitur, quod quando Prælati siue Regulares, siue Sæculares ingrediuntur Monasteria monialium iuxta facultatem ex officio attributam, habeant comitatū paucarum seniorum, & religiosarum personarum. Ibi. *Harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tàm sæculares, quàm regulares, quibus iura, & regimen monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis, iisque senioribus religiosis personis comitati*. Dubitatur modo, quinam veniant nomine religiosarum personarum.

2 In qua difficultate certū est, quod Regulares comprehendantur, & proinde possint associare Prælatos monasteria ingredientes, cum sint cum omni proprietate religiosi. Vnde Nouitij quoq. poterunt assumi ad hoc munus, si contingat, aliquem esse seniorem, quia ipsi quoque in fauorabilibus veniunt nomine Religiosi per ea, quæ notant Glos. *in Clement*. 1. verbo, *Religiosus*. De *elect*. Coriolan. *par*. 1. *De casib. reseruat. sect*. 3. *art*. 18. *n*. 3. Vecchius *in Praxi Nouit. disp*. 11. *dub*. 10. Henriquez *lib*. 12. *sum. cap*. 5. §. 3. Riccius *in Praxi part*. 2. *Resol*. 158. *nu*. 3.

3 Ex quibus etiam resoluitur, quod possit Prælatus ingrediens Monasteria Monialium assumere equites Hierosolimitanos, quia & ipsi quoque sunt verè religiosi, vt notant Glos. 2. *in Clement*. 1. De *decimis*. Petrus Greg *lib*. 5. *Syntag. iur. cap*. 35. Gratian. *tom*. 5. *Discep. Forens. cap*. 880. *n*. 1. 3. *&* 5. Menoch. *Consil*. 54. *num*. 17. & *de Arbitrar. Casu* 56. *num*. 11. & *Casu* 231. *n*. 19. Bartholom. à S. Faus. *lib*. 5. *Thesauri Relig. quæst*. 10. Rodriquez *tom*. 2. *quæst. Regular. quæst*. 2. *ar*. 7. Garzias *par*. 1. *de Benef. cap*. 4. *num*. 3. Azor. *par*. 1. *lib*. 13. *cap*. 4. *quæst*. 4. & passim Rota præsertim, *Decis*. 177. *num*. 1. *apud Farinac*.

*rinac.par.*1. *Recent.* & coram Puteo *Decif.*382. *nu.*2. *lib.*1. & coram Greg. XV. *Decif.*87. *num.*2. & rurſus apud Farinac. *Decif.*333. *nu.*1. *par.*1. *Recent.*& *Decif.*87. *num.*1. & *Decif.*454. *num.*3. *par.*2. *Recent.* & *in Egitanienſi Commenda* 8. *Iun.*1626. *coram Merlino* . & alij, quos adduxi *in Decif. moral. Decif.*433. *num.*3.

4 Et non ſolnm Equites Hieroſolimitani, ſed etiam Equites Ordinum militarium poterunt aſſumi, quia & ipſi quoque in fauorabilibus veniunt nomine religioſorum, vt notant Natta *Conſil.*507. *num.*3. & 4. & 14. & 15. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel. Gloſ.*8. *num.*61. Seraph. *Decif.*587. ſufficit enim, quod ſint largè religioſi, vt in fauorabilibus veniant religioſorum appellatione, vt docent Cæſar de Graſ. *Decif.*547. Maſtril. *Decif.*290. *num.*160.

5 Quin cum ſimus in fauorabilibus Clerici quoque ſæculares poterunt aſſumi ad aſſociandum, quia & ipſi in fauorabilibus veniunt appellatione Religioſorum, vt notant Gloſ. *in Cap. Nullus itaq. verbo.* Religioſi. 1. *quæſt.*1. & *in Cap. Preſens . verbo*, Religioſus. 9. *q.*3. Lamberteng. *De iurepatronat. lib.*2. *part.*2. *quæſt.* 11. *per totum*. Et hæc locum habent ſumendo nomen Religioſi in ſtricta ſignificatione pro eo, qui ſpeciali modo cultui diuino mancipatus eſt.

6 Verum ſtando etiam in propria ſignificatione reſoluendum eſt, quod in præfata Conſtitutione nomine religioſorum veniant non ſolum, qui ſpeciali modo cultui diuino dicati ſunt, ſed etiã quicunque laicus, qui honeſtè viuat, & bonis moribus ornatus ſit. Quando enim agitur de interpretatione legis, verba ſumenda ſunt ſecundum totam ſuam latitudinẽ ſignificationis naturalis, quod præſertim locum habet in legibus fauorabilibus; imo etiam in odioſis ſecundũ communem ſententiam, quam tradunt Gloſ. *in l.Non poſſunt. in fine. ff.* De *legib.* Aret. *in l.Cum lege . ff.* De *teſtam.* Angel. *in l. fin.* ver. *Tertio quæritur. ff.* De *conſtit. Princip.* Dec. *in Cap.*1. *num.*87. *in* 1. *lect.* De *conſtit.* Panorm. *num.*14. Natta *Conſil.*63. *num.*16. & *Conſil.*160. *num.*33. Pariſ. *Conſil.*22. *n.*6. *vol.*4. Surd. *Conſil.*140. *num.*63. *vol.*1. Mantica *tom.*1. *De tacit. tit.*5. *num.*13. Nauar. *in Cap. Pœnæ. nu.*4. De pœnit. *Diſt.*1. Barboſa *in l. Quia tale. num.*37. *ff.* Soluto *matrimon.* Farinac. *par.*1. *Fragment. littera E. num.*119. Suarez *lib.*6. *de legib. cap.*2. *num.*3. Bonacina *diſp.*1. *De legib. q.*1. *punct.*8. *nu.*8. Et vniuerſaliter, quod attendenda ſit proprietas verborum, habetur ex *l. fin.* C. De *his qui veniam ætat.* & Cap. *Suſceptum.* De *reſcriptis in* 6. vbi Gloſ. *verbo*, Non *morte.* & latè Tiraquel. *in l. Si vnquam . verbo .* Suſceperit. *num.*17. C. De *reuocan. donat.*

7 Nomen autem religioſi ſecundũ ſuam propriam ſignificationem importat eum, qui ita viuit, vt in ſuis actionibus exibeat debitum honorem Deo. Dicitur enim religioſus à religione, quæ eſt quædam ſpecialis virtus, vt notato D. Iſidor. *lib.*10. *Etymolog. cap.*17. Religio autem importat ordinem ad Deum, conſurgentem ex debito honore, quem illi reddimus, vt docet D. Th. 2. 2. *q.*81. *art.*2. *in corpore.* Et in hac etiam ſignificatione accipitur in iure, vt *l. Qui religioſa.* C. De *ijs, qui in Eccleſ. manumit.* ibi. *Non ſolum in conſpectu eccleſiæ, vt religioſi populi.* & Cap *Eccleſia S. Mariæ.* De *conſtit.* ibi, *Nos attendentes, quod laicis etiam religioſis ſuper Eccleſijs, & perſonis eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas.*

*An cenſura lata ab Ordinarijs contra alloquentes Moniales afficiant Regulares exemptos . Quæſt.*157.

S V M M A.

1 *Affirmatiua opinio .*
2 *Regulares alloquentes Moniales non exemptas non afficiuntur cenſuris contra alloquentes . ſecus ſi ſint exemptæ .*
3 *Non afficiuntur etiam ſi ſint exemptæ .*
4 *Ordinarij ex vi Trident. ſeſſ.*25. *cap.*5. *de* Reg.

Reg. non habent facultatem supra Regulares alloquentes Moniales.
4 *Si voluisset Concilium expressisset.*
4 *Non expressum habetur pro omisso.*
5 *Regulares non possunt alloqui Moniales ex Constit. Pij V. innouantis Constitutionem Bonifacij VIII.*
6 *Ordinarij quomodo possint procedere contra Regulares alloquentes Moniales,*
7 *Censura Ordinariorum contra alloquentes Moniales non tangunt Regulares.*
8 *An Ordinarij vt delegati possint ferre censuras contra Regulares alloquentes Moniales.*

---

1 PArtem affirmatiuam tenent Suarez *tom.4. De relig. tr.1. lib.1. cap.10. num.27.* vbi ait. Sac. Congregationem *die 9. April.* 1587. ita declarasse, quando tamen non habent priuilegium, ne possint excommunicari. Rodriquez *tract.1. quæst. Reg. q.45 art.2.* ver. *Est etiam.* Diana *par.3. tract.2. Resol.* 103. Pellizzarius *tract. De Monialibus. cap.5. sect.5. num.*204. nisi gaudeant priuilegio, quod non possint censuris affici ab Ordinarijs locorum. Quia licet sint exempti, in casu tamen præsenti subsunt Ordinarijs, cum in hoc procedant tanquam Apostolicæ Sedis delegati. Quod si habeant dictum priuilegium, eximuntur etiam à potestate delegata generaliter quò ad hoc.

2 Altera opinio asserit, Regulares exemptos non affici huiusmodi censuris, si loquantur cum Monialibus non exemptis, sed subiectis Ordinario. Ita Tabiena *verbo.* Excommunicatio. 4. *n.*4. Sayrus *tom.1. Thesauri. lib.1. cap.6. n.*40. *in fine.* Graf. *part.1. Decis. lib.4. cap.6. num.2.* & *De casib. reseruat. lib.2. De alloquut. monial. cap.5. num.23.* Duar. *lib.1. in Bullam Cœnæ. cap.1. quæst.3. num.*119. Qui addit, quod afficiuntur censuris, si alloquantur Moniales exemptas, & Regularibus subiectas, quia tunc Ordinarius procedit, vt Apostolicæ Sedis delegatus, ex Trident. *sess.25. Cap.5. De regularib.* & ideo ipsius censuræ afficiunt etiam exemptos.

3 Tertia verò sententia absolutè docet, Regulares exemptos non affici huiusmodi censuris. Ita Quaranta *in Summa Bullarij.* verbo. *Monasteria Monialium.* vers. *Dubitari.* Barbosa *De potest. Episcopi. par.3. allegat.*202. *num.*70. alios citans. Bonacina *tom.1. quæst.3. De clausf. punc.4. num.8.*

4 In hac difficultate hoc mihi certũ videtur, quod Episcopi in ordine ad hoc nullam habeant facultatem supra Regulares ex vi Concilij Trident. *Sess.25. cap.5. De Regularibus.* nam licet Bonifacius VIII. *in Cap. Periculoso. De statu Monach. in 6.* non solum decernat circa clausuram Monialium, sed etiam prohibeat accessum ad ipsarum monasteria absque speciali licentia eorum, ad quos pertinet; & Concil. Trident. *citato loco.* innouet dictam Constit. Bonifacij, non innouat tamen quò ad accessum ad monasteria, sed quò ad clausuram; nam declarat, in quo innouet; ita enim habet. *Bonifacij VIII. constitutionem, quæ incipit,* Periculoso, *renouans Sancta Synodus vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinaria; in alijs verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione postposita compescentes; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.* Ex quibus constat, quod nulla sit mentio de accessu ad monasteria Monialium, sed tantũ de clausura. Et quod auctoritas Sedis Apostolicæ delegata non est in ordine ad Regulares; sed tantum in ordine ad Monasteria Monialium exempta, atque adeo ad ipsas Moniales. Vnde neque vt delegati Sedis Apostolicæ possunt Episcopi ex vi huius decreti procedere in Regulares, etiam si contra clausuram Monialium delinquerent. Si enim Conciliũ voluisset etiam quò ad accessum ad monasteria innouare, expressisset, sicut expressit de clausura. iuxta *l. Vnicã. §. Sin*

autem. C. De *caduc. tollen.* & *l. Si ſeruus*. *§. Prætor ait*. ver. *Non dixit*. *ff*. *De acquirenda hæred.* & Cap. *Ad audientiam* de *De decimis*. & Cap. 2. *De traſlat. Prælat.* Aut ſaltem expreſſiſſet, quod in omnibus, & per omnia innouaret. Et facit, quod habetur pro omiſſo, quod non exprimitur. Cap. *Dilectus*. De *offic. Ordinar.* & Cap. *Is, qui*. De *ſentent. excommunicat.* & Cap. *Inter corporalia*. De *translat. Epiſcop.* Vnde non ſubſiſtit doctrina, quam tradit Duard. *citat. num.* 2.

5 Dicta tamen Conſtitutio Bonifacij VIII. confirmata fuit à Pio V. *in Bulla*, quæ incipit, *Circa Paſtoralis*. *ſub* 1. *Kalend. Iunij* 1566. & cum confirmatio ſe extendat ad omnia, quæ in ipſa continetur, nam §. 2. habet, *Iuxta formam dictæ Conſtit. felicis recordat. Bonifac. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo in ſacro Concilio Tridentino approbatæ, & innouatæ, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam diſtrictè obſeruari mandamus*. Remanet etiam innouata prohibitio, quod Regulares abſque licentia non poſſint alloqui Moniales. Nulla tamen in hac quoque conſtitutione tribuitur Ordinarijs facultas ſupra Regulares contrauenientes; & ideo non poſſunt contra ipſos procedere, ſi contraueniant.

6 Solum ergo procedere poſſunt Epiſcopi contra Regulares alloquentes Moniales ſine debita licentia in virtute Conſtitutionis Gregorij XV. *De exemptorum priuilegijs*. quæ incipit. *Inſcrutabilis*. *ſub die* 9. *Februarij* 1622. vbi habet. *Ad hæc tam ſæculares, quàm Regulares huiuſmodi nullis priuilegijs, & exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci ſimiliter, tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant*. Et quia dubitabatur, an ſub illis verbis, *Si deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes*, comprehenderetur alloquutio cum Monialibus. Sacra Congregatio Concilij reſpondit, comprehendi. Ita autem declaratio ſe habet. *Quæritur, an poſt dictà Conſtitutione, Regularis abſque legitima licentia accedens ad Monaſterium Monialium Regularibus ſubiectarum, ibique in loco colloquijs deſtinato cum Moniali colloquens à Diœceſano Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato coercere, & puniri poſſit. Sacra Congregatio Cardinal. Concilij Tridentini interpretũ cenſuit, poſſe. Quam Congregationis ſententiam Vrbanus VIII. ad ſe relatam approbauit*. Coſmus Cardinalis *de Torres*. Proſper *Fagnanus S. Congregat. Secret.* fuit autem impreſſa *Romæ apud Cameræ Apoſt. Typograph. anno* 1624 Verum neque in his conceditur facultas procedendi per cenſuras contra transgreſſores.

7 Reſoluendum itaq; eſt, quod cenſuræ latæ ab Epiſcopis contra alloquentes Moniales, non afficiant Regulares exemptos, ſiue habeant priuilegium, quod non poſſint cenſuris affici, ſiue non. Et ratio eſt, quia vel iſtæ cenſuræ ſunt latæ auctoritate, & facultate ordinaria, & tunc certum eſt, quod non afficiant Regulares exemptos, quia cenſura lata facultate ordinaria non afficit niſi ſubditos per tex. expreſſum Cap. *A nobis*. 1. De *ſentent. excommunicat.*

8 Si verò ferat cenſuras facultate delegata, tunc neque afficient Regulares exemptos. Quia facultas delegata in ordine ad ipſos nõ extenditur ad ferendas cenſuras per modum legis, aut ſtatuti; ſed ſolum ad puniendos Regulares tranſgreſſores: vnde ſolum poſita tranſgreſſione ſubintrat delegatio, vt conſtat ex citatis verbis Bullæ Gregorij XV. *Ab Epiſcopo loci ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant*. vbi ponderandum eſt, quod facultas delegata eſt tantum ad puniendum, & corrigendum. vnde cum punitio, & correctio ſupponat tranſgreſſionem, non poteſt exerceri facultas delegata, niſi circa delicta, & tranſgreſsiones. Rurſus etiam dicitur, quod procedere valeat auctoritate delegata, quoties, & quando

opus

opus fuerit, & proinde delegatio est solum ad casus speciales in facti cõtingentia, non autem ad auctoritatiuè prouidendum per censuras, ne contingant transgressiones.

An licentia pro Regularibus alloquendi Moniales se extendat ad Socios. Quæst. 158.

---

1 *Licentia alloquendi Moniales pro Regularibus an se extendat ad socios.*
1 *Licentia visitandi Sepulchrum Domini concessa regulari censetur concessa etiam pro socio.*
2 *Licentia accedendi ad Monasterium Monialium facta Regulari, censetur facta etiam socio.*
3 *Facultas alloquendi Moniales requirit iustam, & rationabilem causam.*
4 *Quomodo in annexis sit idem iudicium.*
4 *Connexa in eo, in quo sunt separaiblia, non habentur pro connexis.*
5 *Quomodo licentia cõcessa Regulari se extendat etiam ad socios.*

---

1 QVod se extendat, tradunt Rodriquez *tom.* 3. *Quæst. Regular. quæst.* 6. *ar.* 2. qui tamen loquitur solum de accessu ad Monasteria Monialium, non autem de allocutione. Tamburin. *De iure Abbatis. disp.* 26. *quæst.* 3. *num.* 2. Peirin. *tom.* 3. *Priuileg. in Addit. ad Constit. Pij V. Cap.* 6. *num.* 1. citant etiam Ricciũ *par.* 1. *Praxis. Resol.* 745. Sed hoc apud ipsum non inueni. Fundamentum ipsorum est, quia de Connexis est idem iudicium. Cap. *Translato. De constit.* ergo id, quod cõceditur Regulari, conceditur etiam socio; præsertim quia gratia Domini extenditur ad Familiares. Deinde licentia Papæ visitandi Domini Sepulchrũ extenditur etiam ad socium à Superiore assignandum. ergo etiam licentia alloquendi Moniales.

2 Non est tamen hæc sententia admittenda, quia licet locum habeat quò ad accessum ad Monasterium, nam ex regulæ præscripto debent Regulares cũ socio incedere, cum hoc spectet ad decentiam status religiosi; vnde cum nihil concedatur, quod sit indecens, quia concessio omnis est intra terminos rationis, & omne indecens extra terminos ipsius, non censetur concedi, quod religiosus accedat incomitatus ad Monialium monasteria; & proinde licentia accedendi censetur concessa etiam pro Socio. & valet, quod in cõnexis sit idem iudicium, quia talis accessus dicit necessariò connexionem cum socio ex vi decentiæ status religiosi. Quod tamen solum valet quò ad eos Religiosos, qui hanc decentiam seruant incedendi cum socio, quando accessus ipse ad Monasteria esset prohibitus.

3 Quò ad allocutionem tamen nullo pacto extendenda est licentia regularis ad socium. Vt enim concedi possit licentia alloquendi Moniales, debet interuenire iusta, & rationabilis causa, vt habetur in Cap. *Periculoso. De statu Monachor.* innouato etiam quò ad hoc à Pio V. vt dictum est *quæst. præced. nu.* 5. ex eo autem, quod quis associetur eum, qui habet licentiam alloquendi, non habetur rationabilis causa pro alloquutione.

4 Deinde in Connexis est quidem idem iudicium, vt habetur ex *dicto tex.* & alijs pluribus, sed in eo, in quo sunt connexa, & inseparabiliter se habent: non autem in eo, in quo non sunt connexa *l. Eum actum. ff.* De *negoc. gest.* vbi Doctores, Aretin. *in Cap. Traslato. nu.* 3. De *Constit.* Alexan. de Næuo. *in Cap. Si duobus. num.* 13. ver. *Quod si appellans.* De *appellat.* Imola *Consil.* 139. Menoch. *Consil.* 421. *nu.* 64. & *De arbitr. Casu* 91. *nu.* 9. Surdus *De alimen. Tit.* 9. *quæst.* 31. *nu.* 15. ver. *Secundo.* Gratian. *Discept. forens. Cap.* 641. *num.* 15. vbi latè. Pacian. *De*

*probat. lib.*1.*cap.*26. *num.*40. *&* 94. ver. *Sexto.* Scaccia *De appellat. quæst.*17.*limit.* 21.*num.*30. ver. *Connexa.* Quando autem non sunt inseparabilia, & vnum potest stare sine alio, non sumus amplius in connexis, sed in separatis per ea, quæ notant Ias. *in l. Sed & si plures.* §.1. *not.*2. *ff.* De *vulg. & pupil. &c.* Craueta *Consil.* 232.*num.*1. Boer. *Consil.*7. *num.* 1. *& sequent.* Couaruu. *Quæst. practicar. Cap.*34. Menoch. *De recuperan. possess. Remed.* 1. *num.*377. *&* 378. Regularis autem, & socius non sunt connexi in alloquutione cum Monialibus, quia optimè potest alloqui absque eo, quod socius alloquatur; vnde sunt separata; non ergo quod conceditur vni, censetur alteri quoque concessum.

5 Et ex hoc dissolutum manet fundamentum oppositæ sententiæ. Nec est eadem ratio de licentia inuisendi sepulchrum Domini Nostri; quia censetur concessa habita ratione decentiæ status religiosi, & etiam necessitatis, & ideo etiam pro socio; quia esset valde durum, sine socio assumere tam longam peregrinationem. Vnde est eadem ratio, ac de accessu ad Monasterium Monialium proportionaliter loquendo; & hoc ex illo infertur, non autem eadem est ratio ac de alloquutione, vt constat ex dictis.

*An prælati sæculares habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & Vicarij Episcoporum incurrant pœnas Gregorianæ, si extra casus necessitatis ingrediantur Monasteria Monialium, &c, Quæst.*159.

S V M M A.

1 *Vicarij Episcoporum, & Prælati habentes iurisdictionem quasi episcopalem an subsint pœnis Gregorianæ contra ingredientes clausuram Monialium & nu.*2.

3 *Nemo, qui ratione muneris potest ingredi clausuram Monialium, potest ad libitum ingredi.*

3 *Ex proemio habetur mens disponentis.*

4 *Dispositio Gregorianæ contra ingredientes clausuram Monialium est vniuersalis quò ad omnes, qui ijs præsunt.*

5 *Dictio,* Omnis, *ita omnes comprehendit, vt nullum excludat.*

5 *Non recipit restrictionem.*

5 *Includit, quæ aliàs non includerentur.*

6 *Dictio,* Quouis modo, *comprehendit, quæ aliàs non comprehenderentur.*

6 *Includit maiora expressis, nec recipit restrictionem.*

7 *Lex disponens de aliqua materia, disponit de ijs omnibus, in quibus locum habet illa materia.*

8 *Vbi eadem ratio, ibi eadem lex, non extensiuè, sed dispositiuè.*

9 *Lex fauorabilis extenditur ad omnes, qui comprehenduntur sub verbis legis.*

9 *Dispositio Gregorianæ quò ad ingressum clausuræ est fauorabilis Monialibus.*

10 *Extensio legis ex quibus verbis attendenda.*

11 *Nomine Episcopi quando veniant Prælati inferiores.*

11 *Quando Vicarij Episcoporum.*

11 *Dispositio Tridentini quò ad vnionem beneficiorum extenditur ad Prælatos inferiores.*

11 *Dispositio Tridentini quò ad visitationem extenditur etiam ad alios Prælatos.*

1 NEgatiuè respondet Pelliciarius *De monialibus cap.* 5.*sect.*3. *num.*113. citans Sanchez *lib.*6.*sum. cap.*16.*num.*99. quia in Constitutione Gregorij VIII. fit tantum mentio Prælatorum habentium dignitatem Episcopalem, & Prælatorum Regularium: vnde cum odia debeant restringi, non sunt pœnæ extendendæ ad Prælatos Sæculares habentes iurisdictionem quasi Episcopalem; nec ad Vicarios Episcoporum. Quod autem fiat tantum mentio prælatorum habentium dignitatem Episcopalem, constat ex verbis *Bullæ*, Quæ est *in Bullario* 28. *Greg.XIII.* edita *anno* 1581.*die* 23. *Decembris. in Declaratione dubiorum.*§.1.ibi. *Quocirca vniuersos, & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, nec non quorumuis Ordinum Abbates, Prio-*

res

res, Ministros, & alios quoscunque Superiores Regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquã in casibus, vt præfertur, necessarijs neutiquam vtantur.

2 At oppositum ex eadem Constitutione omnino tenendum est, & proinde neque Vicarios Episcoporum, neque Prælatos sæculares habentes dignitatem quasi Episcopalem posse extra casus necessarios ingredi Monasteria Monialium, quarum cura ipsis incumbit, & si ingrediantur, incurrere pœnas præfatæ Constitutionis. Et hoc desumitur ex ipsa determinatione Pontificis.

3 Ratio autem est. quia vniuersaliter dubitabatur, an ij, qui sine aliorũ licentia possunt ingredi Monasteria Monialium, possent pro libito ingredi, an verò tenerentur seruare regulam Cõcilij Tridentini, vt constat ex Proemio Bullæ. ibi. *Cum igitur super eo, quod optima primum ratione Concilium sanxit Tridentinum; deinde in Constitutione fel. recor. Pij Papæ V. Prædecessoris nostri Nonis Iulij Pontificatus nostri anno tertio, atque item nostra Idibus Iunij Pontificatus nostri anno quarto editis, fuit prouisum, ne cui imposterum nisi in casibus necessarijs, septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius seruare debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam.* Cum ergo ex proemio colligatur mens disponentis *l. Item quia. §. fin. ff.* De *pactis.* & *l. Cum hi. init. ff.* De *transact.* eo ipso, quod Pontifex proponit dubium vniuersale de omnibus, qui non indigent alterius licentia pro ingressu Monasteriorum Monialium, censendum est, intentionem ipsius fuisse de his omnibus disponere.

4 Rursus dispositio quoque est vniuersalis quò ad illos omnes, quibus cura Monialium incumbit. ait enim Pontifex. §. 1. *eiusdem Bullæ.* Nos *omnem hæsitationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac sanctimonialiũ quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tàm Sæculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis iisque senioribus, ac religiosis personis comitati.* Ex quibus constat, dispositionem esse vniuersalem, & pertinere ad quoscunque, quibus cura Monialium incumbit.

5 Loquitur enim de Prælatis omnibus. Dictio autem, *Omnis*, ita est vniuersalis, vt omnes comprehendat, & nullũ excludat. *l. Iulianus.* & *l. Testatorem. init. ff.* De *legat. 3.* & *l. In hoc articulo. ff.* De *hæred. instit.* Nec vllam recipit restrictionem, vt notant Bar. *in l. Generali. §. Vxori. ff.* De *vsufruct. leg.* Ruin. *Consil. 61. n. 15. volum. 5.* Rolan. à Valle *Consil. 27. num. 22.* & *Consil. 76. num. 49. vol. 4.* Imo includit ea, quæ aliàs non includerentur, vt notant. Bart. *modo citat.* Natta. *Consil. 160. num. 29. tom. 1.* Gratian. *Consil. 5. num. 59.* & *Consil. 65. num. 3. lib. 2.* Surd. *Decis. 255. n. 8.* & *Consil. 453. nu. 44.* & *Consil. 466. nuu. 25.* Roland. *Consil. 87. num. 8. vol. 4.* Mascar. *de probat. concl. 148. num. 9. vol. 1.*

6 Quod similiter colligitur ex alia dictione, qua vtitur Pontifex, nempe, *Quouis modo.* Talis enim dictio ita generalis est, vt comprehendat etiam, quæ aliàs non cõprehenderentur, vt notant Dec. *Consil. 486. nu. 2.* Syluan. *Consil. 25. num. 18.* Socin. iun. *Consil. 2. nu. 21. vol. 1.* Hyppolit. *Consil. 80. num. 44.* Cephalus *Consil. 121. num. 2. vol. 1.* Menoch. *De recuper. possess. Remed. 6. num. 16.* & *Consil. 550. nu. 10.* Stracha *De mercat. par. 1. num. 83.* Et proinde est talis naturæ, vt includat etiam maiora expressis, & reijciet omnem interpretationem restrictiuam per ea, quæ notant Glos. *in Clement. Ne Romani.* verbo, *Quouis modo.* De *sent. excommunicat. in 6.* Menoch. *Consil. 496. num. 66. & 67.* Octauian. Vulpel. *De præposit. & aduerb. significat.* vbi De hac dictione, *Quouis modo.*

7 Præterea. Quando lex non dispo-

ſolum contra fidelitatem, ergo non adeſt obligatio ad reſtitutionem, nam hæc ſolum conſurgit ex læſione iuſtitiæ ſcommutatiuæ, aut ad ſummum iuſtitiæ diſtributiuæ.

8 Sed dices. Lædi ius appaltatoris, namlicet non habeat ius ad ea, quæ confiſcantur ante cõfiſcationem, habet tamen ius ad ſententiam confiſcationis; vnde impediens ſententiam per atteſtationem falſam, lædit tale ius. Reſp. Neque habere ius ad bona confiſcanda, quia ſolum illi fiunt debita ratione confiſcationis; neque etiam habere ius ad ſententiam, per quam confiſcantur bona, quia habet ſolum ius ad id, quod ipſi per legem, ſtatutum, aut pactum adiudicatur; vnde, cum adiudicentur ea, quæ confiſcantur, ius ipſius ſolum incipit poſita confiſcatione, & ideo non habet ius ad ſententiam, ſed ſolum poteſt inſurgere pro fiſco, quod ipſi non impeditur.

9 Inſtari adhuc poteſt, falſa atteſtatio impedit adminiſtrationem iuſtitiæ, ex qua impeditur appaltator, ne conſequatur, quod conſequeretur, ſi iuſtitia adminiſtraretur; ergo damnificat, atque adeo conſurgit obligatio reſtitutionis: Reſp; impedire adminiſtrationem iuſtitiæ non commutatiuæ, ſed legalis; vnde ex hoc non conſurgit obligatio reſtitutionis. Nec etiam ex eo, quod, dum non fit confiſcatio, alter non conſequatur bona confiſcata, quia hoc non eſt damnum contra ius alterius, quia vt dictum eſt, ante confiſcationem non adeſt ius ad confiſcanda, ſed ſolum eſt damnum negatiuum, hoc eſt impedimentũ, ne quis aſſequatur, quod aliàs aſſequi poſſet; & indirectè infertur. Obligatio autem ad reſtituendum non oritur ex damno etiam poſitiuo, quod indirectè infertur. Sic occidens Petrum, quamuis ſit cauſa, quod Petrus occiſus nõ ſoluat, quod debebat ſuis creditoribus, aut non reſtituat famam, &c. non tenetur occiſor ad ſoluenda debita Petri, aut reſtituendam famam, &c. non alia ratione, niſi quia non læſit in his aliquem, ſed læſit ſolum Petrum.

10 Nec obſtant, quæ pro oppoſita ſententia allata ſunt, nam primum ſolutam manet ex dictis. Ad 2. verò reſpon. eſſe diſparem rationem de eo, qui vi, aut fraude impedit, ne quis conſequatur beneficium, aut aliud commodum, ac de eo, qui impedit confiſcationem occultando verum, aut atteſtando falſum, nam hic non lædit ius alicuius, ille vero lædit, quia facit actionem iniuſtam, in qua continetur læſio iuris illius, qui vi, aut fraude impeditur, ne aſſequatur aliquod commodum; ſtante enim aſſequibilitate commodi, & quod ipſe paratus ſit ad aſſequendum, habet ius ad proſequendam aſſequutionem; & ideo ſi ab aliquo interponatur vis, aut fraus, qua impediatur proſequutio aſſequutionis, læditur directè, & per ſe primò tale ius, & ideo peccatur contra iuſtitiam commutatiuam.

An Epiſcopus punire poſſit Regulares, ſi ſibi vſurpent iura Epiſcopalia. Quæſt. 154.

S V M M A.

1 *Epiſcopus an poſſit punire Regulares vſurpantes iura Epiſcopalia.*
2 *Eccleſia Regularium vſurpantium iura Epiſcopalia ſubijciuntur interdicto.*
3 *Ordinarij non habent iuriſdictionem in Regulares, niſi ijs expreſſè concedatur.*
3 *Ordinarij non poſſunt ferre cenſuras in Regulares, niſi ijs expreſſè concedatur.*
4 *Confratres, ſeu oblati an eximantur à iuriſdictione Epiſcopi.*
4 *Quid pro Regularibus ſtatuatur in Cap.* Cũ & plantare. *De* priuileg.
5 *Epiſcopus poteſt punire Regulares perturbantes eiuſdem iuriſdictionem.*
5 *Conceſſa iuriſdictione conceduntur omnia, ſine quibus non poteſt exerceri.*
5 *An vſurpatio iurium Epiſcopalium ſit perturbatio iuriſdictionis.*

1 Quod

1 QVod punire possit, tradunt Cochier. *part*, 2. *De iurisdict. Ordinariorum in Exemptos. lib.* 1. *quæst.* 45. *num.* 100. Barbosa *de Potestate Episcopi par.* 3. *Allegat.* 105. *nu.* 65. Merolla *tom.* 3. *Theol. moral. disp.* 7. *cap.* 4. *dub.* 9. *nu.* 166. & alij. Atque id colligunt ex Cap. *Cum & plantare.* De *priuileg.*

2 Verum ex *dicto tex.* hoc minimè colligi potest, nam ibi tantum per ipsum Pontificem Regularium talia attentatium Ecclesiæ subijciuntur interdicto, & decernitur irritum, quicquid fecerint. ita enim. §. *Qod autem.* textus habet. *Quod autem de prædictis fratribus dictum est, ab alijs quoque religiosis, qui præsumptione sua Episcoporum percipiunt iura, & contra canonicas eorum sententias, & tenorem priuilegiorum nostrorum venire præsumunt, præcipimus obseruari. Si enim contra institutum hoc venerint, & Ecclesiæ, in quibus ista præsumpserint, subiaceant interdicto, & quod egerint irritum habeatur.* Ex quibus manifestum est, quod Pontifex Alexander III. in *hoc textu* nullam tribuit Ordinarijs facultatem puniendi Regulares, qui sibi iura Episcopalia vsurpant. Imo cum ipse pœnas imponat, excludit talem potestatem ab Episcopis.

3 Ratio autem est. quia ex vna parte habemus certam, & indubitatam exemptionem Regularium; ex alia autem parte nõ habemus ius, quod tribuat pro hoc casu potestatem Ordinarijs puniendi Regulares, sed ad summum opinionem Doctorum, quæ non facit aliquid certum, sed ad summum probabile. quando autem certum concurrit cum opinabili, præferendum est, quod certum est, & secundum ipsum iudicandũ. Hinc videmus, quod quando ius vult, quod Ordinarij possint exercere aliquã iurisdictionem in Regulares, hoc expressè declarat, vt passim in Tridentino Concilio, & quò ad Censuras notat Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio disp.* 23. *nu.* 23. plures alios allegans, Lezana *to.* 1. *Quæst. Regular. Cap.* 11. *nu.* 14. quia stante exemptione requiritur specialis dispositio, vt possint Episcopi exercere iurisdictionẽ in exemptos, si quidem exempti subtrahuntur eorundem iurisdictioni.

4 Objiciunt tamen nonnulli, quod in *dicto tex.* Cap. *Cum & plantare.* §. *Quod autem.* De *priuileg.* statuitur, quod obseruentur ab alijs religiosis, quod ibi statutum est quò ad præfatos Fratres. De his autem statutum est in præcedenti. §. *Quo ad confratres.* Quod in ipsos Episcopi suam potestatem exercere possint. poterunt ergo exercere etiam in omnes Regulares. Sed hæc obiectio procedit ex praua intelligentia tex. nam in dicto §. *De confratribus*, est sermo de oblatis, qui non sunt verè religiosi, vt clarè constat ex verbis ipsius tex. ibi. *De confratribus hoc constituimus, vt si non se prædictis fratribus omnino reddiderint, sed in proprietatibus suis omnino duxerint remanendum.* Et de his statuitur, quod si non se tradiderint plenè suis fratribus, non eximantur à sententia Episcopi, hoc est, non gaudeant priuilegio exemptionis. In sequenti autem §. *Quod autem* quod supra §. *Ecclesias igitur.* & *sequentib.* statutum fuerat de fratribus Templi, & Hospitalis, extenditur ad omnes Regulares. Statuitur autẽ pro dictis fratribus Templi, & Hospitalis, quod non possint recipere Ecclesias, & Decimas de manu laicorum sine consensu Episcopi; quod euitent excommunicatos nominatim, & interdictos per sententiam Episcoporum; Quod in Ecclesijs suis, quæ ad ipsos pleno iure non pertinent, instituendos præsbiteros præsentent Episcopo, quo inconsulto non possint institutos remouere; & pro rebus temporalibus Instituti exhibeant rationem competentem ipsi Episcopo. Quod in Ecclesia posita in loco interdicto celebrare possint tantum semel in anno. Hæc inquam extenduntur etiam ad omnes Religiosos. non autem aliquid decernitur quò ad Episcopos circa punitionem Regularium.

5 Rursus objicitur. Episcopus potest punire Regulares exemptos, qui suam

ſuam iuriſdictionem perturbant; vt notant Innocent. *in Cap. Dilectus. in fine*. De pœnis. Salzedo *in addit. ad Pract.* Diaz *Cap.3. litteoa A.* §.*Punire.* Aufer. *De poteſt. ſæculari ſuper Eccleſias. perſon.n.23.* Roias *De haeret. part.1. num.15.* Sanchez *lib.7. De matrim. diſp.33.num.21.* Emmanuel Themudus à Fonſeca *part.1. Deciſ. 62. nu.32.* & alij in *Cap.1.* De pœnis. *in 6°* Quia nimirum conceſſa iuriſdictione, conceduntur omnia, ſine quibus non poteſt exerceri iuriſdictio. *l.2. ff.* De *iuriſdict. om. iud.* Qui autem ſibi vſurpat iura Epiſcopalia perturbat iuriſdictionē Epiſcopi. Reſp. vſurpationem iurium Epiſcopalium non eſſe perturbationem iuriſdictionis Epiſcopi, quia tunc ſolum perturbatur iuriſdictio alicuius, quando impeditur, ne exerceatur. Quando autem quis exercet iura Epiſcopalia, & ea ſibi vſurpat, non impedit, quin Epiſcopus quoque exerceat; ſic ſi alius Epiſcopus in aliena diœceſi benediceret ſolemniter, Pontificalia exerceret, non perturbaret iuriſdictionem Diœceſani. Vnde vſurpatio iurium Epiſcopalium ſolum tunc perturbat iuriſdictionem, quando ex hoc ſequitur, quod non poſſit ipſe Epiſcopus ea exercere, quod eſt per accidens.

An quando Regularis aliquis declaratur incorrigibilis, poſſit Ordinarius loci inquirere, an ſit iuſtè, an iniuſtè eiectus. Quaeſt. 155.

S V M M A.

1 *Epiſcopus ſecundum de Franchis poteſt inquirere, an regularis ſit iuſtè eiectus.*
2 *Epiſcopus non habet ius inquirendi, an ſit iuſta eiectio Regularium.*
2 *Sententia eiectionis Regularium notificanda Ordinario.*
3 *Recognoſcere alterius ſententiam eſt actus iuriſdictionis.*
4 *Regulares omnino exempti ab Ordinarijs.*
4 *Subijciuntur Regulares Ordinarijs ſolum in caſibus expreſſis.*

1 Partem affirmatiuam tenet Lauretus de Franchis *par.1. Controuer. inter Epiſcop. & Regular. ad Decreta Sacra Congregat. De Apoſtatis, & Eiectis. in reſp. ad 3. Quæſitum. pag.219.* & citat Cardinal. *in Clement.1.* §. *Quia vero.* ver. *Addo quarto.* Quia multi ſunt eiecti culpa ſua, & viuunt laxiori vita; vnde dolus ipſis patrocinaretur. Et hoc, ait, eſſe notandum pro quotidiana practica.

2 Sed hoc eſt prorſus reijciendum, & tenendum, quod non poſſit Ordinarius inquirere, an Regularis ſit iuſtè, an iniuſtè eiectus. In decreto nanque *Sacra Congregationis de Eiectis*, diſponitur, quidquid ſeruandū eſt ante eiectionem incorrigibilium, in eiectione ipſa, & poſt eiectionem, & ſolum ſtatuitur, quod ſententia eiectionis notificetur Ordinarijs; non autem tribuitur ipſis facultas, quod inquirant, an ſententia ſit iuſta, vel iniuſta. ergo non habent talem facultatem, cum à nullo iure ſit ipſis tributa.

3 Ratio autem eſt; quia recognoſcere alicuius ſententiam eſt actus ſuperioritatis, & iuriſdictionis. nam facultas recognoſcendi eſt etiam facultas corrigendi ſententiam, & eſt ſubijcere propriæ poteſtati, quod ab alio geſtum eſt, quod non fit ſine exercitio ſuperioritatis; argum. ex Cap. *Sententia.35. Quaeſt.9.* & Cap. *Nemini.17. quaeſt.4.* & *l.1. in fine. ff.* De *quaeſt.* & *l.1.* §. *De qua. ff.* De *poſtulan.* Gloſ. *in dict. Cap. Nemini.* Bald. *in l.2. C.* De *ſen. exper. recit.* vbi, Quod ſententia Pontificis, aut Principis non poteſt per alium retractari, quia nimirum non habent ſuperiorem.

4 Cum

4 Cum ergò Regulares sint omnino exempti à iurisdictione Ordinariorum, Cap. *Nimis praua*. De *excessib. Prælator*. & Cap. 1. §. *fin*. & Cap. *Neque aliquis*. De *priuilegijs*. *in* 6. & ex Trident. *Sess*. 21. *Cap*. 2. *&* *Cap*. 21. *De reformat*. & *Sess*. 14. *cap*. 5. *De reformat*. ibi. *Præsenti canone minimè comprehensi, sed exempti omnino sint, & esse intelligantur*; Et solum subijciantur in casibus expressis: & hic casus non sit de expressis, non poterit Ordinarius se ingerere, nec recognoscere, an religiosus iustè, an iniustè fuerit eiectus.

Quas personas possint Ordinarij secum introducere, quando in casibus permissis ingrediuntur Monasteria Monialium. *Quæst*. 156.

SVMMA

1 *Prælati ingredientes monasteria Monialium quas personas possint secum introducere.*
2 *Possunt associari Regularibus, & Nouitijs si cætera conditiones concurrant.*
2 *Nouitij in fauorabilibus veniunt nomine Regularium.*
3 *Possunt associari ab Equitibus Hierosolimitanis, Militarium Ordinum. nu. 4. Clericis sæcularib. num 5.*
3 *Equites Hierosolimitani sunt verè religiosi.*
4 *Equites Ordinum militarium in fauorabilibus veniunt appellatione Religiosi.*
5 *Clerici sæculares in fauorabilibus veniunt appellatione religiosorum.*
6 *Laici honestè viuentes dicuntur personæ religiosæ.*
6 *Verba legis accipienda secundum totam latitudinem significationis naturalis.*
7 *Quid propriè significet nomen Religiosus.*
7 *Religiosus vnde dicatur.*

1 IN Constitutione Gregorij XIII. circa clausuram Monialiũ, quæ incipit, *Dubiis, quæ*. *sub die* 23. *Decemb*. 1581. decernitur, quod quando Prælati siue Regulares, siue Sæculares ingrediuntur Monasteria monialium iuxta facultatem ex officio attributam, habeant comitatũ paucarum seniorum, & religiosarum personarum. Ibi. *Harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tàm sæculares, quàm regulares, quibus iura, & regimen monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis, iisque senioribus religiosis personis comitati*. Dubitatur modo, quinam veniant nomine religiosarum personarum.

2 In qua difficultate certũ est, quod Regulares comprehendantur, & proinde possint associare Prælatos monasteria ingredientes, cum sint cum omni proprietate religiosi. Vnde Nouitij quoq. poterunt assumi ad hoc munus, si contingat, aliquem esse seniorem, quia ipsi quoque in fauorabilibus veniunt nomine Religiosi per ea, quæ notant Glos. *in Clement*. 1. verbo, *Religiosus*. De *elect*. Coriolan. *par*. 1. *De casib. reseruat*, *sect*. 3. *art*. 18. *n*. 3. Vecchius *in Praxi Nouit*. *disp*. 11. *dub*. 10. Henriquez *lib*. 12. *sum*. *cap*. 5. §. 3. Riccius *in Praxi part*. 2. *Resol*. 158. *nu*. 3.

3 Ex quibus etiam resoluitur, quod possit Prælatus ingrediens Monasteria Monialium assumere equites Hierosolimitanos, quia & ipsi quoque sunt verè religiosi, vt notant Glos. 2. *in Clement*. 1. De *decimis*. Petrus Greg *lib*. 5. *Syntag*. *iur*. *cap*. 35. Gratian. *tom*. 5. *Discep*. *Forens*. *cap*. 880. *n*. 1. 3. *&* 5. Menoch. *Consil*. 54. *num*. 17. & *de Arbitrar*. *Casu* 56. *num*. 11. & *Casu* 231. *n*. 19. Bartholom. à S. Faust. *lib*. 5. *Thesauri Relig*. *quæst*. 10. Rodriquez *tom*. 2. *quæst*. *Regular*. *quæst*. 2. *ar*. 7. Garzias *par*. 1. *de Benef*. *cap*. 4. *num*. 3. Azor. *par*. 1. *lib*. 13. *cap*. 4. *quæst*. 4. & passim Rota præsertim, *Decis*. 177. *num*. 1. *apud Farinac*.

Reg. non habent facultatem supra Regulares alloquentes Moniales.

4 *Si voluisset Concilium expressisset.*

4 *Non expressum habetur pro omisso.*

5 *Regulares non possunt alloqui Moniales ex Constit. Pij V. innouantis Constitutionem Bonifacij VIII.*

6 *Ordinarij quomodo possint procedere contra Regulares alloquentes Moniales,*

7 *Censuræ Ordinariorum contra alloquentes Moniales non tangunt Regulares.*

8 *An Ordinarij vt delegati possint ferre censuras contra Regulares alloquentes Moniales.*

---

1 PArtem affirmatiuam tenent Suarez *tom.4. De relig. tr.1. lib.1. cap.10.num.27.* vbi ait. Sac. Congregationem *die 9. April.* 1587. ita declarasse, quando tamen non habent priuilegium, ne possint excommunicari. Rodriquez *tract.1.quæst.Reg.q.45 art.2. ver. Est etiam.* Diana *par.3. tract.2. Resol.*103. Pellizzarius *tract. De Monialibus. cap.5. sect.5. num.*204. nisi gaudeant priuilegio, quod non possint censuris affici ab Ordinarijs locorum. Quia licet sint exempti, in casu tamen præsenti subsunt Ordinarijs, cum in hoc procedant tanquam Apostolicæ Sedis delegati. Quod si habeant dictum priuilegium, eximuntur etiam à potestate delegata generaliter quò ad hoc.

2 Altera opinio asserit, Regulares exemptos non affici huiusmodi censuris, si loquantur cum Monialibus non exemptis, sed subiectis Ordinario. Ita Tabiena *verbo.*Excommunicatio.4.*n.*4. Sayrus *tom.1. Thesauri. lib.1. cap.6.n.*40. *in fine.* Graf. *part.1. Decis. lib.4. cap.6. num.2.* & *De casib. reseruat. lib.2. De alloquut. monial. cap.5. num.23.* Duar. *lib.1. in Bullam Cœnæ. cap.1. quæst.3. num.*119. Qui addit, quod afficiuntur censuris, si alloquantur Moniales exemptas, & Regularibus subiectas, quia tunc Ordinarius procedit, vt Apostolicæ Sedis delegatus, ex Trident. *sess.25. Cap.5. De regularib.* & ideo ipsius censuræ afficiunt etiam exemptos.

3 Tertia verò sententia absolutè docet, Regulares exemptos non affici huiusmodi censuris. Ita Quaranta *in Summa Bullarij.* verbo. *Monasteria Monialium.* vers. *Dubitari.* Barbosa *De potest. Episcopi. par.3. allegat.*202. *num.*70. alios citans. Bonacina *tom.1. quæst.3. De clausf. punc.4. num.8.*

4 In hac difficultate hoc mihi certū videtur, quod Episcopi in ordine ad hoc nullam habeant facultatem supra Regulares ex vi Concilj Trident. *Sess. 25. cap.5. De Regularibus.* nam licet Bonifacius VIII. *in Cap. Periculoso. De statu Monach. in 6.* non solum decernat circa clausuram Monialium, sed etiam prohibeat accessum ad ipsarum monasteria absque speciali licentia eorum, ad quos pertinet; & Concil. Trident. *citato loco.* innouet dictam Constit. Bonifacij, non innouat tamen quò ad accessum ad monasteria, sed quò ad clausuram; nam declarat, in quo innouet; ita enim habet. *Bonifacij VIII. constitutionem, quæ incipit,* Periculoso, *renouans Sancta Synodus vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinaria; in alijs verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione postposita compescentes; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.* Ex quibus constat, quod nulla sit mentio de accessu ad monasteria Monialium, sed tantū de clausura. Et quod auctoritas Sedis Apostolicæ delegata non est in ordine ad Regulares; sed tantum in ordine ad Monasteria Monialium exempta, atque adeo ad ipsas Moniales. Vnde neque vt delegati Sedis Apostolicæ possunt Episcopi ex vi huius decreti procedere in Regulares, etiam si contra clausuram Monialium delinquerent. Si enim Concilium voluisset etiam quò ad accessum ad monasteria innouare, expressisset, sicut expressit de clausura. iuxta *l. Vnicā. §. Sin*

autem. C. De *caduc. tollen*. & *l. Si seruus*. §. *Prætor ait*. ver. *Non dixit*. *ff*. De *acquirenda hæred*. & Cap. *Ad audientiam* 21. De *decimis*. & Cap. 2. *De traslat. Prælat.* Aut saltem expressisset, quod in omnibus, & per omnia innouaret. Et facit, quod habetur pro omisso, quod non exprimitur. Cap. *Dilectus*. De *offic. Ordinar.* & Cap. *Is, qui*. De *sentent. excommunicat.* & Cap. *Inter corporalia*. De *translat. Episcop.* Vnde non subsistit doctrina, quam tradit Duard. *citat. num.* 2.

5 Dicta tamen Constitutio Bonifacij VIII. confirmata fuit à Pio V. *in Bulla*, quæ incipit, *Circa Pastoralis*. *sub* 1. *Kalend. Iunij* 1566. & cum confirmatio se extendat ad omnia, quæ in ipsa continetur, nam §. 2. habet, *Iuxta formam dictæ Constit. felicis recordat. Bonifac. Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, in sacro Concilio Tridentino approbatæ, & innouatæ, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam districtè obseruari mandamus*. Remanet etiam innouata prohibitio, quod Regulares absque licentia non possint alloqui Moniales. Nulla tamen in hac quoque constitutione tribuitur Ordinarijs facultas supra Regulares contrauenientes; & ideo non possunt contra ipsos procedere, si contraueniant.

6 Solum ergo procedere possunt Episcopi contra Regulares alloquentes Moniales sine debita licentia in virtute Constitutionis Gregorij XV. *De exemptorum priuilegijs*. quæ incipit. *Inscrutabilis*. *sub die* 9. *Februarij* 1622. vbi habet, *Ad hæc tam sæculares, quàm Regulares huiusmodi nullis priuilegijs, & exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant*. Et quia dubitabatur, an sub illis verbis, *Si deliquerint circa personas intra septa degentes*, comprehenderetur alloquutio cum Monialibus. Sacra Congregatio Concilij respondit, comprehendi. Ita autem declaratio se habet. *Quæritur, an posita dicta Constitutione, Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquijs destinato cum Moniali colloquens à Diœcesano Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato coercere, & puniri possit. Sacra Congregatio Cardinal. Concilij Tridentini interpretũ censuit, posse. Quam Congregationis sententiam Vrbanus VIII. ad se relatam approbauit*. Cosmus *Cardinalis de Torres*. Prosper *Fagnanus S. Congregat. Secret.* fuit autem impressa *Romæ apud Cameram Apost. Typograph. anno* 1624. Verum neque in his conceditur facultas procedendi per censuras contra transgressores.

7 Resoluendum itaq; est, quod censuræ latæ ab Episcopis contra alloquentes Moniales, non afficiant Regulares exemptos, siue habeant priuilegium, quod non possint censuris affici, siue non. Et ratio est, quia vel istæ censuræ sunt latæ auctoritate, & facultate ordinaria, & tunc certum est, quod non afficiunt Regulares exemptos, quia censura lata facultate ordinaria non afficit nisi subditos per tex. expressum Cap. *A nobis*. 1. De *sentent. excommunicat.*

8 Si verò ferat censuras facultate delegata, tunc neque afficient Regulares exemptos. Quia facultas delegata in ordine ad ipsos nõ extenditur ad ferendas censuras per modum legis, aut statutis; sed solum ad puniendos Regulares transgressores: vnde solum posita transgressione subintrat delegatio, vt constat ex citatis verbis Bullæ Gregorij XV. *Ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant*. vbi ponderandum est, quod facultas delegata est tantum ad puniendum, & corrigendum. vnde cum punitio, & correctio supponat transgressionem, non potest exerceri facultas delegata, nisi circa delicta, & transgressiones. Rursus etiam dicitur, quod procedere valeat auctoritate delegata, quoties, & quando

opus

opus fuerit, & proinde delegatio est solum ad casus speciales in facti cõtingentia, non autem ad auctoritatiuè prouidendum per censuras, ne contingant transgressiones.

An licentia pro Regularibus alloquendi Moniales se extendat ad Socios. Quæst. 158.

1 *Licentia alloquendi Moniales pro Regularibus an se extendat ad socios.*
1 *Licentia visitandi Sepulchrum Domini concessa regulari censetur concessa etiam pro socio.*
2 *Licentia accedendi ad Monasterium Monialium facta* Regulari, *censetur facta etiam socio.*
3 *Facultas alloquendi Moniales requirit iustam, & rationabilem causam.*
4 *Quomodo in annexis sit idem iudicium.*
4 *Connexa in eo, in quo sunt separabilia, non habentur pro connexis.*
5 *Quomodo licentia cõcessa Regulari se extendat etiam ad socios.*

1 QVod se extendat, tradunt Rodriquez *tom.3. Quæst. Regular. quæst.6. ar.2.* qui tamen loquitur solum de accessu ad Monasteria Monialium, non autem de allocutione. Tamburin. *De iure Abbatis. disp.26. quæst.3. num.2.* Peirin. *tom.3. Priuileg. in Addit. ad Constit. Pij V. Cap.6. num.1.* citant etiam Riccium *par.1. Praxis. Resol.745.* Sed hoc apud ipsum non inueni. Fundamentum ipsorum est, quia de Connexis est idem iudicium. Cap. *Translato. De constit.* ergo id, quod cõceditur Regulari, conceditur etiam socio; præsertim quia gratia Domini extenditur ad Familiares. Deinde licentia Papæ visitandi Domini Sepulchrũ extenditur etiam ad socium à Superiore assignandum. ergo etiam licentia alloquendi Moniales.

2 Non est tamen hæc sententia admittenda, quia licet locum habeat quò ad accessum ad Monasterium, nam ex regulæ præscripto debent Regulares cũ socio incedere, cum hoc spectet ad decentiam status religiosi; vnde cum nihil concedatur, quod sit indecens, quia concessio omnis est intra terminos rationis, & omne indecens extra terminos ipsius, non censetur concedi, quod religiosus accedat incomitatus ad Monialium monasteria; & proinde licentia accedendi censetur concessa etiam pro Socio. & valet, quod in cõnexis sit idem iudicium, quia talis accessus dicit necessariò connexionem cum socio ex vi decentiæ status religiosi. Quod tamen solum valet quò ad eos Religiosos, qui hanc decentiam seruant incedendi cum socio, quando accessus ipse ad Monasteria esset prohibitus.

3 Quò ad allocutionem tamen nullo pacto extendenda est licentia regularis ad socium. Vt enim concedi possit licentia alloquendi Moniales, debet interuenire iusta, & rationabilis causa, vt habetur in Cap. *Periculoso. De statu Monachor.* innouato etiam quò ad hoc à Pio V. vt dictum est *quæst. præced. nu.5.* ex eo autem, quod quis associetur eum, qui habet licentiam alloquendi, non habetur rationabilis causa pro alloqutione.

4 Deinde in Connexis est quidem idem iudicium, vt habetur ex *dicto tex.* & alijs pluribus, sed in eo, in quo sunt connexa, & inseparabiliter se habent: non autem in eo, in quo non sunt connexa *l. Eum actum. ff.* De *negoc. gest.* vbi Doctores, Aretin. *in Cap. Translato. nu.3.* De *Constit.* Alexan. de Næuo. *in Cap. Si duobus, num.13.* ver. *Quod si appellans.* De *appellat.* Imola *Consil.139.* Menoch. *Consil.421. nu.64.* & *De arbitr. Casu 91. nu.9.* Surdus *De alimen. Tit.9. quæst.31. nu.15.* ver. *Secundo.* Gratian. *Discept. forens. Cap.641. num.15.* vbi latè. Pacian. *De*

probat. lib. 1. *cap.* 26. *num.* 40. & 94. ver. *Sexto.* Scaccia *De appellat. quæſt.* 17. *limit.* 21. *num.* 30. ver. *Connexa.* Quando autem non ſunt inſeparabilia, & vnum poteſt ſtare ſine alio, non ſumus amplius in connexis, ſed in ſeparatis per ea, quæ notant Iaſ. *in l. Sed & ſi plures.* §. 1. *not.* 2. *ff.* De *vulg. & pupil. &c.* Craueta *Conſil.* 232. *num.* 1. Boer. *Conſil.* 7. *num.* 1. & *ſequent.* Couaruu. *Quæſt. practicar. Cap.* 34. Menoch. *De recuperan. poſſeſ. Remed.* 1. *num.* 377. & 378. Regularis autem, & ſocius non ſunt connexi in alloquutione cum Monialibus, quia optimè poteſt alloqui abſque eo, quod ſocius alloquatur; vnde ſunt ſeparata; non ergo quod conceditur vni, cenſetur alteri quoque conceſſum.

5 Et ex hoc diſſolutum manet fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Nec eſt eadem ratio de licentia inuiſendi ſepulchrum Domini Noſtri; quia cenſetur conceſſa habita ratione decentiæ ſtatus religioſi, & etiam neceſſitatis, & ideo etiam pro ſocio; quia eſſet valde durum, ſine ſocio aſſumere tam longam peregrinationem. Vnde eſt eadem ratio, ac de acceſſu ad Monaſterium Monialium proportionaliter loquendo; & hoc ex illo infertur, non autem eadem eſt ratio ac de alloquutione, vt conſtat ex dictis.

An prælati ſæculares habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & Vicarij Epiſcoporum incurrant pœnas Gregorianæ, ſi extra caſus neceſſitatis ingrediantur Monaſteria Monialium, &c, Quæſt. 159.

S V M M A.

1 *Vicarij Epiſcoporum, & Prælati habentes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem an ſubſint pœnis Gregorianæ contra ingredientes clauſuram Monialium & nu.* 2.
3 *Nemo, qui ratione muneris poteſt ingredi clauſuram Monialium, poteſt ad libitum ingredi.*
3 *Ex proœmio habetur mens diſponentis.*
4 *Diſpoſitio Gregorianæ contra ingredientes clauſuram Monialium eſt vniuerſalis quò ad omnes, qui ijs præſunt.*
5 *Dictio,* Omnis, *ita omnes comprehendit, vt nullum excludat.*
5 *Non recipit reſtrictionem.*
5 *Includit, quæ aliàs non includerentur.*
6 *Dictio,* Quouis modo, *comprehendit, quæ aliàs non comprehenderentur.*
6 *Includit maiora expreſſis, nec recipit reſtrictionem.*
7 *Lex diſponens de aliqua materia, diſponit de ijs omnibus, in quibus locum habet illa materia.*
8 *Vbi eadem ratio, ibi eadem lex, non extenſiuè, ſed diſpoſitiuè.*
9 *Lex fauorabilis extenditur ad omnes, qui comprehenduntur ſub verbis legis.*
9 *Diſpoſitio Gregorianæ quò ad ingreſſum clauſuræ eſt fauorabilis Monialibus.*
10 *Extenſio legis ex quibus verbis attendenda.*
11 *Nomine Epiſcopi quando veniant Prælati inferiores.*
11 *Quando Vicarij Epiſcoporum.*
11 *Diſpoſitio Tridentini quò ad vnionem beneficiorum extenditur ad Prælatos inferiores.*
11 *Diſpoſitio Tridentini quò ad viſitationem extenditur etiam ad alios Prælatos.*

1 NEgatiuè reſpondet Pelliciarius *De monialibus cap.* 5. *ſect.* 3. *num.* 113. citans Sanchez *lib.* 6. *ſum. cap.* 16. *num.* 99. quia in Conſtitutione Gregorij VIII. fit tantum mentio Prælatorum habentium dignitatem Epiſcopalem, & Prælatorum Regularium: vnde cum odia debeant reſtringi, non ſunt pœnæ extendendæ ad Prælatos Sæculares habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; nec ad Vicarios Epiſcoporum. Quod autem fiat tantum mentio prælatorum habentium dignitatem Epiſcopalem, conſtat ex verbis *Bullæ,* Quæ eſt *in Bullario* 28. *Greg. XIII.* edita *anno* 1581. *die* 23. *Decembris. in Declaratione dubiorum.* §. 1. ibi. *Quocirca vniuerſos, & ſingulos Epiſcopali, ſeu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, nec non quorumuis Ordinum Abbates, Prio-*

res, Ministros, & alios quoscunque Superiores Regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquã in casibus, vt præfertur, necessarijs neutiquam vtantur.

2 At oppositum ex eadem Constitutione omnino tenendum est, & proinde neque Vicarios Episcoporum, neque Prælatos sæculares habentes dignitatem quasi Episcopalem posse extra casus necessarios ingredi Monasteria Monialium, quarum cura ipsis incumbit, & si ingrediantur, incurrere pœnas præfatæ Constitutionis. Et hoc desumitur ex ipsa determinatione Pontificis.

3 Ratio autem est. quia vniuersaliter dubitabatur, an ij, qui sine aliorũ licentia possunt ingredi Monasteria Monialium, possent pro libito ingredi, an verò tenerentur seruare regulam Cõcilij Tridentini, vt constat ex Proemio Bullæ. ibi. *Cum igitur super eo, quod optima primum ratione Concilium sanxit Tridentinum; deinde in Constitutione fel. recor. Pij Papa V. Prædecessoris nostri Nonis Iulij Pontificatus nostri anno tertio, atque item nostra Idibus Iunij Pontificatus nostri anno quarto editis, fuit prouisum, ne cui imposterum nisi in casibus necessarijs, septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius seruare debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam.* Cum ergo ex proemio colligatur mens disponentis *l. Item quia. §. fin. ff.* De pactis. & *l. Cum hi. init. ff.* De *transact.* eo ipso, quod Pontifex proponit dubium vniuersale de omnibus, qui non indigent alterius licentia pro ingressu Monasteriorum Monialium, censendum est, intentionem ipsius fuisse de his omnibus disponere.

4 Rursus dispositio quoque est vniuersalis quò ad illos omnes, quibus cura Monialium incumbit. ait enim Pontifex. §. 1. *eiusdem Bullæ*. *Nos omnem hæsitationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac sanctimonialiũ quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tàm Sæculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis ijsque senioribus, ac religiosis personis comitati.* Ex quibus constat, dispositionem esse vniuersalem, & pertinere ad quoscunque, quibus cura Monialium incumbit.

5 Loquitur enim de Prælatis omnibus. Dictio autem, *Omnis*, ita est vniuersalis, vt omnes comprehendat, & nullũ excludat. *l. Iulianus.* & *l. Testatorem. init. ff.* De *legat. 3.* & *l. In hoc articulo. ff.* De *hæred. instit.* Nec vllam recipit restrictionem, vt notant Bar. *in l. Generali. §. Vxori. ff.* De *vsufruct. leg.* Ruin. *Consil. 61. n. 15. volum. 5.* Rolan. à Valle *Consil. 27. num. 22.* & *Consil. 76. num. 49. vol. 4.* Imo includit ea, quæ aliàs non includerentur, vt notant. Bart. *modo citat.* Natta. *Consil. 160. num. 29. tom. 1.* Gratian. *Consil. 5. num. 59.* & *Consil. 65. num. 3. lib. 2.* Surd. *Decis. 255. n. 8.* & *Consil. 453. nu. 44.* & *Consil. 466. nuu. 25.* Roland. *Consil. 87. num. 8. vol. 4.* Mascar. *de probat. conel. 148. num. 9. vol. 1.*

6 Quod similiter colligitur ex alia dictione, qua vtitur Pontifex, nempe, *Quouis modo.* Talis enim dictio ita generalis est, vt comprehendat etiam, quæ aliàs non cõprehenderentur, vt notant Dec. *Consil. 486. nu. 2.* Syluan. *Consil. 25. num. 18.* Socin. iun. *Consil. 2. nu. 21. vol. 1.* Hyppolit. *Consil. 80. num. 44.* Cephalus *Consil. 121. num. 2. vol. 1.* Menoch. *De recuper. possess. Remed. 6. num. 16.* & *Consil. 550. nu. 10.* Stracha *De mercat. par. 1. num. 83.* Et proinde est talis naturæ, vt includat etiam maiora expressis, & reijciet omnem interpretationem restrictiuam per ea, quæ notant Glos. *in Clement. Ne Romani.* verbo, *Quouis modo.* De *sent. excommunicat. in 6.* Menoch. *Consil. 496. num. 66. & 67.* Octauian. Vulpel. *De præposit, & aduerb. significat.* vbi De hac dictione, *Quouis modo.*

7 Præterea. Quando lex non dispo-

nit per se primò de personis, sed de aliqua materia, comprehendit omnes personas, in quibus locum habet illa materia, nam ratione materiæ trahuntur ad subiectionem respectu legis, quia in ipsis est casus legis, & proinde cessat dubium, & disputatio, an comprehendantur sub lege, an non, vt notant Glos. *vlt. in l. Ancilla. C. De furtis.* Dec. *Consil.* 452. *in fine.* Craueta *Consil.* 273. *nu* 3. Becc. *Consil.* 14. *num.* 28. *vol.* 1. Surdus *Consil.* 53. *num.* 6. & *Consil.* 58. *nu.* 6. Paris. *lib.* 9. *De resignat. num.* 2. Sesse *Decis. Aragon.* 153. *num.* 25. Tusch. *Littera L. Conclus.* 259. *nu.* 4. Marius Antonin. *lib.* 1. *Variar. resol.* 46. *nu.* 1. & *lib.* 2. *resol.* 51. *n.* 5. In casu autē nostro dispositio Pontificis habet pro materia vsum facultatis ingrediendi Monasteria Monialium, quò ad eos, qui ex officio possunt ingredi absque aliorum licentia, quam facultatem ita moderatur, vt reducat ad casus necessarios; ergo facultas ista est moderata in quocunque sit, etiā si non habeat Pontificalem dignitatem, nec sit Prælatus regularis.

8 Quod eò amplius constat; nam quando adest eadem ratio, adest etiam eadem lex non extensiuè, sed dispositiuè. *l. His solis.* ver. *Satis etiam cautè.* C. De *reuocan. donat.* & *l. Illud.* C. De *Sacrosanct. Eccles.* & *l. Item veniunt.* §. *Ait Senatus. ff.* De *petit. hæred.* & notant communiter, præsertim Tiraquel. *in l. Si vnquam.* verbo. *Libertis. num.* 45. & 46. C. De *reuoc. donat.* Surd. *Decis.* 286. *nu.* 8. Gutierez *lib.* 3. *Pract. quæst.* 17. *num.* 84. Gonzalez *Ad Reg.* 8. *Cancel.* §. 7. *proem. n.* 105. Rebuf. *ad l. In lege censoria. nu.* 203. *ff.* De *verbor. significat.* Eadem autem ratio est in omnibus, quibus cura Monialium incumbit, siue habeant Pōtificalem dignitatem, siue nō quò ad facultatem ingrediendi monasteria, cum de eodem quò ad omnes agatur, & de restrictione facultatis ingrediendi septa Monialium ad casus necessarios, vt non sit liberum habentibus facultatem ex officio, pro libito ingredi.

9 Quod etiam confir. ex fine legis, qui est fauor Monialiū: habet enim Pōtifex. *Nos omnes hæsitationis materiam tollere volentes, & viam scandalis præcidere, ac sanctimonialium quieti consulere volentes, &c.* hic autem finis habet locum in omnibus, qui curam gerunt Monialiū, etiam si nō habeant Pontificalem dignitatem, quia & per ipsos turbaretur quies Monialium, si pro libito ingrederentur earundem monasteria. Vbi autem finis habet locum, habet locum etiam dispositio legis, quia attendenda est mens, & intentio legis *l. Scire leges. ff.* De *legib.* & *l. Non aliter. ff.* De *legat.* 3. Imo cum lex sit condita in fauorem Monialium, debet extendi ad omnes, qui quocunque modo comprehenduntur sub verbis legis fauorabilis, quam inter alios tradunt Bald. *in l. Qui se patris.* C. Vnde *liberi.* Castrens. & Salycet. *ibid.* Cancer. *par.* 2. *Variar. Resol. Cap.* 1. *nu.* 186. Suarez *lib.* 6. *De legib. cap.* 2. *num.* 5. Salas *disp.* 21. *de legib. sect.* 3. Palaus *par.* 1. *Oper. moral. tr.* 3. *disp.* 5. *p.* 3. §. 3. *num.* 8. Bonac. *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *p.* 8. *nu.* 9. Ij autem, qui habent curam Monialium, etiam si non sint Regulares, ; nec habeant Pontificalem dignitatem, comprehenduntur sub illis verbis Cōstitutionis, *Prælatos omnes, tàm sæculares, quàm regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialiū quouis modo incumbit.* Imo Pontifex non præstitisset, quod, ait, se præstare velle, inquit enim. *Nos omnes hæsitationis materiam tollere volentes.* Non sustulisset autem omnem materiam dubitandi, nisi disposuisset quoque de ijs, qui habent curam Monialium, & non sunt Regulares, nec habent Pontificalem dignitatem.

10 Nec obstat, quod *num.* 1. pro opposita parte allatum est, quia verba illa. *Quocirca vniuersos, & singulos Episcopali, &c.* non sunt verba dispositiua, sed hortatiua ad seruandam dispositionem præmissam, vt constat ex verbis subsequentibus, *Seriò monemus*; Extensio autem legis attendenda est ex verbis dispositiuis; non autem ex hortatiuis. Et certè monstruosum esset, quod Episcopus nō possit vti ad libitum facultate, quam habet, ingrediendi septa Monialium; & quod posset Abbas exemptus, & vicarius eiusdem Episcopi in absentia ipsius.

11 Imo

11 Imo stando in his verbis comprehenduntur alij quoque, qui non habent pontificalem dignitatem. nam nomine Episcopi veniunt etiam Prælati inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. Vnde dispositio Tridentini *sess.* 21. *cap.* 5. *De reformat.* quò ad vnionem beneficiorum, licet loquatur de Episcopis, extenditur etiam ad alios Prælatos, vt quamplures citans notat Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 29. *num.* 160. & Barbosa *De potest. Episcopi allegat.* 66. *nu.* 14. qui similiter alios citat. Sic etiam eadem *sess. cap.* 8. *de reformatione* dispositio quò ad visitationem, licet procedat quò ad Episcopos, extenditur etiam ad hos Prælatos, vt cum pluribus notat Barbosa ad *citat. Cap.* 8. *Concilij Tridentini*. Imo etiam appellatione Episcopi venit Vicarius Generalis, nisi excludatur, vt notant Glos. *in Cap. vnicum.* verbo. *Per Episcopos*. De capel. monach. *in* 6. Franc. *nu.* 4. Felin. *in Cap. Si quis contra num.* 4. ver. *Sed caue.* De foro compet. Conrad. Lancel. *in tem. om. iud. lib.* 6. *cap.* 6. §. 1. *nu.* 11. & 15. Sbrozzius. *De offic. Vicar. lib.* 2. *q.* 43. *nu.* 28. & *quæst.* 201. *nu.* 2. Garzias *part.* 5. *de Benef. cap.* 8. *num.* 52. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disp.* 29. *n.* 16. & *lib.* 6. *in Decal. cap.* 15. *num.* 30. Suarez *tom.* 5. *De censur. disp.* 7. *sect.* 3. *num.* 10. Narbona *De appellat. à Vicario ad Episcopum part.* 1. *nu.* 217. Maceratens. *Variar. Resol. lib.* 1. *Resol.* 112. *Casu* 31. ver. *Et pro dicta.* Paris. De *resignat. lib.* 7. *quæst.* 24. *num.* 79.



An in admittendis de nouo Congregationibus Clericorum Sæcularium conuocandi sint Regulares, &c. Quæst. 160.

SVMMA

1 *Regulares non possunt fundare noua monasteria, nisi cum consensu Episcopi, & conuocatis alijs Regularibus.*
2 *Idem decretum innouatum iussu Gregorij XV. à S. Congregatione, & insuper debet interuenire consensus aliorum Regularium.*
3 *Idem decretum innouatum ab Vrb. VIII.*
4 *Lex odiosa non extendenda ex similitudine rationis.*
4 *Clerici non veniunt nomine religiosorum.*
5 *Pro fundatione Congregationis Clericorũ sæcularium requiritur consensus regularium.*
6 *Vbi adest identitas rationis adest eadem lex comprehensiuè, non extensiuè.*
7 *Extensio comprehensiua habet locum in lege pœnali.*
8 *Et in pœnali, & correctoria simul, quando est expressa in lege ratio ipsa.*
9 *Constitutio, quod non possint fundari noua monasteria sine consensu Regulariũ præexistentium, est fauorabilis.*
9 *Quando lex censenda sit fauorabilis.*
10 *Constitutio, quod non possint fundari noua monasteria &c. est fauorabilis etiam de nouo introducendis.*
11 *An confessarij sollicitantes pueros debuerint denunciari ante Constitutionem Gregorij XV. contra sollicitatores.*
11 *Casus, in quo militat eadem ratio, dicitur comprehensus sub expresso.*

1 Clemens VIII. *in sua Constitutione*, quæ incipit. *Quoniam ad institutam*. edita *anno* 1603. & est in *to.* 3. *Bullarij* 99. *Constitutio*. decernit, quod imposterum non obstantibus priuilegijs nõ possit Episcopus

pus concedere facultatem Regularibus erigendi noua Monasteria, nisi vocatis, & auditis Regularibus in eodem loco existentibus. Ita enim habet. *Motu proprio, & ex certa scientia harum serie declaramus, Locorum Ordinarios non posse licentiam ad nouos Conuentus quibusque etiam Mendican. Ordinib. in Ciuitate, & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos impartiri, nisi vocatis, & auditis in eiusdem ciuitate, & locis existentibus Conuentuum Prioribus, seu procuratoribus & alijs interesse habentibus; & causa seruatis seruandis cognita constiterit, in eisdem ciuitate, & locis nouos eiusmodi erigendos conuentus sine aliorum detrimento commodè substentari posse.*

2 Et hoc decretum fuit innouatum à Sacra Congregatione habito viuo vocis Oraculo Gregorij XV. *sub die 27. Augusti 1621. in Constitutione*, quæ incipit. *Cum alias.* & addidit, quod debeat interuenire consensus aliorum Regularium, Ita enim habet. *Volens, quod de cætero Monasterium, Conuentus, Domus, Congregationes, Societas Religiosorum, seu Regulariū cuiuscunque etiam Mendicantiū Ordinis, Societatis, & Instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiam si de illis particulis expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacunque ciuitate, vel oppido, seu quocunque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac redditibus, & ex consuetis eleemosinis substentari valeant; ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum huiusmodi, non solum in prædictis, sed etiam in alijs per quattuor millia passuum circumuicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint; vel aliàs Ordinarijs locorum constiterit, Religiosos Monasterij, Conuentus, seu Domus Regularis sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosarum in Monasterijs, seu Domibus antea in ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commodè, & congrue manuteneri, & ali posse.*

3 Hæc eadem Constitutio innouata fuit etiam ab Vrbano VIII. *in sua Constitutione*, quæ incipit. *Romanus Pontifex. sub die 28. Augusti 1624. vbi* §. 2. habet. *Præterea ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regulariū Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, cæterisque personis, ad quos spectat in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum quoruncunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinendi, nec non excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, siue alio quouis prætextu, vel causa, etiam quantumuis priuilegiata, noua Monasteria, Collegia, Domus, Conuentus,* & *alia loca Regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, nec non Constitutionis. fel. recor. Clementis VIII. Quæ incipit. Quoniam ad institutum. sub Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris 23. Iulij 1603. ac Decretorum de mandato eiusdem Clementis, nec non sim. mem. Gregorij XV. Rom. Pont. Prædecessorum desuper editorum forma recipere, erigere fundare, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incœpta finire, & absoluere audeant, seu præsumant.* Stantibus ergo his Constitutionibus dubitatur, an locum habeant etiam in Congregationibus Clericorum sæcularium.

4 Pars autem negatiua videtur suaderi, quia, cum simus in odiosis, debemus accipere verba Constitutionis, sicut sonant, nec extendere ad alios casus, etiā si in ipsis militet similis ratio, sic ante Constitutionem Gregorij XV. *De sollicitantibus, & Declaratio*[nem] Pauli V. Confessarius, qui sollicitasset puerū, non erat denunciandus, cum tamen militaret eadem ratio. Tum quia nomine Religiosorum non veniunt Clerici, nisi in lata significatione, & in fauorabilibus, & proinde non cōprehenduntur in dicta Cōstitutione sub nomine religiosorū, præsertim quia religiosi explicantur etiam sub nomine Regularium in ijsdem Constitu-

ſtitutionibus, quæ loquuntur etiam de locis Regularibus.

5 Tenendum tamen, quod etiam Cõgregationes Clericorum ſæcularium, ſi eleemoſinas recipiant, comprehendantur ſub prædictis Conſtitutionibus; atque adeo quò ad receptionem ipsarũ ſeruandam eſſe formam præſcriptam in ijſdem Cõſtitutionibus. Ita docent Nouar. *Decis.* 206. Riccius *par.* 4. *Decis.* 222.

6 Ratio autem eſt, quia dato quod dictæ Conſtitutiones eſſent odioſæ, adhuc tamen haberent locũ in prædictis Congregationibus, non per extenſionem, ſed per comprehenſionem. Quando enim adeſt identitas rationis, præſertim expreſſæ in lege, ibi adeſt eadem lex, non extenſiuè, ſed comprehenſiuè. *l. His ſolis.* ver. *Satis etiam cautè.* C. De *reuocan. donat.* & *l. Illud.* C. De *ſacroſanct. Eccleſ.* & *l. Item veniunt.* §. *Ait Senatus.* ff. De *petit. hæred.* & *l. Emptor.* §. *Ancilla.* ver. *Si tamen.* ff. De *rei vendicat.* Quia nimirum lex diſponit de materia, vt ſtat ſub illa ratione: vnde per ſe primò diſponit de ratione vt de fine, de materia verò, vt de ſubiecto, in quo lex ſortitur, ſuũ finem. & ideo ratio legis, cum ſecundum ſe totam ſit ſub diſpoſitione legis, extendit neceſſariò legem ſiue fauorabilem, ſiue odioſam ad totam materiam, quam ſibi ſubſternit, ita vt non poſſit non extendere, quia non poteſt non ſubijcere materiam legi, in qua eſt, dum ipſa ſecundum ſe totam eſt ſub diſpoſitiones legis. Ratio autem prædictarum Conſtitutionum eſt, quod nouæ Congregationes cõmodè ex eleemoſinis ſubſtentari poſſint, & quod non ſint alijs iam fundatis detrimento. Quæ ratio reperitur in omnibus Congregationibus, quæ eleemoſinas percipiunt, ſiue ſint Regularium, ſiue ſæcularium.

7 Hinc extenſionem comprehenſiuam habere locum in lege pœnali, licet ſit odioſa, docent Imola *in Cap.* 1. De *tempor. ordin. in* 6. Geminian. *ibid.* Panorm. *in Cap. fin. num.* 10. De *reſcrip.* & *in Cap. Nihil. nu.* 9. De *elect.* Rolan. *Conſil.* 27. *nu.* 48. *lib.* 1. Gomez *lib.* 1. *Variar. cap.* 5. *num.* 11. Oſaſc. *Decis. Pedemon.* 67. *num.* 8. ver. *Quod in pœn.* Crot. *Conſil.* 135. *num.* 28. 34. & 35. Villag. *Rubr. De extenſ. leg. pœn. tan. num.* 1. Couaruu. *Cap. Alma mater. par.* 2. §. 4. *num.* 7. Euerar. *loco à ratione legis ampla ad extenſ. ipſius.* ver. *Debet ergo.* Nauar. *in Cap. Pœnæ. De pœnit. diſt.* 1. Gutier. *lib.* 1. *Quæſt. canon. cap.* 10. *num.* 13. Syluester *verbo.* Lex. *quæſt.* 18. Molina *lib.* 1. *De primogen. cap.* 5. *num.* 10. Suarez *lib.* 6. *De legib. cap.* 4. *n.* 2. Sanchez *lib.* 3. *De matrim. diſp.* 42. *num.* 4. Talis nanquam extenſio non eſt aliud, quàm explicatio illius, quod ineſt diſpoſitioni legis, licet per verba non explicetur, argum. Cap. *Si poſtquam.* §. *Si verò.* De *elect. in* 6. Sic etiam quod implicitè, habetur in Scriptura ſacra eſt de fide, & continetur ſub reuelatis; & ſolum requiritur declaratio Eccleſiæ.

8 Imo etiam in lege correctoria, & pœnali ſimul fit extenſio comprehenſiue ex identitate rationis, quando ratio eſt expreſſa in lege, vt docent Gloſ. *in Clement.* 1. verbo. *Eligatur.* De *elect.* Cardinal. *ibid.* ver. *Vigeſimo ſecundo quæro.* Ancharan. ver. *Quarto nota.* Imola *n.* 18. ver. *Ex iſta Gloſ.* Anton. *in Cap. fin.* ver. *Fallit primò.* De *conſuetudine.* Bald. *in Authen. Quas actiones.* C. De *ſacroſanct. Eccleſ.* Bolognet. *in l. Omnes populi. n.* 130. ff. De *iuſt. & iure.* Anton Gabr. *tom.* 2. *com. Opinion. lib.* 17. *init.* teſtans de communi. Gutierez *par.* 3. *De iuram. cap.* 2. *num.* 8. Villagut *Tit. De extenſ. leg. corrèct. & pœn. num.* 36. alios citans. Euerar. *Loco à ratione legis ampl.* ver. *Sed danda.* Vaſquez *de ſucceſ. creat.* §. 28. *init.* Nauar. *Cap. Pœnæ. num.* 10. De *pœnit. Diſt.* 5. Sanchez *lib.* 3. *De matrim. diſp.* 42. *num.* 4.

9 Addo tamen, quod prædictæ Conſtitutiones non ſunt odioſæ, ſed fauorabiles. Tunc enim lex cenſenda eſt fauorabilis, etiam ſi contineat odium alicuius, quando per ipſam primariò intenditur fauor alicuius, vt communiter docent Gloſ. *in Cap. Si propter.* verbo. *Primi anni.* De *reſcriptis. in* 6. Domin. *nu.* 9. Francus. *num.* 6. Item *Gloſ. in Cap. Sciant cuncti.* verbo. *Alios.* De *elect. in* 6. Io Andreas & Geminian. *ibid.* Felin. *in Cap.* 1. De *ſponſalib. num.* 14. ver. *Aliud eſt.* & *in*

Cap.

*Cap. Non dubium.num.*2. De *senten.excommunicat.* Bar. *in l. Qui exceptionem.num.*2. *ff.* De *condit.indeb.* Ioan. Alber.& Salicet. *ibid.* Castrenf. *in l. Si quis nec causam. n.*4. *ff.* Si *cert. pet.* Euerar. *Loco à ratione leg. ampla &c. nu.*68 Couaruu. *lib.*1. *Variar. cap.*11. *num.*5. alios citans. Tiraquel. *in Retract. in Præfat. nu.*56. Mandof. *reg.*10. *de ann.quæst.*3. *n.*7. Menoch. *De recuper. possess. Remed.*1. *num.*28. Cephal. *Consil.*35. *vol.*1. Honded. *Consil.* 95. *nu.*17. Syluester *verbo.* Interpretatio. *in fine.* Ludouic. *Decis. Lucens.* 26. *num.*23. *par.*1. Sanchez *lib.*1. *de matrim. disp.*1. *num.*4. Parif. *De resignat. lib.*12. *quæst.* 2. *num.*23. In casu autem nostro Pontifices in præfatis Constitutionibus principaliter intendunt fauorem Regularium existentium in aliquo loco; quia nimirum intendunt prouidere, ne nouæ Congregationes detrimento sint præexistentibus in aliquo loco, & vt commodè possint sustentari; & diuinum cultum, & regularem disciplinam cōseruare, vt constat ex præcitatis verbis Constitut. Clement. VIII. ibi. *Et causa cognita constiterit in eisdem ciuitate, & locis nouos eiusmodi erigendos conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse.* Et ex decreto S. Congregat. *num.*2. allato. in §.2. ibi. *Quo fit, vt habita debita eleemosinarum, seu redditum cuiuscunque Monasterij, Conuentus, seu Domus ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tam exiguū numerum reducantur, vt cultus diuinus in Ecclesijs destituatur; ibique regularis disciplina, vt conuenit, conseruari non valeat. Sacra Congregatio &c.* Loquitur autem de inconuenientibus, quæ ex pluralitate Monasteriorum &c. exoriuntur; & in fauorem Religionum ipsis occurrit.

10 Imo huiusmodi Constitutiones sunt fauorabiles etiam ipsis, qui quærunt introduci de nouo in aliquem locum, pro quibus est exquirendus consensus præexistentium; nam ipsi quoque in locis, in quibus sunt, fruuntur tali fauore respectu aliorum, qui de nouo instarent cō introduci. Et non solum ex hoc capite sunt ipsis fauorabiles, sed etiam quia prouident, ne introducantur in ea loca, in quibus commodè nō possent sustentari, & in quibus cultus diuinus, & regularis obseruantia detrimentum paterentur, vt constat ex allatis verbis dictarum Constit. Vnde non solum sunt fauorabiles huiusmodi cōstitutiones ijs, qui iam sunt introducti, sed etiam introducendis pro ipso quoque actu introductionis.

11 Ex his autem soluta manent, quæ in oppositum allata sunt. Nec vrget exemplū de confessario sollicitante puerum, ad quem non se extendebat lex de denunciando ante Cōstitutionem Gregorij X V. Nam quamuis ita doceant Bariola *in Florib. Inquisitorum. fol.* 227. Portel. *in Rub. Reg. verbo.* Sollicitare fœminas. *in Addit.* Facundez *Pracep.* 2. *Eccles. lib.*4. *cap.*3. *num.*31. hoc tamen sine fundamento asserunt. Et oppositum tenent communiter Rodriquez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.*27. *art.*3. Quaranta *in Sum. Bullar.* verbo. *Confessio.* Cherub. *in Compen. Bullar. p.*2. *Constit.*31. Achunna *De Confess. Sollicit. quæst.*5. *per totam.* Gyptius De *casib. reseruat. quæst.*14. *n.*4. Scortia *in Bullas Pontif. Epit.* 77. *theorem.* 197. Coriolan. *De casib. reser. par.*1. *sect.*2. *art.*22. *nu.*3. Riccius *part.*3. *Praxis. Resol.* 66. *num.* 3. Hieronim. Rodriquez *in Compen. Quæst. Regul. Resol.* 131. *num.*3. Anton. Sousa. *Opus. De confess. sollicit. tract.*4. *cap.*12. *num.*12. Molfes. *part.*1. *Sum. tract.*7. *cap.*24. *num.*34. qui testatur de praxi ante dictam Constit. Greg. X V. ex vi Constit. *Pauli IV. anno* 1564. & ex Decreto *Sacræ Congregat. Inquisitionis.* quia nimirum casus, in quo militat eadem ratio, dicitur comprehensus in casu expresso. vt notant Glos. communiter recepta in *Cap.*1. verbo. *Italia.* De *tempor. ordin. in* 6. Vnde solutum manet, quod secundo loco afferebatur, quia licet Clerici sæculares non veniant nomine religiosorum, casus tamen ipsorū ob identitatem rationis est comprehensus in casu expresso.

An

An Episcopus possit sibi reseruare aliquem casum concernentem violationem Clausuræ respectu Monialium exemptarum. Quæst. 161.

S V M M A.

1 *Affirmatiua opinio.*
1 *Episcopi sunt delegati Sedis Apostolicæ pro restituenda, & conseruanda clausura monialium.*
2 *Episcopi non possunt sibi reseruare casus concernentes violationem clausuræ monialium exemptarum.*
2 *Quam delegationem habeant Episcopi in ordine ad clausuram monialium exemptarum. & num. 3.*
3 *Quid sit reseruatio casuum.*
3 *Quæ iurisdictio requiratur pro reseruatione casuum.*
4 *Casuum reseruatio pertinet ad ecclesiasticam disciplinam.*
4 *Qui eam possint sibi reseruare casus.*
5 *Violatio clausuræ est reseruata Summo Pontifici.*
5 *Episcopi non possunt sibi reseruare casus iam reseruatos Summo Pontifici.*
5 *Vbi Princeps manum apponit, non potest inferior se ingerere.*
5 *Causa introducta coram Principe non potest ab alio iudicari.*

1 TRadunt affirmatiuam sententiam Pelizzarius *tract. de Monial. sect. 1. cap. 10. n.* 48. Quia ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 5. *De Regul.* constituuntur Episcopi Sedis Apostolicæ delegati in ordine ad restituendam, & conseruandam clausuram Monialiũ exemptarum, ita vt habeant facultatem visitandi clausuram. Cum ergo habeant facultatẽ delegatam supra Moniales in ordine ad clausuram, poterunt etiam sibi reseruare ea peccata, quę circa clausuram committuntur.

2 Sed negatiua sententia tenenda est, quia delegatio, quam concedit Cõcilium Tridentinum Episcopis in ordine ad clausuram Monialium exemptarum, est solum in foro externo, vt cõstat ex verbis ipsius Concilij dicta *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regularib.* ibi. *Sancta synodus &c. præcipit, vt in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinaria; in alijs verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione postposita, compescentes; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.* Reseruatio autem casuũ pertinet ad iurisdictionem fori interni, quia licet sit actus superioritatis exercitus in foro externo, est tamen circa iurisdictionem, quæ est exercenda in foro interno, & circa iudicium conscientiæ, & proinde fundatur in iurisdictione fori interni, & non in sola delegatione pro foro externo.

3 Rursus cum reseruatio sit restrictio iurisdictionis in ordine ad absolutionem sacramentalem, vt notant communiter, præsertim. Nauar. *in Manuali. Cap.* 27. *num.* 259. ex D. Antonino. Gyptius *Cap.* 1. *De casib. reserua. nu.* 13. Reginal. *lib.* 1. *Praxis fori Pœnit. num.* 144. Finel. *De casib. reser. cap.* 5. *num.* 3. Gambarup. *De casib. reseruat. Cap.* 2. *num.* 30. Floronus *par.* 1. *de casib. reser. cap.* 1. *nu.* 3. Laiman. *lib.* 5. *Theol. moral. tr.* 6. *cap.* 12. *num.* 1. sequitur, quod requirat iurisdictionem circa eos, quibus restringitur iurisdictio pro foro interiori, & quod iurisdictio restricta sit dependens à iurisdictione restringentis, vt notat etiam Laiman *citatus.* Et hoc totum desumitur etiam ex Concilio Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. *De sacram. pœnit.* ibi. *Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quià hoc idem* (nempe reseruare Casus.) *Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos*

tra-

tradita super reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quò ad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. vbi notãda sunt illa verba, *Supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate*. Per dictam autem delegationem Concilij Tridentini confertur solum iurisdictio in ordine ad clausuram Monialium restituendam, & conseruandam: non autem tribuitur aliqua iurisdictio supra Prælatos Ordinarios Monialium, & ideo non poterunt Episcopi reseruando sibi aliquem casum restringere auctoritatem, & iurisdictionem Prælatorũ Ordinariorum, aut eorum, qui eam habent supra Moniales in foro conscientiæ à Prælatis Ordinarijs. Hæ namque sunt diuersæ iurisdictiones, & facultates, vt per se constat.

4 Ex quo etiam fit. quod ad solos Prælatos Ordinarios, aut eos, quibus iurisdictio ipsorum ordinaria subijcitur, pertineat Casus reseruare. Casuum namque reseruatio pertinet ad Ecclesiasticam disciplinam, vt habet Trident. *Sess.* 14. *cit. cap.* 7. *de Pœnit.* Moderari autem ecclesiasticam disciplinam, & statuere, quæ ipsam concernunt, pertinet solum ad prædictos prælatos, non autem ad eos, qui habent specialem delegationem ad aliquam causam in particulari. Quod *ibid.* in Trident. significatur, dum facultas reseruandi casus declaratur esse in Sũmo Pontifice, & in Episcopis, atque adeo in omnibus, qui veniunt appellatione Episcoporum pro suis subditis taxatiuè, & diœcesi, quo significatur pertinere ad potestatem ordinariam. Vnde ij solum possunt sibi reseruare casus, qui habent iurisdictionem Episcopalem, aut quasi Episcopalem ordinariam, vt notant Floronus *De casibus reser. cap.* 2. *num.* 1. Bonac. *quæst.* 7. *De pœnit. punc.* 5. *proposit.* 1. Megal. *par.* 1. *Instit. cap.* 11. *n.* 2. Miran. *tom.* 2. *Manual. quæst.* 24. *art.* 1. Coriolan. *De casib. reseruat. sect.* 1. *art.* 1. *num.* 11. Bordon. *in Consil. Regular. Resol.* 37. *n.* 29. Rodriquez *in Compen. quæst. Regular.* Resolut. 22. *num.* 1. Graf. *Par.* 1. *lib.* 1. *Decis. cap.* 13. *num.* 71. Belloch. *De casib. reser. par.* 1. *q.* 2. *num.* 14.

5 Denique. Violatio clausuræ quò ad Moniales quoque est reseruata Summo Pontifici per constitutionem Pij V. quæ incipit. *Decori.* ibi. *Aliter autem, quàm vt præfertur egredientes &c. excommunicationis maiori lata sententiæ vinculo statim eo ipso absq; aliqua declaratione subiacere, à quo, præter quàm à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant.* Vnde cum Episcopi neque quò ad proprios subditos possint sibi reseruare casus iam reseruatos Romanæ Sedi per Decretum Sacræ Congregat. *sub die* 26. *Nouemb.* 1602. apud Quarantam *in Sum. Bullarij. verbo.* Casus reseruati. §. *Cum autem.* editum ex speciali mandato Clement. VIII. ibi. *Prohibet etiam, ne sibi superfluè reseruent casus in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos.* Neque poterunt casum hunc Ordinarij sibi reseruare, & multo minus respectu Monialium exemptarum. Imo cum Pontifex apposuerit manum ad clausuram, & sibi reseruauerit, quæ iudicauit esse reseruanda, non poterit Episcopus facere aliquam reseruationem circa ea, quæ concernunt clausuram, quia vbi Pontifex manum apposuit, non potest inferior se ingerere, quia ligantur eius manus. Cap. *Vt nostrum.* De *appellat.* & notant Gonzalez. *De mensib. glos.* 52. *num.* 27. Couaruu. *Cap.* 9. *Pract. num.* 4. Valasc. *Consult.* 105. *num.* 63. Et proinde quando causa est introducta coram Principe, non potest inferior de ea amplius iudicare, vt docent. Innocent. *in Cap. Cum M. Ferrar.* De *constitut.* Baldus *in Cap.* 1. §. *Ad hæc.* De *pace iuram. firm.* & *in l. Sicut proponis.* 1. C. Quomodo, *& quando iudex.* Salicet. *ibid.* Imola *in l. Si expressim. ff.* De *appellat.* Ias. *Consil.* 9. *nu.* 1. *lib.* 3. Alban. *Consil.* 73. *num.* 1. Capel. Tholos. *Decis.* 481. *nu.* 4. Couaruu. *cap.* 9. *Pract. num.* 5. Menoch. *Consil.* 301. *num.* 4.

An

An Episcopus possit inquirere, an Regulares satisfaciant oneribus Missarum ex vltima dispositione alicuius celebrandarum. Quæst. 162.

S V M M A.

1 *Opinio affirmans.*
1 *Episcopus an possit punire Regulares delinquentes circa exequutionem vltimarũ voluntatum, & num. 6.*
2 *Episcopus se ingerit quò ad opera pia,& exequutionem vltimarum voluntatum ex Trident.*
2 *Sed non quò ad Regulares.*
2 *Regulares specialiter sunt exprimendi, & quare.*
3 *Episcopi non possunt visitare Capellas Confraternitatum in Ecclesijs Regulariũ.*
4 *Celebratio anniuersariorum &c. non pertinet ad exequutionem vltimarum voluntatum.*
4 *Abbates, Præpositi &c. Regulares non tenentur reddere rationem Episcopo.*
5 *De quibus procedat Clement. vnica. De testamentis.*
6 *Priuilegium, quod Regulares non possint cõuenire coram Ordinario nec ratione delicti, nec ratione contractus est speciali nota dignum.*
6 *Vbi requiritur expressa mentio, non sufficiunt verba generalia.*

1 TRadit affirmatiuam sentẽtiam Mãriquez *p.1. Quæst. Vicarialium quæst.63.n.6.* vbi vult, quod Visitatio Episcopalis in Ecclesijs Regulariũ se extendat ad Memorias, & Capellanias, quas defuncti pro suarum animarum salute in prædictis Regularium Ecclesijs reliquerunt ad missas, & anniuersarium quotannis celebrandum. Eius fundamentum est. Quia agitur de operibus pijs, & exequutione vltimæ voluntatis, in quo Regulares non eximuntur à potestate Episcopi, sed subsunt illius visitationi, & iudicio ex dispositione Concilij Trident. *Sess.22. Cap.8 & 9. De reform.* & potest punire Regulares delinquentes circa exequutionem vltimarum voluntatum. Pro quo citat. Piasec. *in Praxi de visit. par.2. cap.3. nu.47.* Riccium *in Praxi. Tit. Praxis Regularium. Resol.654. nu.7.* Campanil. *in Diuers. iur. Can. Rubr. 12. cap.13. num.130. & sequent.* qui alios citat.

2 Sed fallitur primò. Quia Trident. in *citat. Cap.* non loquitur quò ad Regulares, sed quo ad alia loca pia exempta, nam ne verbum quidem habet de Regularibus. Quando autem Concilium constituit Episcopos delegatos Sedis Apostolicæ etiam quò ad Regulares, id exprimit, vt constat pluribus in locis. Et quod non veniant nomine exemptorũ, sed sint specialiter exprimẽdi ex eo prouenit, quia sunt plenè exempti; habent suos immediatos Superiores; & visitãtur à proprijs Prælatis; & ideo adest specialis ratio, cur non omnia, quæ statuuntur circa exemptos, censeantur statuta etiam circa Regulares, nisi de ipsis fiat expressa mentio.

3 Hinc non possunt Episcopi visitare Altaria, & Capellas Confraternitatum sæcularium existentia in Ecclesijs Regularium, vt docent Galet. *in Margarita Casuum Conscient.* verbo. *Episcopus.* asserens, ita decisum fuisse. Genuens. *in Praxi Archiepiscop. Neapol. Cap.21. in it.* Vgolinus *De offic. Episcopi. par.2. cap.49. §. 5. num. 3.* Ciarlin. *lib. 1. Controuer. Forens. Cap.65. num. 6.* Barbosa *par. 3. de Potest. Episcopi. alleg.75. num.13.* Sel. *in Select. canon. cap.22.* Aldan. *in Compen. Canon. resolut. lib.2. Tit.8.* referens declarationes S. Congregat. Episcop. & Regul. in *Papiensi 21. Augusti 1615.* & *in Terracinensi. 22. Ianuarij 1616.* Et hoc non alia ratione, nisi quia Concilium Tridentinum non comprehendit Regulares sub illis decretis *Cap.8. & 9. Sess.22.* Vnde etiam huiusmodi altaria, & Capellæ tanquam pars Ecclesiæ Regulariũ exem-

autem. C. De *caduc. tollen.* & *l. Si ſeruus. §. Prætor ait.* ver. *Non dixit. ff.* De *acquirenda hæred.* & Cap. *Ad audientiam* 2. De *decimis.* & Cap. 2. *De traslat. Prælat.* Aut ſaltem expreſſiſſet, quod in omnibus, & per omnia innouaret. Et facit, quod habetur pro omiſſo, quod non exprimitur. Cap. *Dilectus.* De *offic. Ordinar.* & Cap. *Is, qui.* De *ſentent. excommunicat.* & Cap. *Inter corporalia.* De *translat. Epiſcop.* Vnde non ſubſiſtit doctrina, quam tradit Duard. *citat. num.* 2.

5 Dicta tamen Conſtitutio Bonifacij VIII. confirmata fuit à Pio V. *in Bulla*, quæ incipit, *Circa Paſtoralis. ſub* 1. *Kalend. Iunij* 1566. & cum confirmatio ſe extendat ad omnia, quæ in ipſa continetur, nam §. 2. habet, *Iuxta firmam dictæ Conſtit. felicis recordat. Boniſac. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo: in ſacro Concilio Tridentino approbata, & innouatæ, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam diſtrictè obſeruari mandamus.* Remanet etiam innouata prohibitio, quod Regulares abſque licentia non poſſint alloqui Moniales. Nulla tamen in hac quoque conſtitutione tribuitur Ordinarijs facultas ſupra Regulares contrauenientes; & ideo non poſſunt contra ipſos procedere, ſi contraueniant.

6 Solum ergo procedere poſſunt Epiſcopi contra Regulares alloquentes Moniales ſine debita licentia in virtute Conſtitutionis Gregorij XV. *De exemptorum priuilegijs.* quæ incipit. *Inſcrutabilis. ſub die* 9. *Februarij* 1622. vbi habet, *Ad hæc tam ſæculares, quàm Regulares huiuſmodi nullis priuilegijs, & exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci ſimiliter, tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.* Et quia dubitabatur, an ſub illis verbis, *Si deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes*, comprehenderetur alloquutio cum Monialibus. Sacra Congregatio Concilij reſpondit, comprehendi. Ita autem declaratio ſe habet. *Quæritur, an poſita dicta Conſtitutione, Regularis abſque legitima licentia accedens ad Monaſterium Monialium Regularibus ſubiectarum, ibique in loco colloquijs deſtinato cum Moniali colloquens à Diœceſano Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato coercere, & puniri poſſit. Sacra Congregatio Cardinal. Concilij Tridentini interpretũ cenſuit, poſſe. Quam Congregationis ſententiam Vrban. VIII. ad ſe relatam approbauit.* Coſmus *Cardinalis de Torres.* Proſper *Fagn*anus *S. Congregat. Secret.* fuit autem impreſſa *Romæ apud Cameræ Apoſt. Typograph. anno* 1624 Verum neque in his conceditur facultas procedendi per cenſuras contra transgreſſores.

7 Reſoluendum itaq; eſt, quod cenſuræ latæ ab Epiſcopis contra alloquentes Moniales, non afficiant Regulares exemptos, ſiue habeant priuilegium, quod non poſſint cenſuris affici, ſiue non. Et ratio eſt, quia vel iſtæ cenſuræ ſunt latæ auctoritate, & facultate ordinaria, & tunc certum eſt, quod non afficiunt Regulares exemptos, quia cenſura lata facultate ordinaria non afficit niſi ſubditos per tex. expreſſum Cap. *A nobis.* 1. De *ſentent. excommunicat.*

8 Si verò ferat cenſuras facultate delegata, tunc neque afficient Regulares exemptos. Quia facultas delegata in ordine ad ipſos nõ extenditur ad ferendas cenſuras per modum legis, aut ſtatutis; ſed ſolum ad puniendos Regulares transgreſſores: vnde ſolum poſita transgreſſione ſubintrat delegatio, vt conſtat ex citatis verbis Bullæ Gregorij XV. *Ab Epiſcopo loci ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.* vbi ponderandum eſt, quod facultas delegata eſt tantum ad puniendum, & corrigendum. vnde cum punitio, & correctio ſupponat transgreſſionem, non poteſt exerceri facultas delegata, niſi circa delicta, & transgreſsiones. Rurſus etiam dicitur, quod procedere valeat auctoritate delegata, quoties, & quando

opus

opus fuerit, & proinde delegatio eſt ſolum ad caſus ſpeciales in facti cõtingentia, non autem ad auctoritatiuè prouidendum per cenſuras, ne contingant tranſgreſsiones.

An licentia pro Regularibus alloquendi Moniales ſe extendat ad Socios. Quæſt. 258.

1 *Licentia alloquendi Moniales pro* Regularibus *an ſe extendat ad ſocios.*
1 *Licentia viſitandi Sepulchrum Domini conceſſa regulari cenſetur conceſſa etiam pro ſocio.*
2 *Licentia accedendi ad Monaſterium Monialium facta* Regulari, *cenſetur facta etiam ſocio.*
3 *Facultas alloquendi Moniales requirit iuſtam, & rationabilem cauſam.*
4 *Quomodo in annexis ſit idem iudicium.*
4 *Connexa in eo, in quo ſunt ſeparaiblia, non habentur pro connexis.*
5 *Quomodo licentia cõceſſa* Regulari *ſe extendat etiam ad ſocios.*

1 QVod ſe extendat, tradunt Rodriquez *tom.3. Quæſt. Regular. quæſt.6. ar.2.* qui tamen loquitur ſolum de acceſſu ad Monaſteria Monialium, non autem de allocutione. Tamburin. *De iure Abbatis. diſp.26. quæſt.3. num.2.* Peirin. *tom.3. Priuileg. in Addit. ad Conſtit. Pij V. Cap.6. num.1.* citant etiam Ricciũ *par.1. Praxis. Reſol.*745. Sed hoc apud ipſum non inueni. Fundamentum ipſorum eſt, quia de Connexis eſt idem iudicium. Cap. *Tranſlato. De conſtit.* ergo id, quod cõceditur Regulari, conceditur etiam ſocio; præſertim quia gratia Domini extenditur ad Familiares. Deinde licentia Papæ viſitandi Domini Sepulchrũ extenditur etiam ad ſocium à Superiore aſsignandum. ergo etiam licentia alloquendi Moniales.

2 Non eſt tamen hæc ſententia admittenda, quia licet locum habeat quò ad acceſſum ad Monaſterium, nam ex regulæ præſcripto debent Regulares cũ ſocio incedere, cum hoc ſpectet ad decentiam ſtatus religioſi; vnde cum nihil concedatur, quod ſit indecens, quia conceſſio omnis eſt intra terminos rationis, & omne indecens extra terminos ipſius, non cenſetur concedi, quod religioſus accedat incomitatus ad Monialium monaſteria; & proinde licentia accedendi cenſetur conceſſa etiam pro Socio. & valet, quod in cõnexis ſit idem iudicium, quia talis acceſſus dicit neceſſariò connexionem cum ſocio ex vi decentiæ ſtatus religioſi. Quod tamen ſolum valet quò ad eos Religioſos, qui hanc decentiam ſeruant incedendi cum ſocio, quando acceſſus ipſe ad Monaſteria eſſet prohibitus.

3 Quò ad allocutionem tamen nullo pacto extendenda eſt licentia regularis ad ſocium. Vt enim concedi poſſit licentia alloquendi Moniales, debet interuenire iuſta, & rationabilis cauſa, vt habetur in Cap. *Periculoſo. De ſtatu Monachor.* innouato etiam quò ad hoc à Pio V. vt dictum eſt *quæſt. præced. nu.5.* ex eo autem, quod quis aſſocietur eum, qui habet licentiam alloquendi, non habetur rationabilis cauſa pro alloquutione.

4 Deinde in Connexis eſt quidem idem iudicium, vt habetur ex *dicto tex.* & alijs pluribus, ſed in eo, in quo ſunt connexa, & inſeparabiliter ſe habent: non autem in eo, in quo non ſunt connexa *l. Eum actum. ff.* De *negoc. geſt.* vbi Doctores, Aretin. *in Cap. Tranſlato. nu.3.* De *Conſtit.* Alexan. de Næuo. *in Cap. Si duobus. num.13.* ver. *Quod ſi appellans.* De *appellat.* Imola *Conſil.139.* Menoch. *Conſil.421. nu.64.* & *De arbitr. Caſu 91. nu.9.* Surdus *De alimen. Tit.9. quæſt.31. nu.15.* ver. *Secundo.* Gratian. *Diſcept. forens. Cap.641. num.15.* vbi latè. Pacian. *De*

*probat. lib.*1. *cap.*26. *num.*40. & 94. ver. *Sexto.* Scaccia *De appellat. quæſt.*17. *limit.* 21. *num.*30. ver. *Connexa.* Quando autem non ſunt inſeparabilia,& vnum poteſt ſtare ſine alio, non ſumus amplius in connexis, ſed in ſeparatis per ea, quæ notant Iaſ. *in l. Sed & ſi plures.* §.1. *not.*2. *ff.* De *vulg. & pupil. &c.* Craueta *Conſil.* 232. *num.*1. Boer. *Conſil.*7. *num.* 1. & *ſequent.* Couaruu. *Quæſt. practicar. Cap.*34. Menoch. *De recuperan. poſſeſ. Remed.* 1. *num.*377. & 378. Regularis autem, & ſocius non ſunt connexi in alloquutione cum Monialibus, quia optimè poteſt alloqui abſque eo, quod ſocius alloquatur; vnde ſunt ſeparata; non ergo quod conceditur vni, cenſetur alteri quoque conceſſum.

5 Et ex hoc diſſolutum manet fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Nec eſt eadem ratio de licentia inuiſendi ſepulchrum Domini Noſtri; quia cenſetur conceſſa habita ratione decentiæ ſtatus religioſi, & etiam neceſſitatis, & ideo etiam pro ſocio; quia eſſet valde durum, ſine ſocio aſſumere tam longam peregrinationem. Vnde eſt eadem ratio, ac de acceſſu ad Monaſterium Monialium proportionaliter loquendo; & hoc ex illo infertur, non autem eadem eſt ratio ac de alloquutione, vt conſtat ex dictis.

An prælati ſæculares habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & Vicarij Epiſcoporum incurrant pœnas Gregorianæ, ſi extra caſus neceſſitatis ingrediantur Monaſteria Monialium, &c. Quæſt. 159.

S V M M A.

1 *Vicarij Epiſcoporum, & Prælati habentes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem an ſubſint pœnis Gregorianæ contra ingredientes clauſuram Monialium & nu.*2.
3 *Nemo, qui ratione muneris poteſt ingredi clauſuram Monialium, poteſt ad libitum ingredi.*
3 *Ex proemio habetur mens diſponentis.*
4 *Diſpoſitio Gregorianæ contra ingredientes clauſuram Monialium eſt vniuerſalis quò ad omnes, qui ijs præſunt.*
5 *Dictio,* Omnis, *ita omnes comprehendit, vt nullum excludat.*
5 *Non recipit reſtrictionem.*
5 *Includit, quæ aliàs non includerentur.*
6 *Dictio,* Quouis modo, *comprehendit, quæ aliàs non comprehenderentur.*
6 *Includit maiora expreſſis, nec recipit reſtrictionem.*
7 *Lex diſponens de aliqua materia, diſponit de ijs omnibus, in quibus locum habet illa materia.*
8 *Vbi eadem ratio, ibi eadem lex, non extenſiuè, ſed diſpoſitiuè.*
9 *Lex fauorabilis extenditur ad omnes, qui comprehenduntur ſub verbis legis.*
9 *Diſpoſitio Gregorianæ quò ad ingreſſum clauſuræ eſt fauorabilis Monialibus.*
10 *Extenſio legis ex quibus verbis attendenda.*
11 *Nomine Epiſcopi quando veniant Prælati inferiores.*
11 *Quando Vicarij Epiſcoporum.*
11 *Diſpoſitio Tridentini quò ad vnionem beneficiorum extenditur ad Prælatos inferiores.*
11 *Diſpoſitio Tridentini quò ad viſitationem extenditur etiam ad alios Prælatos.*

1 NEgatiuè reſpondet Pelliciarius *De monialibus cap.* 5. *ſect.*3. *num.*113. citans Sanchez *lib.*6. *ſum. cap.*16. *num.*99. quia in Conſtitutione Gregorij VIII. fit tantum mentio Prælatorum habentium dignitatem Epiſcopalem, & Prælatorum Regularium: vnde cum odia debeant reſtringi, non ſunt pœnæ extendendæ ad Prælatos Sæculares habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; nec ad Vicarios Epiſcoporum. Quod autem fiat tantum mentio prælatorum habentium dignitatem Epiſcopalem, conſtat ex verbis *Bullæ,* Quæ eſt *in Bullario* 28. *Greg. XIII.* edita *anno* 1581. *die* 23. *Decembris. in Declaratione dubiorum.* §. 1. ibi. *Quocirca vniuerſos, & ſingulos Epiſcopali, ſeu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, nec non quorumuis Ordinum Abbates, Prio-*

res

res, Ministros, & alios quoscunque Superiores Regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquā in casibus, vt præfertur, necessarijs neutiquam vtantur.

2 At oppositum ex eadem Constitutione omnino tenendum est, & proinde neque Vicarios Episcoporum, neque Prælatos sæculares habentes dignitatem quasi Episcopalem posse extra casus necessarios ingredi Monasteria Monialium, quarum cura ipsis incumbit, & si ingrediantur, incurrere pœnas præfatæ Constitutionis. Et hoc desumitur ex ipsa determinatione Pontificis.

3 Ratio autem est. quia vniuersaliter dubitabatur, an ij, qui sine aliorū licentia possunt ingredi Monasteria Monialium, possent pro libito ingredi, an verò tenerentur seruare regulam Cōcilij Tridentini, vt constat ex Proemio Bullæ. ibi. *Cum igitur super eo, quod optima primum ratione Concilium sanxit Tridentinum; deinde in Constitutione fel. recor. Pij Papæ V. Prædecessoris nostri Nonis Iulij Pontificatus nostri anno tertio, atque item nostra Idibus Iunij Pontificatus nostri anno quarto editis, fuit prouisum, ne cui imposterum nisi in casibus necessarijs, septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius seruare debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam.* Cum ergo ex proemio colligatur mens disponentis *l. Item quia. §. fin. ff.* De *pactis*. & *l. Cum hi. init. ff.* De *transact.* eo ipso, quod Pontifex proponit dubium vniuersale de omnibus, qui non indigent alterius licentia pro ingressu Monasteriorum Monialium, censendum est, intentionem ipsius fuisse de his omnibus disponere.

4 Rursus dispositio quoque est vniuersalis quò ad illos omnes, quibus cura Monialium incumbit. ait enim Pontifex. §. 1. *eiusdem Bullæ. Nos omnem hæsitationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac sanctimonialiū quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tàm Sæculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis ijsque senioribus, ac religiosis personis comitati.* Ex quibus constat, dispositionem esse vniuersalem, & pertinere ad quoscunque, quibus cura Monialium incumbit.

5 Loquitur enim de Prælatis omnibus. Dictio autem, *Omnis*, ita est vniuersalis, vt omnes comprehendat, & nullū excludat. *l. Iulianus.* & *l. Testatorem. init. ff.* De *legat. 3.* & *l. In hoc articulo. ff.* De *hæred. instit.* Nec vllam recipit restrictionem, vt notant Bar. *in l. Generali. §. Vxori. ff.* De *vsufruct. leg.* Ruin. *Consil. 61. n. 15. volum. 5.* Rolan. à Valle *Consil. 27. num. 22.* & *Consil. 76. num. 49. vol. 4.* Imo includit ea, quæ aliàs non includerentur, vt notant. Bart. *modo citat.* Natta. *Consil. 160. num. 29. tom. 1.* Gratian. *Consil. 5. num. 59.* & *Consil. 65. num. 3. lib. 2.* Surd. *Decis. 255. n. 8.* & *Consil. 453. nu. 44.* & *Consil. 466. nuu. 25.* Roland. *Consil. 87. num. 8. vol. 4.* Mascar. *de probat. concl. 148. num. 9. vol. 1.*

6 Quod similiter colligitur ex alia dictione, qua vtitur Pontifex, nempe, *Quouis modo.* Talis enim dictio ita generalis est, vt comprehendat etiam, quæ aliàs non cōprehenderentur, vt notant Dec. *Consil. 486. nu. 2.* Syluan. *Consil. 25. num. 18.* Socin. iun. *Consil. 2. nu. 21. vol. 1.* Hyppolit. *Consil. 80. num. 44.* Cephalus *Consil. 121. num. 2. vol. 1.* Menoch. *De recuper. possess. Remed. 6. num. 16.* & *Consil. 550. nu. 10.* Stracha *De mercat. par. 1. num. 83.* Et proinde est talis naturæ, vt includat etiam maiora expressis, & reijciet omnem interpretationem restrictiuam per ea, quæ notant Glos. *in Clement. Ne Romani.* verbo, *Quouis modo.* De *sent. excommunicat. in 6.* Menoch. *Consil. 496. num. 66. & 67.* Octauian. Vulpel. *De præposit, & aduerb. significat.* vbi De hac dictione, *Quouis modo.*

7 Præterea. Quando lex non dispo-

nit per se primò de personis, sed de aliqua materia, comprehendit omnes personas, in quibus locum habet illa materia, nam ratione materiæ trahuntur ad subiectionem respectu legis, quia in ipsis est casus legis, & proinde cessat dubium, & disputatio, an comprehendantur sub lege, an non, vt notant Glos. *vlt. in l. Ancillæ. C. De furtis*. Dec. *Consil.* 452. *in fine.* Craueta *Consil.* 273. *nu* 3. Becc. *Consil.* 14. *num.* 28. *vol.* 1. Surdus *Consil.* 53. *num.* 6. & *Consil.* 58. *nu.* 6. Paris. *lib.* 9. *De resignat. num.* 2. Sesse *Decis. Aragon.* 153. *num.* 25. Tusch. *Littera L. Conclus.* 259. *nu.* 4. Marius Antonin. *lib.* 1. *Variar. resol.* 46. *nu.* 1. & *lib.* 2. *resol.* 51. *n.* 5. In casu autē nostro dispositio Pontificis habet pro materia vsum facultatis ingrediendi Monasteria Monialium, quò ad eos, qui ex officio possunt ingredi absque aliorum licentia, quam facultatem ita moderatur, vt reducat ad casus necessarios; ergo facultas ista est moderata in quocunque sit, etiā si non habeat Pontificalem dignitatem, nec sit Prælatus regularis.

8 Quod eò amplius constat; nam quando adest eadem ratio, adest etiam eadem lex non extensiuè, sed dispositiuè. *l. His solis.* ver. *Satis etiam cautè*. C. De *reuocan. donat.* & *l. Illud.* C. De *Sacrosanct. Eccles.* & *l. Item veniunt.* §. *Ait Senatus. ff.* De *petit. hæred.* & notant communiter, præsertim Tiraquel. *in l. Si vnquam.* verbo. *Libertis. num.* 45. & 46. C. De *reuoc. donat.* Surd. *Decis.* 286. *nu.* 8. Gutierez *lib.* 3. *Pract. quæst.* 17. *num.* 84. Gonzalez *Ad Reg.* 8. *Cancel.* §. 7. *proem. n.* 105. Rebuf. *ad l. In lege censoria. nu.* 203. *ff.* De *verbor. significat.* Eadem autem ratio est in omnibus, quibus cura Monialium incumbit, siue habeant Pōtificalem dignitatem, siue nō quò ad facultatem ingrediendi monasteria, cum de eodem quò ad omnes agatur, & de restrictione facultatis ingrediendi septa Monialium ad casus necessarios, vt non sit liberum habentibus facultatem ex officio, pro libito ingredi.

9 Quod etiam confir. ex fine legis, qui est fauor Monialiū: habet enim Pōtifex. *Nos omnes hæsitationis materiam tollere volentes, & viam scandalis præcidere, ac sanctimonialium quieti consulere volentes, &c.* hic autem finis habet locum in omnibus, qui curam gerunt Monialiū, etiam si nō habeant Pontificalem dignitatem, quia & per ipsos turbaretur quies Monialium, si pro libito ingrederentur earundem monasteria. Vbi autem finis habet locum, habet locum etiam dispositio legis, quia attendenda est mens, & intentio legis *l. Scire leges. ff.* De *legib.* & *l. Non aliter. ff.* De *legat.* 3. Imo cum lex sit condita in fauorem Monialium, debet extendi ad omnes, qui quocunque modo comprehenduntur sub verbis legis fauorabilis, quam inter alios tradunt Bald. *in l. Qui se patris.* C. *Vnde liberi.* Castrens. & Salycet. *ibid.* Cancer. *par.* 2. *Variar. Resol. Cap.* 1. *nu.* 186. Suarez *lib.* 6. *De legib. cap.* 2. *num.* 5. Salas *disp.* 21. *de legib. sect.* 3. Palaus *par.* 1. *Oper. moral. tr.* 3. *disp.* 5. *p.* 3. §. 3. *num.* 8. Bonac. *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *p.* 8. *nu.* 9. Ij autem, qui habent curam Monialium, etiam si non sint Regulares, nec habeant Pontificalem dignitatem, comprehenduntur sub illis verbis Cōstitutionis, *Prælatos omnes, tam sæculares, quàm regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialiū quouis modo incumbit*. Imo Pontifex non præstitisset, quod, ait, se præstare velle, inquit enim. *Nos omnes hæsitationis materiam tollere volentes*. Non sustulisset autem omnem materiam dubitandi, nisi disposuisset quoque de ijs, qui habent curam Monialium, & non sunt Regulares, nec habent Pontificalem dignitatem.

10 Nec obstat, quod *num.* 1. pro opposita parte allatum est, quia verba illa. *Quocirca vniuersos, & singulos Episcopali, &c.* non sunt verba dispositiua, sed hortatiua ad seruandam dispositionem præmissam, vt constat ex verbis subsequentibus, *Seriò monemus*; Extensio autem legis attendenda est ex verbis dispositiuis; non autem ex hortatiuis. Et certè monstruosum esset, quod Episcopus nō possit vti ad libitum facultate, quam habet, ingrediendi septa Monialium; & quod posset Abbas exemptus, & vicarius eiusdem Episcopi in absentia ipsius.

11 Imo stando in his verbis comprehenduntur alij quoque, qui non habent pontificalem dignitatem. nam nomine Episcopi veniunt etiam Prælati inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. Vnde dispositio Tridentini *sess.* 21. *cap.* 5. *De reformat.* quò ad vnionem beneficiorum, licet loquatur de Episcopis, extenditur etiam ad alios Prælatos, vt quamplures citans notat Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 29. *num.* 160. & Barbosa *De potest. Episcopi allegat.* 66. *nu.* 14. qui similiter alios citat. Sic etiam eadem *sess. cap.* 8. *de reformatione* dispositio quò ad visitationem, licet procedat quò ad Episcopos, extenditur etiam ad hos Prælatos, vt cum pluribus notat Barbosa ad *citat. Cap.* 8. *Concilij Tridentini*. Imo etiam appellatione Episcopi venit Vicarius Generalis, nisi excludatur, vt notant Glos. *in Cap. vnicum.* verbo. *Per Episcopos*. De capel. monach. in 6. Franc. *nu.* 4. Felin. *in Cap. Si quis contra.* *num.* 4. ver. *Sed caue.* De foro compet. Conrad. Lancel. *in tem. om. iud. lib.* 6. *cap.* 6. §. 1. *nu.* 11. & 15. Sbrozzius. *De offic. Vicar. lib.* 2. *q.* 43. *nu.* 28. & *quæst.* 201. *nu.* 2. Garzias *part.* 5. *de Benef. cap.* 8. *num.* 52. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disp.* 29. *n.* 16. & *lib.* 6. *in Decal. cap.* 15. *num.* 30. Suarez *tom.* 5. *De censur. disp.* 7. *sect.* 3. *num.* 10. Narbona *De appellat. à Vicario ad Episcopum part.* 1. *nu.* 217. Maceratens. *Variar. Resol. lib.* 1. *Resol.* 112. *Casu* 31. ver. *Et pro dicta*. Paris. De *resignat. lib.* 7. *quæst.* 24. *num.* 79.



An in admittendis de nouo Congregationibus Clericorum Sæcularium conuocandi sint Regulares, &c. Quæst. 160.

S V M M A

1 *Regulares non possunt fundare noua monasteria, nisi cum consensu Episcopi, & conuocatis alijs Regularibus.*
2 *Idem decretum innouatum iussu Gregorij XV. à S. Congregatione, & insuper debet interuenire consensus aliorum Regularium.*
3 *Idem decretum innouatum ab Vrb. VIII.*
4 *Lex odiosa non extendenda ex similitudine rationis.*
4 *Clerici non veniunt nomine religiosorum.*
5 *Pro fundatione Congregationis Clericorũ sæcularium requiritur consensus regularium.*
6 *Vbi adest identitas rationis adest eadem lex comprehensiuè, non extensiuè.*
7 *Extensio comprehensiua habet locum in lege pœnali.*
8 *Et in pœnali, & correctoria simul, quando est expressa in lege ratio ipsa.*
9 *Constitutio, quod non possint fundari noua monasteria sine consensu Regulariũ præexistentium, est fauorabilis.*
9 *Quando lex censenda sit fauorabilis.*
10 *Constitutio, quod non possint fundari noua monasteria &c. est fauorabilis etiam de nouo introducendis.*
11 *An confessarij sollicitantes pueros debuerint denunciari ante Constitutionem Gregorij XV. contra sollicitatores.*
11 *Casus, in quo militat eadem ratio, dicitur comprehensus sub expresso.*

1 Clemens VIII. *in sua Constitutione*, quæ incipit. *Quoniam ad institutam*. edita anno 1603. & est in *to.* 3. *Bullarij* 99. *Constitutio.* decernit, quod imposterum non obstantibus priuilegijs nõ possit Episcopus

pus concedere facultatem Regularibus erigendi noua Monasteria, nisi vocatis, & auditis Regularibus in eodem loco existentibus. Ita enim habet. *Motu proprio, & ex certa scientia harum serie declaramus, Locorum Ordinarios non posse licentiam ad nouos Conuentus quibusque etiam Mendican. Ordinib. in Ciuitate, & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos impartiri, nisi vocatis, & auditis in eiusdem ciuitate, & locis existentibus Conuentuum Prioribus, seu procuratoribus & alijs interesse habentibus; & causa seruatis seruandis cognita constiterit, in eisdem ciuitate, & locis nouos eiusmodi erigendos conuentus sine aliorum detrimento commodè substentari posse.*

2 Et hoc decretum fuit innouatum à Sacra Congregatione habito viuo vocis Oraculo Gregorij XV. *sub die* 27. *Augusti* 1621. *in Constitutione*, quæ incipit. *Cum alias*. & addidit, quod debeat interuenire consensus aliorum Regularium, Ita enim habet. *Volens, quod de cætero Monasterium, Conuentus, Domus, Congregationes, Societas Religiosorum, seu Regulariũ cuiuscunque etiam Mendicantiũ Ordinis, Societatis, & Instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiam si de illis particulis expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacunque ciuitate, vel oppido, seu quocunque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac redditibus, & ex consuetis eleemosinis substentari valeant; ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum huiusmodi, non solum in prædictis, sed etiam in alijs per quattuor millia passum circumuicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint; vel aliàs Ordinarijs locorum constiterit, Religiosos Monasterij, Conuentus, seu Domus Regularis sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosorum in Monasterijs, seu Domibus antea in ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse.*

3 Hæc eadem Constitutio innouata fuit etiam ab Vrbano VIII. *in sua Constitutione*, quæ incipit. *Romanus Pontifex. sub die* 28. *Augusti* 1624. *vbi* §. 2. habet. *Præterea ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regulariũ Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, cæterisque personis, ad quos spectat in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum quoruncunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinendi, nec non excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, siue alio quouis prætextu, vel causa, etiam quantumuis priuilegiata, noua Monasteria, Collegia, Domus, Conuentus*, & *alia loca Regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, nec non Constitutionis. fel. recor. Clementis VIII. Quæ incipit. Quoniam ad institutum. sub Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris* 23. *Iulij* 1603. *ac Decretorum de mandato eiusdem Clementis, nec non sim. mem. Gregorij XV. Rom. Pont. Prædecessorum, desuper editorum forma recipere, erigere fundare, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incœpta finire, & absoluere audeant, seu præsumant.* Stantibus ergo his Constitutionibus dubitatur, an locum habeant etiam in Congregationibus Clericorum sæcularium.

4 Pars autem negatiua videtur suaderi, quia, cum simus in odiosis, debemus accipere verba Constitutionis, sicut sonant, nec extendere ad alios casus, etiã si in ipsis militet similis ratio, sic ante Constitutionem Gregorij XV. *De sollicitantibus*, & *Declarationem* Pauli V. Confessarius, qui sollicitasset puerũ, non erat denunciandus, cum tamen militaret eadem ratio. Tum quia nomine Religiosorum non veniunt Clerici, nisi in lata significatione, & in fauorabilibus, & proinde non cõprehenduntur in dicta Cõstitutione sub nomine religiosorũ, præsertim quia religiosi explicantur etiam sub nomine Regularium in ijsdem Constitu-

stitutionibus, quæ loquuntur etiam de locis Regularibus.

5 Tenendum tamen, quod etiam Cõgregationes Clericorum sæcularium, si eleemosinas recipiant, comprehendantur sub prædictis Constitutionibus; atque adeo quò ad receptionem ipsarũ seruandam esse formam præscriptam in ijsdem Cõstitutionibus. Ita docent Nouar. *Decis.* 206. Riccius *par.* 4. *Decis.* 222.

6 Ratio autem est, quia dato quod dictæ Constitutiones essent odiosę, adhuc tamen haberent locũ in prædictis Congregationibus, non per extensionem, sed per comprehensionem. Quando enim adest identitas rationis, præsertim expressæ in lege, ibi adest eadem lex, non extensiuè, sed comprehensiuè. *l. His solis.* ver. *Satis etiam cautè.* C. De *reuocan. donat.* & *l. Illud.* C. De *sacrosanct. Eccles.* & *l. Item veniunt.* §. *Ait Senatus.* ff. De *petit. hæred.* & *l. Emptor.* §. *Ancilla.* ver. *Si tamen.* ff. De *rei vendicat.* Quia nimirum lex disponit de materia, vt stat sub illa ratione: vnde per se primò disponit de ratione vt de fine, de materia verò, vt de subiecto, in quo lex sortitur, suũ finem. & ideo ratio legis, cum secundum se totam sit sub dispositioue legis, extendit necessariò legem siue fauorabilem, siue odiosam ad totam materiam, quam sibi substernit, ita vt non possit non extendere, quia non potest non subijcere materiam legi, in qua est, dum ipsa secundum se totam est sub dispositiones legis. Ratio autem prædictarum Constitutionum est, quod nouæ Congregationes cõmodè ex eleemosinis sustentari possint, & quod non sint alijs iam fundatis detrimento. Quæ ratio reperitur in omnibus Congregationibus, quæ eleemosinas percipiunt, siue sint Regularium, siue sæcularium.

7 Hinc extensionem comprehensiuam habere locum in lege pœnali, licet sit odiosa, docent Imola *in Cap.* 1. De *tempor. ordin. in* 6. Geminian. *ibid.* Panorm. *in Cap. fin. num.* 10. De *rescrip.* & *in Cap. Nihil. nu.* 9. De *elect.* Rolan. *Consil.* 27. *nu.* 48. *lib.* 1. Gomez *lib.* 1. *Variar. cap.* 5. *num.* 11. Osasc. *Decis. Pedemon.* 67. *num.* 8. ver. *Quod in pœn.* Crot. *Consil.* 135. *num.* 28. 34. & 35. Villag. *Rubr. De extens. leg. pœn. tan. num.* 1. Couaruu. *Cap. Alma mater. par.* 2. §. 4. *num.* 7. Euerar. *loco à ratione legis ampla ad extens. ipsius.* ver. *Debet ergo.* Nauar. *in Cap. Pœnæ. De pœnit. dist.* 1. Gutier. *lib.* 1. *Quæst. canon. cap.* 10. *num.* 13. Syluester *verbo.* Lex. *quæst.* 18. Molina *lib.* 1. *De primogen. cap.* 5. *num.* 10. Suarez *lib.* 6. *De legib. cap.* 4. *n.* 2. Sanchez *lib.* 3. *De matrim. disp.* 42. *num.* 4. Talis nanquam extensio non est aliud, quàm explicatio illius, quod inest dispositioni legis, licet per verba non explicetur, argum. Cap. *Si postquam.* §. *Si verò.* De *elect. in* 6. Sic etiam quod implicitè, habetur in Scriptura sacra est de fide, & continetur sub reuelatis; & solum requiritur declaratio Ecclesiæ.

8 Imo etiam in lege correctoria, & pœnali simul fit extensio comprehensiue ex identitate rationis, quando ratio est expressa in lege, vt docent Glos. *in Clement.* 1. verbo. *Eligatur.* De *elect.* Cardinal. *ibid.* ver. *Vigesimo secundo quæro.* Ancharan. ver. *Quarto nota.* Imola *n.* 18. ver. *Ex ista Glos.* Anton. *in Cap. fin.* ver. *Fallit primò.* De *consuetudine.* Bald. *in Authen. Quas actiones.* C. De *sacrosanct. Eccles.* Bolognet. *in l. Omnes populi. n.* 130. ff. De *iust.* & *iure.* Anton Gabr. *tom.* 2. *com. Opinion. lib.* 17. *init.* testans de communi. Gutierez *par.* 3. *De iuram. cap.* 2. *num.* 8. Villagut *Tit. De extens. leg. correct. & pœn. num.* 36. alios citans. Euerar. *Loco à ratione legis ampl.* ver. *Sed danda.* Vasquez *de succes. creat.* §. 28. *init.* Nauar. *Cap. Pœnæ. num.* 10. De *pœnit. Dist.* 5. Sanchez *lib.* 3. *De matrim. disp.* 42. *num.* 4.

9 Addo tamen, quod prædictæ Constitutiones non sunt odiosæ, sed fauorabiles. Tunc enim lex censenda est fauorabilis, etiam si contineat odium alicuius, quando per ipsam primariò intenditur fauor alicuius, vt communiter docent Glos. *in Cap. Si propter.* verbo. *Primi anni.* De *rescriptis. in* 6. Domin. *nu.* 9. Francus. *num.* 6. Item *Glos. in Cap. Sciant cuncti.* verbo. *Alios.* De *elect. in* 6. Io Andreas & Geminian. *ibid.* Felin. *in Cap.* 1. De *sponsalib. num.* 14. ver. *Aliud est.* & *in*

Cap.

An Episcopus possit sibi reseruare aliquem casum concernentem violationem Clausuræ respectu Monialium exemptarum. Quæst. 161.

S V M M A.

1 *Affirmatiua opinio.*
1 *Episcopi sunt delegati Sedis Apostolicæ pro restituenda, & conseruanda clausura monialium.*
2 *Episcopi non possunt sibi reseruare casus concernentes violationem clausuræ monialium exemptarum.*
2 *Quam delegationem habeant Episcopi in ordine ad clausuram monialium exemptarum. & num. 3.*
3 *Quid sit reseruatio casuum.*
3 *Quæ iurisdictio requiratur pro reseruatione casuum.*
4 *Casuum reseruatio pertinet ad ecclesiasticam disciplinam.*
4 *Quinam possint sibi reseruare casus.*
5 *Violatio clausuræ est reseruata Summo Pontifici.*
5 *Episcopi non possunt sibi reseruare casus iam reseruatos Summo Pontifici.*
5 *Vbi Princeps manum apponit, non potest inferior se ingerere.*
5 *Causa introducta coram Principe non potest ab alio iudicari.*

1 TRadunt affirmatiuam sententiam Pelizzarius *tract. de Monial. sect. 1. cap. 10. n. 48.* Quia ex Tridentino *sess. 25. cap. 5. De Regul.* constituuntur Episcopi Sedis Apostolicæ delegati in ordine ad restituendam, & conseruandam clausuram Monialiũ exemptarum, ita vt habeant facultatem visitandi clausuram. Cum ergo habeant facultatẽ delegatam supra Moniales in ordine ad clausuram, poterunt etiam sibi reseruare ea peccata, quę circa clausuram committuntur.

2 Sed negatiua sententia tenenda est, quia delegatio, quam concedit Cõcilium Tridentinum Episcopis in ordine ad clausuram Monialium exemptarum, est solum in foro externo, vt cõstat ex verbis ipsius Concilij dicta *sess. 25. cap. 5. de Regularib.* ibi. *Sancta synodus &c. præcipit, vt in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinaria; in alijs verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione postposita, compescentes; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.* Reseruatio autem casuũ pertinet ad iurisdictionem fori interni, quia licet sit actus superioritatis exercitus in foro externo, est tamen circa iurisdictionem, quæ est exercenda in foro interno, & circa iudicium conscientiæ, & proinde fundatur in iurisdictione fori interni, & non in sola delegatione pro foro externo.

3 Rursus cum reseruatio sit restrictio iurisdictionis in ordine ad absolutionem sacramentalem, vt notant communiter, præsertim. Nauar. *in Manuali. Cap. 27. num. 259.* ex D. Antonino. Gyptius *Cap. 1. De casib. reserua. nu. 13.* Reginal. *lib. 1. Praxis fori Pœnit. num. 144.* Finel. *De casib. reser. cap. 5. num. 3.* Gambarup. *De casib. reseruat. Cap. 4. num. 30.* Floronus *par. 1. de casib. reser. cap. 1. nu. 3.* Laiman. *lib. 5. Theol. moral. tr. 6. cap. 12. num. 1.* sequitur, quod requirat iurisdictionem circa eos, quibus restringitur iurisdictio pro foro interiori, & quod iurisdictio restricta sit dependens à iurisdictione restringentis, vt notat etiam Laiman *citatus*. Et hoc totum desumitur etiam ex Concilio Trident. *Sess. 14. cap. 7. De sacram. pœnit.* ibi. *Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quia hoc idem* (nempe reseruare Casus.) *Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos*

tra-

tradita super reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quò ad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. vbi notãda sunt illa verba, *Supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate*. Per dictam autem delegationem Concilij Tridentini confertur solum iurisdictio in ordine ad clausuram Monialium restituendam, & conseruandam: non autem tribuitur aliqua iurisdictio supra Prælatos Ordinarios Monialium, & ideo non poterunt Episcopi reseruando sibi aliquem casum restringere auctoritatem, & iurisdictionem Prælatorũ Ordinariorum, aut eorum, qui eam habent supra Moniales in foro conscientiæ à Prælatis Ordinarijs. Hæ namque sunt diuersæ iurisdictiones, & facultates, vt per se constat.

4 Ex quo etiam fit, quod ad solos Prælatos Ordinarios, aut eos, quibus iurisdictio ipsorum ordinaria subijcitur, pertineat Casus reseruare. Casuum namque reseruatio pertinet ad Ecclesiasticam disciplinam, vt habet Trident. *Sess.*14. *cit. cap.*7. *de Pœnit.* Moderari autem ecclesiasticam disciplinam, & statuere, quæ ipsam concernunt, pertinet solum ad prædictos prælatos, non autem ad eos, qui habent specialem delegationem ad aliquam causam in particulari. Quod *ibid.* in Trident. significatur, dum facultas reseruandi casus declaratur esse in Sũmo Pontifice, & in Episcopis, atque adeo in omnibus, qui veniunt appellatione Episcoporum pro suis subditis taxatiuè, & diœcesi, quo significatur pertinere ad potestatem ordinariam. Vnde ij solum possunt sibi reseruare casus, qui habent iurisdictionem Episcopalem, aut quasi Episcopalem ordinariam, vt notant Floronus *De casibus reser. cap.*2. *num.*1. Bonac. *quæst.*7. *De pœnit. punc.*5. *proposit.*1. Megal. *par.*1. *Instit. cap.*11. *n.*2. Miran. *tom.*2. *Manual. quæst.*24. *art.*1. Coriolan. *De casib. reseruat. sect.*1. *art.*1. *num.*11. Bordon. *in Consil. Regular. Resol.*37. *n.*29. Rodriquez *in Compen. quæst. Regular.* Resolut. 22. *num.*1. Graf. *Par.*1. *lib.*1. *Decis. cap.*13. *num.*71. Belloch. *De casib. reser. par.*1. *q.*2. *num.*14.

5 Denique. Violatio clausuræ quò ad Moniales quoque est reseruata Summo Pontifici per constitutionem Pij V. quæ incipit. *Decori.* ibi. *Aliter autem, quàm vt præfertur egredientes &c. excommunicationis maiori lata sententiæ vinculo statim eo ipso absq; aliqua declaratione subiacere, à quo, præter quàm à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant.* Vnde cum Episcopi neque quò ad proprios subditos possint sibi reseruare casus iam reseruatos Romanæ Sedi per Decretum Sacræ Congregat. *sub die* 26. *Nouemb.* 1602. apud Quarantam *in Sum. Bullarij. verbo.* Casus reseruati. §. *Cum autem.* editum ex speciali mandato Clement. VIII. ibi. *Prohibet etiam, ne sibi superfluè reseruent casus in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos*. Neque poterunt casum hunc Ordinarij sibi reseruare, & multo minus respectu Monialium exemptarum. Imo cum Pontifex apposuerit manum ad clausuram, & sibi reseruauerit, quæ iudicauit esse reseruanda, non poterit Episcopus facere aliquam reseruationem circa ea, quæ concernunt clausuram, quia vbi Pontifex manum apposuit, non potest inferior se ingerere, quia ligantur eius manus. Cap. *Vt nostrum.* De *appellat.* & notant Gonzalez. *De mensib. glos.* 52. *num.*27. Couaruu. *Cap.*9. *Pract. num.*4. Valasc. *Consult.* 105. *num.*63. Et proinde quando causa est introducta coram Principe, non potest inferior de ea amplius iudicare, vt docent. Innocent. *in Cap. Cum M. Ferrar.* De *constitut.* Baldus *in Cap.*1. §. *Ad hæc.* De *pace iuram. firm.* & *in l. Sicut proponis.* 1. C. Quomodo, *& quando iudex.* Salicet. *ibid.* Imola *in l. Si expressim. ff.* De *appellat.* Iaſ. *Consil.*9. *nu.*1. *lib.*3. Alban. *Consil.*73. *num.*1. Capel. Tholoſ. *Decis.* 481. *nu.* 4. Couaruu. *cap.*9. *Pract. num.*5. Menoch. *Consil.* 301. *num.*4.

An

An Episcopus possit inquirere, an Regulares satisfaciant oneribus Missarum ex vltima dispositione alicuius celebrandarum. Quæst. 162.

S V M M A.

1 *Opinio affirmans.*
1 *Episcopus an possit punire Regulares delinquentes circa exequutionem vltimarũ voluntatum, & num. 6.*
2 *Episcopus se ingerit quò ad opera pia, & exequutionem vltimarum voluntatum ex Trident.*
2 *Sed non quò ad Regulares.*
2 *Regulares specialiter sunt exprimendi, & quare.*
3 *Episcopi non possunt visitare Capellas Confraternitatum in Ecclesijs Regulariũ.*
4 *Celebratio anniuersariorum &c. non pertinet ad exequutionem vltimarum voluntatum.*
4 *Abbates, Præpositi &c. Regulares non tenentur reddere rationem Episcopo.*
5 *De quibus procedat Clement. vnica. De testamentis.*
6 *Priuilegium, quod Regulares non possint cõueniri coram Ordinario nec ratione delicti, nec ratione contractus est speciali nota dignum.*
6 *Vbi requiritur expressa mentio, non sufficiunt verba generalia.*

1 TRadit affirmatiuam sententiam Mãriquez *p.1. Quæst. Vicarialium quæst.63.n.6.* vbi vult, quod Visitatio Episcopalis in Ecclesijs Regulariũ se extendat ad Memorias, & Capellanias, quas defuncti pro suarum animarum salute in prædictis Regularium Ecclesijs reliquerunt ad missas, & anniuersarium quotannis celebrandum. Eius fundamentum est. Quia agitur de operibus pijs, & exequutione vltimæ voluntatis, in quo Regulares non eximuntur à potestate Episcopi, sed subsunt illius visitationi, & iudicio ex dispositione Concilij Trident. *Sess.22. Cap.8 & 9. De ref. mat.* & potest punire Regulares delinquentes circa exequutionem vltimarum voluntatum. Pro quo citat. Piasec. *in Praxi de visit. par.2. cap.3. nu.47.* Riccium *in Praxi. Tit. Praxis Regularium. Resol.654. nu.7.* Campanil. *in Diuers. iur. Can. Rubr. 12. cap.13. num.130. & sequent.* qui alios citat.

2 Sed fallitur primò. Quia Trident. in *citat. Cap.* non loquitur quò ad Regulares, sed quo ad alia loca pia exempta, nam ne verbum quidem habet de Regularibus. Quando autem Concilium constituit Episcopos delegatos, Sedis Apostolicæ etiam quò ad Regulares, id exprimit, vt constat pluribus in locis. Et quod non veniant nomine exemptorũ, sed sint specialiter exprimẽdi ex eo prouenit, quia sunt plenè exempti; habent suos immediatos Superiores; & visitãtur à proprijs Prælatis; & ideo adest specialis ratio, cur non omnia, quæ statuuntur circa exemptos, censeantur statuta etiam circa Regulares, nisi de ipsis fiat expressa mentio.


3 Hinc non possunt Episcopi visitare Altaria, & Capellas Confraternitatum sæcularium existentia in Ecclesijs Regularium, vt docent Galet. *in Margarita Casuum Conscient.* verbo. *Episcopus.* asserens, ita decisum fuisse. Genuens. *in Praxi Archiepiscop. Neapol. Cap.21. init.* Vgolinus *De offic. Episcopi. par.2. cap.49. S. 5. num. 3.* Ciarlin. *lib. 1. Controuer. Forens. Cap.65. num. 6.* Barbosa *par. 3. de Potest. Episcopi. alleg.75. num.13.* Sel. *in Select. canon. cap.22.* Aldan. *in Compen. Canon. resolut. lib.2. Tit.8.* referens declarationes S. Congregat. Episcop. & Regul. in *Papiensi 21. Augusti 1615.* & *in Terracinensi. 22. Ianuarij 1616.* Et hoc non alia ratione, nisi quia Concilium Tridentinum non comprehendit Regulares sub illis decretis *Cap.8. & 9. Sess.22.* Vnde etiam huiusmodi altaria, & Capellæ tanquam pars Ecclesiæ Regulariũ exem-

exemptorum non subiacent visitationi Episcopali.

4 Secundò. Quia celebratio missarum, & anniuersariorum non pertinet ad exequutionem vltimæ voluntatis, sed ad exequutionẽ obligationis assumptæ à Regularibus. Exequutio namque vltimæ voluntatis consumatur in eo, quod exequutores testamentarij faciant, quod à Testatore dispositum est; vnde cum à testatore institutum est, quod fundentur Capellaniæ, aut instituantur anniuersaria, aut detur Regularibus certa summa pecuniæ pro missis celebrandis, completur exequutio voluntatis vltimæ per id, quod fundatæ sint Capellaniæ, aut instituta anniuersaria, aut erogata pecunia pro celebratione missarũ. Nam quod spectat ad celebrationem missarum, & anniuersariorum, hæc est exequutio obligationis nascentis quasi ex contractu inito à regularibus cum exequutoribus testamẽtarijs: & est obligatio alterius generis, cum sit obligatio iustitiæ; & ibi incipit, vbi desinit exequutio vltimæ voluntatis. Et hæc doctrina est iuxta declarationem S. Congregationis, quam ex Armend. *lib.7. De Episcopis. num.76.* ver. *Et Abbates*. refert Barbosa *De potest. Episcopi. par.3. Allegat. 82. num.32.* ver. *Monasteriorum*. Nimirum Abbates, Prepositos, & Abbatissas vitam regularem ducentes non teneri reddere rationem Episcopo.

5 Neque obstat Clement. *vnica.* De *testam.* quia disponit tantum quò ad Regulares, qui sunt exequutores vltimarũ voluntatum. Constat autem, quod Regulares assumentes obligationes circa Missas celebrandas, aut anniuersaria in virtute exequutionis vltimarum voluntatum, non sunt exequutores vltimæ voluntatis alicuius. sed ab ipsis exequutoribus acceptant obligationem. Vnde valde cauendum est à citato Manriquez, quia cum se infensissimum erga Regulares ostendat, putat in diuersis Constitutionibus, & decretis esse contra ipsos determinata, quæ nec in mentem venerunt Summis Pontificibus.

6 Accedit etiam, quod quamplures docent dict. Clement. *De testam.* habere locum solum in Regularibus non plenè exemptis, quales tunc erant vt plurimum, & qui ratione debiti, & contractus possunt conueniri coram Ordinario; non autem in ijs, qui sunt plenè exempti, & non possunt conueniri nec ratione contractus, nec ratione delicti coram Ordinario. Ita inter alios notant Glos. *in dict. Clemen.* verbo *Tales*, dum vult, non posse conueniri, nisi in specie sit derogatum priuilegijs. Richar. *in 4. distin.45. quæst.2. art.5.* Angelus. *verbo.* Exequutor. *num.20.* Syluester *verbo.* Testamentum. *2. num.2.* Armilla. *verbo.* Exequutor. *quæst.14.* Rodriquez *par.2. sum. cap.156. num.8.* & *tom.3. Quæst. regular. quæst.70. ar. vlt.* Vega *in sum. c.114. Casu 5.* Molfes. *tom.2. sum. tr.13. cap.11. nu.29.* Facundez *lib.6. De contract. cap.5. n.5.* Vuadingus *De cõtract. disp.4. dub.13. §. 6. num. 5.* Carpius *De exequutorib. testamen. lib.1. cap.5. num.42.* Priuilegium namque, quod non possint conueniri Regulares coram Ordinario nec ratione delicti, est speciali nota dignum, & ideo indiget etiam speciali derogatione. Vbi namque requiritur expressa mentio, verba generalia non comprehendunt illum casum Cap. 2. *De præbend. in 6.* & notant Geminian. *in Cap. Quia periculosum.* De *sentent. excommunicat. in 6.* Io. Andr. *in Cap. Qualiter, & quando.* 1. ver. *Vltimò noto.* De *accusat.* Bar. *in l.1. ff.* Si quis. *in ius vocatus non ierit.* Bald. *in l.1. ff.* De *vulgan. & pupil. &c.*



An

An si Episcopus reseruet sibi plures casus respectu Regularium, quàm respectu Parochorum, possint hoc non obstante ab ijs absoluere. Quæst. 163.

S V M M A.

1 *Est in potestate Episcopi sibi reseruare casus.*
2 *An Regulares possint absoluere à reseruatis Episcopo quò ad ipsos Regulares tantū.*
3 *Quid sit reseruatio casuum.*
4 *Regulares non habent minorem facultatem ad absoluendum, quàm habeant Parochi.*
5 *Eo ipso, quod Pontifex non vult dare Regularibus maiorem facultatem in ordine ad absolutionem, quàm habeant Parochi, dat æqualem.*
6 *Quomodo restruatio casuum, sit in potestate Episcopi.*
6 *Cur possit dare facultatem absoluendi à reseruatis vni, & non alteri. non possit autem reseruare respectu vnius, & non alterius.*

1 VIdetur negatiuè respondendum. Quia cum sit in potestate Episcopi sibi reseruare casus, poterit ad libitum eos sibi reseruare pro aliquibus, & non pro alijs. quia potest vnusquisque ad libitum de ijs disponere, quæ sunt in propria potestate. Vnde cum reseruatio teneat, non poterunt Regulares ab ijs absoluere. Sic etiam potest Episcopus dare facultatem vni, & non alteri absoluendi à reseruatis.

2 Sed hoc non obstante tenendum est, posse absoluere. quod sequitur ex doctrina eorum, qui tenent, talem reseruationem no esse ualidam. Hi autem sunt Sotus *in 4. Dist. 18. quæst. 2. art. 5.* Molfes. *in Sum. tract. 7. cap. 17. num. 30.* Rodriquez *to. 1. Quæst. Regular. quæst. 59. art. 8.* Suarez *disp. 30. De pœnit. sect. 2. num. 16.* Reginal. *lib. 8. Praxis Fori pœnit. num. 74.* Peyrin. *tom. 1. de sub. relig. q. 1. cap. 21. §. 2.* Floronus *cap. 2. De casib. reseruatis. §. 1. num. 6.* Trimarch. *Disp. 14. De sollicit. num. 55.* Bordonus *in Consil. Regular. resol. 6. quæst. 15. num. 21. & Resolut. 38. num. 27.*

3 Ratio est. Quia reseruatio dicit, quod iudicium de peccatis pertineat ad reseruantem, & ita sit proprium illius, vt non conueniant alteri, nisi per delegationem, vt desumitur ex Concilio Tridentino *Sess. 14. cap. 7. De Sacram. Pœnit.* ibi. *Vnde meritò Pontifices Maximi pro suprema Potestate sibi in Ecclesia vniuersa tradita causas aliquas criminum grauiores suo potuerunt peculiari iudicio reseruare.* Vbi notanda sunt verba, *Suo peculiari iudicio*. Deinde subdit, hoc ipsum licere Episcopis, nempe suo peculiari iudicio aliqua crimina reseruare. ergo quando non sunt reseruata, proprio iudicio Episcopi, non sunt verè reseruata, & proinde poterunt Regulares ab ijs absoluere, quia prohibentur tantū absoluere ex decretis Pontificum à reseruatis Episcopo.

4 Et facit etiam Clement. *Dudum.* De *sepulturis*. ibi. *Per huiusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis, seu fratribus ipsis, ad id taliter deputatis, potestatem impendere ampliorem, quā in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est à iure concessa.* Ex quo colligunt communiter, quod Regulares in ordine ad absoluendum habeant totam illam facultatem, quam habent Parochi. præsertim Lazar. *De monit. sect. 4. quæst. 14. num. 4.* Belloch. *De casib. reser. par. 2. q. 8. num. 53. & citati. num. 2.*

5 Neque dici potest cum Io. Sanchez *in Selectis De sacram. disp. 48. nu. 25.* Non sequi, quod detur Regularibus æqualis potestas cum Parochis, sed solum colligi, quod non detur maior. Nam eo ipso, quod Pontifex se declarat, nolle dare maiorem potestatem, tacitè concedit æqualem, quia exceptio firmat regulam in contrarium. *l. Quæsitum. §. Denique.*

que. ff. De *fun. instruct.* Vnde cum Pontifex excludat solum maiorem facultatem, censetur concedere totam illam, quam habent Parochi.

6 Et ex his soluta manet ratio in oppositum. Nam reseruatio est in potestate Episcopi, dum stat intra terminos reseruationis non autē, quādo sub specie reseruationis limitatur iurisdictio Regularium, quæ non potest ab Ordinario limitari, cum sit concessa à Summo Pontifice, vt alibi dictum est. Vt autem reseruatio sit intra terminos reseruationis, debet reseruare proprio iudicio Episcopi, vt constat ex Trident. *citato n.* 3. Neque sequitur, quod non possit dare vni, & non alteri facultatem absoluendi à reseruatis, quia facta reseruatione, facultas absoluendi conceditur per delegationem; est autem in potestate delegantis assumere, quem libuerit, ad munus delegatum, præsertim quando eligitur industria personæ, vt in casu nostro.

An, qui habet facultatem ab Episcopo absoluendi à reseruatis eidem Episcopo, possit committere alteri, vt seipsum absoluat ab iisdem reseruatis.
Quæst. 164.

S V M M A.

1 *Opinio affirmans.*
2 *Eius fundamenta.*
3 *Habens facultatem ab Episcopo absoluendi à reseruatis, non potest alteri committere, vt seipsum absoluat.*
4 *Facultas absoluendi à reseruatis, non est alteri communicabilis.*
4 *Reseruatio est restrictio iurisdictionis.*
4 *Quid sit facultas absoluendi à reseruatis.*
5 *Facultas absoluendi a reseruatis est pro solo foro interiori.*
5 *Communicatio iurisdictionis in ordine ad forum conscientia est actus iurisdictionis exterioris.*
6 *Non potest consuetudine indiuidui, vt valeat electio Confessarij sine licentia proprij sacerdotis.*
7 *An facultas absoluendi à reseruatis concessa ab Episcopo aquiparetur ordinaria.*
8 *Quinam dicatur deterioris conditionis.*
9 *Cur Superiores Regulares possint absolui ab ijs reseruatis, a quibus possunt ipsi absoluere.*
10 *Quando habens facultatem dispensandi possit in sui fauorem eam alteri committere.*

1 QVod possit talem facultatem in ordine ad absolutionem sui ipsius cōmittere alteri, tradit Bordon. *in Consilijs Regularib. Resol.* 39. *n.* 63. & citat Mirand. *tom.* 2. *Manual. q.* 34. *a.* 14. *concl.* 1. Coriolan. *De casib. reseruat. par.* 1. *sect.* 1. *ar.* 22. *nu.* 2. Sed hi non loquuntur vniuersaliter, sed tātum de superioribus localibus Regularium, quod nimirum, quando habent facultatem absoluendi à reseruatis intra religionem, possunt pro seipsis committere alteri talem facultatem, in quo est diuersa ratio, quia talis facultas est concessa ob distantiam superiorum maiorum, atque adeo pro toto Conuentu, cuius ipsi sunt partes, & in hoc casu loquitur Miranda. Coriolanus autem loquitur de facultate, quàm habent ijdem Superiores ex priuilegio, de qua infra. imo addit, quod quando talis facultas est limitata ad subditos, non possunt vti tali facultate pro seipsis.

2 Prob. quia talis facultas generalis absoluendi ab omnibus reseruatis æquiparatur potestati ordinariæ: vnusquisque autem potest vti potestate ordinaria, quam habet etiam pro seipso. 2. Habens hanc facultatem pro alijs, si non posset vt etiam pro seipso, esset deterioris conditionis, quàm cœteri, quod non debet admitti. 3. Prælatus regularis potest vti pro seipso ijs priuilegijs in ordine ad absolutionem à reseruatis, quæ habet pro subditis, quia, cum habeat talem facultatem à Principe, potest illam subdelegare saltem, quando est ad vniuersitatem

tem causarum Cap. *Cum causam*. De *appellationib.* vbi Glos. citans alia iura, nisi talis subdelegatio expressè prohibeatur, vt notat *.eia.* Glos. *verbo. Delegatus*. 4. Habens facultatē dispensandi cœteros potest alteri committere in sui fauorem eandem facultatem, vt docent communiter Doctores, quos occasione dispensationis in ieiunio citaui in Praxi ieiunij. *Decij*. 411. *nu.* 2. ergo etiam poterit committere alteri, vt seipsum absoluat à reseruatis, si habeat ipse facultatem absoluendi ab omnibus.

3 Sed negatiua sententia, quod nimirū non possit alteri committere talem facultatem neque in ordine ad se, tenenda est, neque in ordine ad alios, vt docet Graf. *tom.* 1. *Consi.* 14. *De pœnit.* Et sequitur ex dictis *Centur.* 1. *quæst.* 66. *nu.* 4. *& sequent.* vbi ostensum est, quod habens facultatem vniuersalem ab Episcopo absoluendi à reseruatis eidem Episcopo non potest etiam proprijs subditis eam subdelegare, etiam in ordine ad particulares casus, quia per talem facultatem non conceditur iurisdictio, in qua solū potest fundari subdelegatio, sed solum nudum ministerium, vt habetur ex Cap. *fin.* §. *Cæterum*. De *officio delegati*.

4 Ratio autem est. quia facultas absoluendi à reseruatis concessa à superiore non est communicabilis alteri, & ideo, qui illam habet, non potest eam alteri tradere siue in ordine ad se, siue in ordine ad alios, quod satis ex eo constat. Quod reseruatio casuum non est aliud, quàm restrictio iurisdictionis, & facultatis absoluendi quò ad aliqua peccata, vt docent cōmuniter, est notant inter alios Graf. *De casib. reseruat. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 2. Reginal. *lib.* 1. *Praxis Fori pœnit. nu.* 124. Floron. *De casibus reseruat. par.* 1. *cap.* 1. *nu.* 2. *&* 3. Bordon. *in Consil. Regular. Resol.* 37. *num.* 2. ver. *Resp. tertio*. Et proinde concessio facultatis absoluendi à reseruatis non est aliud, quàm ablatio huiusmodi restrictionis, seu ampliatio eiusdem iurisdictionis, quam aliàs habet in ordine ad absoluendum à cœteris casibus non reseruatis; atque adeo est concessio iurisdictionis eiusdem rationis cum illa, quam habent confessarij, cum qua possunt absoluere à non reseruatis. Hæc autem iurisdictio non est communicabilis alteri, si quidem confessarij non possunt alicui tribuere facultatem absoluendi etiam seipsos ab ijs peccatis, siue in generali, siue in speciali, à quibus ipsi possunt absoluere. Cuius rei ratio est, quia non habent talem facultatem per modū potestatiuæ iurisdictionis, & tanquam ordinariam annexam muneri pastorali, sed solum per modum ministeri commissi.

5 Quod amplius confir. Qui habet facultatem absoluendi à peccatis etiam reseruatis, habet iurisdictionem in solo foro interiori; & hæc iurisdictio nullo pacto extenditur ad forum exterius, ergo nō potest talem iurisdictionem alteri cōmunicare etiam in ordine ad seipsum, quia communicatio iurisdictionis etiam in ordine ad forum conscientiæ est actus iurisdictionalis fori externi, & potest tantum ab illo exerceri, qui habet iurisdictionem pastoralem pro foro externo vt habetur ex Cap. *Omnis fidelis vtrisque sexus*. & Cap. *Episcopus*. De *pœnit. & remiss.* & ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. Quia nimirum absolutio est actus iudicialis in foro conscientiæ, & ideo facultas absoluendi est facultas exercendi iudicium, & quia iudicium exercetur solum in subditos, potest solum communicari ab eo, qui habet subditos, atque adeo qui habet iurisdictionem in foro externo.

6 Et sicuti nemo potest sibi eligere confessarium, à quo absoluatur sine licentia proprij Prælati, ita vt nulla consuetudine introduci possit, vt talis electio valeat, vt decernitur in citato Cap. *Episcopus*. De *pœnit. & remission.* ita nec habens facultatem absoluedi à reseruatis potest sibi eligere confessarium, à quo ab ijsdem reseruatis absoluatur, quia sunt valde diuersa posse sibi eligere confessariū, & posse absoluere; si quidem omnes sacerdotes approbati ab Ordinario possunt absoluere in foro conscientiæ, non tamen ex vi huius facultatis possunt sibi eligere confessarium: vnde nec etiam facultas absoluendi à reseruatis erit fa-

cultas eligendi ſibi confeſſarium pro iiſdem reſeruatis.

7 Neque obſtant, quæ pro oppoſita ſententia allata ſunt; negandum eſt enim ad 1. quod facultas abſoluendi ab omnibus reſeruatis conceſſa ab Epiſcopo æquipararetur poteſtati Ordinariæ. Tum quia iuriſdictio Ordinaria eſt pro foro externo; talis autem facultas eſt tantum pro foro interno. Tum quia talis facultas eſt tantum facultas miniſterialis, vt dictum eſt, quæ alteri committi non poteſt, præſertim cum ſit tantum pro foro conſcientiæ, & ideo non poſſit extendi ad actum fori externi, qualis eſt conceſſio facultatis abſoluendi pro foro interno.

8 Ad 2. non ſequi, quod ſit deterioris conditionis, quia is dicitur eſſe deterioris conditionis, qui non habet, quod aliàs habere debet, & quod habent cœteri, qui ſunt in eodem ſtatu. Qui autem habet facultatem abſoluendi à reſeruatis non caret aliquo, quod debeat habere, quia hoc eſt generale omnibus, qui non habent iuriſdictionem in foro externo, quod non poſſint ſibi eligere iudicem pro foro interno. Imo eſt ſupra cœteros priuilegiatus, nam habet miniſterium commiſſum, quod cœteri non habent.

9 Ad 3. Superiores regulares habere ſpeciale Priuilegium, quo poſſunt ſibi eligere confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis conceſſum ab Eugenio IV. vt habetur *in Compend. priuileg. mendican.* verbo. *Abſolutio ordin. quò ad Fratr.* §.37. Deinde poſſunt etiam ſibi eligere confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis, quia facultas, quam habent ex priuilegio abſoluendi proprios ſubditos à reſeruatis eis conceſſa eſt tanquam Ordinarijs propriorum ſubditorum; vnde eſt ampliatio quædam ordinariæ iuriſdictionis ipſorum; & ideo poteſt committi alteri in fauorem illius, quæ ipſam habet, quia eſt iuriſdictio pro foro externo. Vnde ſolum delegatus à Principe pro foro externo poteſt ſubdelegare; & in hoc ſenſu procedunt iura allegata.

10 Ad 4. Facultatem diſpenſandi eſſe facultatem iuriſdictionalem, quando eſt pro foro externo; vnde qui illam habet vel tanquam ordinariam, vel tanquam delegatam poteſt vti in ſui fauorem, quia talis poteſtas poteſt alteri cõmitti. Si verò ſit facultas diſpenſandi pro foro interiori, non poteſt vti in ſui beneficium, quia non poteſt alteri committi, cum talis commiſſio ſit actus iuriſdictionis in foro externo.

An, ſi Epiſcopus reſeruet ſibi aliquos caſus, cenſeatur ceſſare reſeruatio aliorum facta per legem. Quaſt. 165.

S V M M A.

1 *Negatiua opinio.*
1 *Quæ facit legiſlator vt homo, non deſtruunt ſtabilita à lege.*
2 *Epiſcopus reſeruans ſibi aliquos caſus tollit tacitè reſeruatos à lege.*
3 *Reſeruatio aliquorum caſuum ſtat taxatiuè quò ad ipſos.*
3 *Voluntas exterius nõ manifeſtata nihil operatur.*
4 *Omiſſum, ſeu non expreſſum habetur pro omiſſo.*
4 *Valet in omnibus diſpoſitionibus.*

1 QVod non ceſſet aliorum reſeruatio, ſi ſtabilita ſit per legem, tenet Bordonus *in Conſil. Regular. Reſol.* 61. *num.* 31. Quia reſeruatio illa, & quælibet ordinatio, quã facit legiſlator, vt homo, non habet vim deſtruendi, quæ ſunt ſtabilita à iure, vel per ipſum, vel per ſuos prædeceſores, vel per Synodum.

2 Hoc tamen non obſtante oppoſitum tradunt Comitol. *lib.* 1. *Reſponſ. moral. quaſt.* 25. Homobonus *De caſibus reſeruat. Cap.* 3. §. *Quorum Caſuum.* Floronus *De caſib. Reſer. cap.* 4. §.8. Lezana *in Sum-*

Summa. verbo. Casus reseruati. *num*. 5. Quia nimirum reseruans sibi aliquos casus censetur cœteros negligere, & quia inclusio vnius est exclusio aliorum. Cap. *Nonne*. De *præsump*.

3 Quam sententiam probabiliorem puto in casu, quod Episcopus non faciat mentionem de reseruatis à lege, & in reseruatione non sit aliqua dictio implicatiua aliàs reseruatorũ à lege. Tunc enim in reseruatione expressio casuum stat taxatiuè ad nominatos, atque adeo eos tantum censetur sibi reseruare, & cœteros relinquere sub facultate Cõfessariorum. Explicat namque in tali reseruatione suam mentem, & illam ordinat ad notificandos casus sibi reseruatos. Vnde cum voluntas non operetur, nisi quatenus exterius manifestatur. *l. Si repetendi. ff*. De *condict. ob caus*. & notat Rota *Decis*. 354. *nu*. 6. *apud Farinac. par*. 1. *Recent*. si non explicat aliquo pacto, se addere casus expressos casibus iam aliàs reseruatis, censetur coarctare reseruationem ad solos expressos, cum faciat talem reseruetionem non tanquam additamentũ alterius, sed vt declaratiuam simpliciter casuum reseruatorum.

4 Et facit pro hoc, quod ommissum, seu non expressum habetur pro omisso. *l. Commodissimè. ff*. De *liberis, & posth*. Et Cap. *Inter corporalia*. De *transl at. Episcop*. & Cap. *Dilectus*. De *offic. Ordinar*. & Cap. *Is, qui*. De *sentent. excommunicat*. Quod habet locum in omnibus dispositionibus, vt notat Ancharan. *Consil*. 120. *init*. & *Consil*. 245. *num*. 5. & *Consil*. 37. *num*. 7. Socin. *Consil*. 32. *num*. 18. *lib*. 1. Alexand. *Consi*. 113. *num*. 5. ver. *Consir. lib*. 2. & *Consil*. 123. *nu*. 21. *lib*. 4. Bald. *Consil*. 332. ver. *Recte igitur. lib*. 3. Dec. *Consil*. 438. Castil. *Consil*. 17. *num*. 6. 10. & 11. Vnde etiam in dispositione Episcopi quò ad Casus reseruatos censentur omissi reseruati à lege, quando in reseruatione, quam pro se specialiter instituit, eorum non meminit.

An reseruatio casuum comprehendat cõmissa peccata ante reseruationem. Quæst. 166.

S V M M A.

1 *Affirmatiua opinio.*
2 *Reseruatio non comprehendit peccata commissa ante reseruationem.*
2 *Quid sit casus reseruatus.*
2 *Finis reseruationis casuum.*
3 *Lex non plus extenditur, quàm extendatur finis, & ratio, & his cessantibus & ipsa cessat.*
3 *Intentio legislatoris non plus se extendit, quàm se extendat finis.*
4 *Causa finalis est dux mentis.*
5 *Lex non se extendit ad præterita.*
5 *Quæ habent causam de præterito, non indicantur secundum legem nouam.*
6 *Quomodo reseruatio casuũ restringat iurisdictionem Confessariorum.*

1 Partem affirmatiuam tenent Floronus *De casib. reseruat. cap*. 3. *num*. 17. Vgolin. *De offic. & potest. Episcopi. cap*. 39. *nu*. 2. ver. *Quare*. Naldus *verbo*, Casus. *nu*. 7. Bordon. *in Consil. Regular. Resol*. 38. *num*. 47. Quia nimirum in reseruatione nõ attenditur tempus commissi delicti, sed tempus absolutionis: vnde cum tempore absolutionis sit confessarijs restricta iurisdictio per reseruationem iam factam, non poterunt absoluere à peccatis, licet commissis ante reseruationem. Hoc tamen limitant, nisi reseruans se explicet, quod velit reseruare solum peccata in futurum committenda; & nisi imponat censuram; quia, cum censura non possit referri, nisi ad peccata cõmittenda, reseruatio quoque ad illa solum refere-

feretur. Et niſi fuiſſent talia peccata inculpabiliter oblita in confeſſione facta ante reſeruationem.

2 Sed non comprehendere peccata cōmiſſa ante reſeruationem mihi omnino dicendum videtur iuxta communem doctrinam eorum, qui volunt, finem reſeruationis eſſe obuiare peccatis, quam inter alios tradunt Homobon. *De caſibus reſeruat. par.* 1. *cap.* 1. Lupus item *De caſib. reſer. Epiſ. Bergomen. par.* 1. *diſt.* 1. *ar.* 1. *difficultat.* 2. Graf. *in Append. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 18. Gambarup. *De caſib. reſer. cap.* 1. *num.* 3. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 5. Io. Capeauil. *De caſib. reſer. par.* 1. *cap.* 2. *q.* 2. Belloch. *De caſibus item reſer. par.* 1. *q.* 2. *num.* 22. & ipſe Bordonus *in Conſil. Regular. Reſol.* 37. *num.* 2. ver. *Dixi octauo. Eo fine*. Et conſtat ex definitione Caſus reſeruati, quam tradunt communiter, dum dicitur, quod *Caſus reſeruatus eſt peccatū mortale, cuius abſolutionem Epiſcopus, vel quaſi iuriſdictionem Epiſcopalem habens, ſibi reſeruat, quò Chriſtifideles à grauioribus culpis abſtinentes in chriſtiano officio contineantur*. & deſumitur ex Cap. *Cum in cunctis*. De *electione*, ibi. *Vt quos Dei timor à malo non reuocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeueritas diſciplinæ*. & ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *Cap.* 7. *de pœnit.* dum docet, Prælatos debere vti poteſtate reſeruandi peccata in ædificationē, non in deſtructionem, hoc eſt tali pacto, vt ſit ordinata ad extirpanda peccata.

3 Hoc autem ſtante, ſequitur, quod reſeruatio de nouo non ſe extendat ad peccata iam commiſſa, licet non confeſſa. Lex enim non plus extenditur, quàm ſe extendat finis, & ratio ipſius, ob quam proximè legiſlator mouetur. Et proinde ceſſante ratione legis, & cauſa finali, ceſſat etiam lex. *l. In omni. ff.* De *adoptionib.* & *l. Quod dictum. ff.* De *pactis.* & *l. Adigere. §. Quamuis. ff.* De *iurepatron.* & Cap. *Et ſi Chriſtus.* De *iureiur.* Quod habere locum etiam in legibus, & ſtatutis notant Petr. Ancharan. *Conſil.* 47. *num.* 4. Dinus *Conſil.* 6. *num.* 2. ver. *Præterea.* Angel. *Conſil.* 86. Ludou. Rudolphin. *lib.* 2. *Variar. quæſt.* 35. *nu.* 10. Et ratio eſt, quia cum finis moueat legiſlatorem ad condendam legem, intentio ipſius, vt pote directa ad finem, non plus ſe extendit, quàm ſe extendat finis, & ideo non ſe extendit ad illam materiam, in qua non reperitur finis. cum autem lex non obliget, niſi ſecundum menſuram intentionis legiſlatoris, non obligat circa eam materiam, in qua non reperitur finis. Cum ergo finis reſeruationis abſolutionis non habeat locum in peccatis commiſſis ante reſeruationem, non obligabit quò ad ipſa.

4 Quod etiam confir. Cauſa finalis eſt dux mentis, vt notant Ancharan. *Conſil.* 254. *num.* 4. Roman. *Conſi.* 503. *num.* 7. quia cum mens, & intentio moueatur à fine, ſequitur motum eiuſdem finis & ideo habet illum progreſſum, quem habet finis. ergo intentio non fertur in ea, ad quæ non trahitur ex fine. Non trahitur autem, niſi ad ea, ad quæ ipſe ſe extendit.

5 Rurſus. Cum reſeruatio quò ad diſpoſitionem imitetur legem. & lex de nouo aliquid diſponens non trahatur ad præterita, ſed ſolum ad futura. *l. Leges. C. De legib.* & Cap. *Cognoſcent.* & Cap *fin.* De *conſtit.* ſequitur, quod ea, quæ habent cauſam de præterito, non debeant iudicari ſecundum legem nouam, ſed ſolum ſecundum ius antiquum. Et proinde Rota *Deciſ.* 818. *num.* 2. *par.* 3. *diuer.* dixit, legem ſubſequentem non extendi ad præſentia, quæ ſunt connexa cum præteritis; ergo nec etiam reſeruatio extenditur ad abſolutionem de præſenti quò ad peccata de præterito, quæ cōmiſſa ſunt ante reſeruationem.

6 Ex quibus ſolutum manet, quod in oppoſitum *num.* 1. allatum eſt. licet enim reſeruatio reſtringat de præſenti iuriſdictionem Confeſſariorum, reſtringit tamen ſolum quò ad peccata committenda, non autem quò ad peccata antea commiſſa, & ideo remanet libera pro abſolutione illorum; quia ſicuti cenſura non poteſt reſpicere, niſi peccata committenda ex eo, quod reſpicit præſeruationem ab ipſis; ſic & reſeruatio, cum ſit propter præſeruandum à peccatis reſeruatis, non poterit ordinari ad

pecca-

peccata iam commissa. Sic licet lex quoque liget iudicem de præsenti ad iudicandum secundum ipsam, non tamen ipsum obligat, vt de præteritis iudicet iuxta ipsius præscriptionem, nisi sit lex declaratiua.

An alloquentes Moniales exemptas incidant in excommunicationem latam contra alloquentes sine licentia. Quæst. 167.

SVMMA.

1 *Opinio affirmans.*
2 *Facultas Episcoporum quò ad clausuram Monialium exemptarum non se extendit ad alloquutionem.*
3 *Alloquens sine licentia Moniales exemptas an incidat in censuras &c.*
3 *Leges Episcoporum non obligant subditos in Monasterijs exemptis.*
4 *Alloquutio cum Monialibus exemptis non subest iurisdictioni Episcoporum.*
5 *Extra proprium territoriũ non exercet quis iurisdictionem.*
5 *Censuræ non ligant extra territorium.*
5 *Monasteria exempta sunt tanquam extra territorium.*
6 *Statutum, quod dirigitur ad personas, & loca exempta, est nullum.*
6 *Statutum laicale etiam fauorabile circa ecclesiasticos est nullum.*

1 INcidere in excommunicationem, si in statuto, quo imponitur excommunicatio, fiat mentio etiam de accedentibus ad Monasteria exempta, docent Roland. à Valle *Consil.* 33. *vol.* 3. Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapol. Cap.* 33. quos citat, & sequitur Bellochius *De casib. reser. par.* 2. *quæst.* 9. *num.* 167. & sumunt argum. ex Tridentino Concil. *sess.* 25. *cap.* 5. *De regular.* vbi Moniales exemptæ quò ad clausuram subsunt Episcopis tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, & ideo possunt per censuras impedire alloquutionem cum ipsis.

2 Sed non video, quomodo ex hoc loco Concilij hæc opinio deducatur. Aliud est enim clausura, & aliud alloquutio cum Monialibus: neque quod quis alloquatur Moniales infert detrimentum aliquod clausuræ, vt per se patet. Vnde, cum non possit delegatus excedere terminos suæ delegationis, alioquin nulliter procedit, non potest Episcopus ex vi delegationis in ordine ad clausuram Monialium exemptarum se immiscere circa alloquutionem cum ipsis.

3 Itaque tenendum est, quod alloquentes Moniales exemptas sine licentia non incidant in excõmunicationem latam ab Episcopo contra alloquentes sine licentia, etiam si in suo edicto mentionem faciat de Monasterijs exemptis iuxta eorũ doctrinam, qui docent, quod subditi Episcoporum, dum sunt in Monasterijs exemptis, non tenentur seruare ipsorum leges, quæ obligant personaliter. Hi sunt Henriquez *lib.* 13. *Sum. cap.* 26. *num.* 2. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *punct.* 6. *nu.* 66. Laiman. *lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 11. *nu.* 5. & alij. Et colligitur ex Concil. Trident. *Sess.* 25. *cap.* 12. *De reformat.* vbi decernitur, quod in Ecclesijs Regularium seruentur festa indicta ab Episcopo, & Interdicta ab ipso imposita: vnde fit, quod secluso tali præcepto non teneantur seruare, atq; adeo quod præcepta, & statuta Episcopalia non habeant locum in Ecclesijs, & Monasterijs Regularium exemptorum.

4 Cum ergo accessus ad Monasteria Monialium exemptarum, & alloquutio cum ipsis consumetur in loco exempto, ita vt non verificetur, quod quis accesserit ad Monasterium, nisi saltem limina ipsius sit ingressus, sequitur, quod delictum non subsit censuris Episcopalibus, quia nõ ligant in loco exempto: & quia delictum commissum in loco exempto est

eſt extra iuriſdictionem Ordinarij *Cap.*1. §.*Numquid ergo.* De *priuileg. in 6.*

5 Rurſus cum nemo poſſit in alieno territorio, & extra propriũ exercere iuriſdictionem Clement. 1. *De foro compet.* & Clement. *Paſtoralis*. §. *Numquid etiam*. De *re iudicat.* & *l.fin.ff.* De *iuriſdict. om. iud.* & *l. fin. ff.* De *officio Præfecti vrb.* ſequitur, quod cenſuræ non ligent extra proprium territorium eas imponentis, vt decernitur in Cap. *Vt animarum.* De *conſtit. in 6.* Locus autem exemptus, quamuis ſit in territorio, non eſt tamen de territorio, ſed quò ad hoc comparatur loco exiſtenti extra territorium, quia neque in ipſo, ſicuti & in alieno territorio poteſt Ordinarius exercere iuriſdictionem, niſi in caſibus à iure conceſſis. Cap. *Cum Epiſcopus*. De *offic. ordinar. in 6.* Non ergo cenſuræ poſitæ ab Epiſcopo contra alloquentes Moniales abſque licentia habent vim quò ad Monaſteria exempta.

6 Præterea, quando ſtatutum dirigitur quocunque modo ad perſonas, & loca exempta, eſt nullũ defectu iuriſdictionis, quia iuriſdictio non ſe extendit ad ipſa, cum obſtet exemptio. Vnde ſtatutum laicale, in quo ſit mentio eccleſiaſticorum, aut Eccleſiarum, eſt nullum, etiam ſi aliàs fauorabile ſit per Cap. *Eccleſia S. Mariæ.* De *conſtit.* & Cap. *fin.* De *rebus Eccleſ. non alienan.* & tradunt communiter Abbas *in Cap. Clericis.* De *foro compet.* Imola *ibid.* Cardinal. *in Cap. Perpendimus. num.* 13. De *ſentent. excommunicat.* Felin. *in Cap. Eccleſia S. Mariæ. num.* 15. De *conſtit.* Alber. *tract. De ſtat. par.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 20. Butrius *Conſil.* 40. Socin. *Conſil.* 71. *nu.* 10. *lib.* 4. Baldus *Conſil.* 132. *lib.* 3. Io. Neuizanus *Conſil.* 39. *num.* 5. Mattheus de Afflict. *De iure prothomis. nu.* 8. Matheſilian. *ſing.* 110. Surdus *Conſil.* 301. *num.* 13. *vol.* 2. Caualcan. *lib.* 3. *Deciſ.* 33. *nu.* 16. Plotus *Conſil.* 93. *num.* 2. Cioffus *Conſil.* 81. *num.* 84. *lib.* 1. Suarez. *lib.* 4. *contra Reg. Angliæ. cap.* 16. *num.* 7. & *lib.* 3. *de legib. cap.* 34. *num.* 13. Maynar. *De priuileg. Eccleſ. par.* 2. *ar.* 22. *num.* 46. Bertran. de Gueuar. *in Propugnac. libert. Eccleſ. aſſer.* 1. §. 6. *num.* 55. & 58. & alij. Quia nimirum tale ſtatutum præiudicat exemptioni, qua perſonæ, & loca eccleſiaſtica ſubtrahuntur iuriſdictioni laicali. Cum ergo etiam monaſteria exempta ſint ſubtracta iuriſdictioni Epiſcopali, ſtatuta Epiſcoporum, in quibus fiat mentio de ipſis, erunt nulla, cum militet eadem ratio.

An tutor improbare poſſit contractum titulo vſuræ à ſe initum cum pupillo. Quæſt. 168.

SVMMA.

1 *Tutor repræſentat propriam perſonam, & pupilli.*
1 *Nemo poteſt impugnare proprium factum.*
2 *Tutor poteſt impugnare contractum à ſe initum cum pupillo.*
2 *Quando lex reſiſtit, poteſt quilibet impugnare proprium factum.*
3 *Quæ ſunt irrita habentur pro non factis.*
3 *Priuata voluntas, non præualet legi.*
4 *Geſtum contra legem præſumitur malè geſtum.*
4 *Lex eſt regula dirigens operationes.*
5 *Vſura eſt prohibita iure naturali, & canonico.*
6 *In contractu reijcitur vſura, & ſubſiſtit contractus mutui.*
6 *Mutuum, ſi non ſit gratis, non eſt mutuum.*
6 *Emptio non eſt emptio ſecluſo pretio.*
6 *Vitians ſubſtantiam contractus reddit etiam nullum.*
6 *Quæ ſiunt prohibente lege, irrita ſunt.*
6 *Contractus vſurarius eſt nullus.*

1 Videtur ſtatim negatiuè reſpondendum, quia cum ipſe repræſentans duas perſonas nempè pupilli tanquam tutor, & propriam inierit contractum, non poteſt amplius contra ipſum ire, quia nemo poteſt impugnare proprium factum. *l. Poſt*

l. Post mortem. ff. De *adoptio.* & *l. Per fundum. ff.* De *seruit. rust. prædior.* & *l. Cum profitearis.* C. De *reuocan. donat.* & *l. Generaliter.* §. *fin.* De *non numer. pecun.* & Cap. *Veniens.* De *filijs presbyterorum.* & Cap. *Cum super.* De *concessione præbend.* & per alia plura iura. & explicant latè Tiraquel. *De retract. consang.* §. 2. *Glos. 9. num.* 27. & Ludouic. Molin. *lib.* 4. *De primogen. cap.* 1. *num.* 16.

2 Tenendum tamen est, quod possit impugnare. quia licet regulariter non possit improbare proprium factum, potest tamen, quando ipsi resistit lex, & ipso iure est nullus. per tex. *l. Post mortem. ff.* De *adoptionib.* & *l.* 1. C. De *liber. causa.* & *l. Si tibi liberam.* C. De *euictione.* & *Cap. Magnæ.* 22. *quæst.* 4. & Cap. *Quod quis.* 35. *quæst.* 9. & Cap. *Si quis.* De *reb. eccles. non alien.* & Cap. *Nosti.* De *elect.* vbi Glos. *verbo. Reuocare.* & tradunt Bart. *in dict. l. Post mortem.* Bald. *in l. Cum a matre.* ver. *Item non obstat.* C. De *rei vindicat.* Alexand. *Consil.* 123. *nu.* 6. *lib.* 1. Grammat. *Decis.* 12. *num.* 14. Caputaquens. *Decis.* 170. *num.* 6. & 7. *par.* 3. Surdus *Consil.* 183. *num.* 43. & *Consil.* 284. *num.* 1. & 14. Macerat. *Variar. Resol. lib.* 1. *Resol.* 5. *num.* 23.

3 Quæ enim irrita sunt, quia sunt cõtra ius gesta, habẽtur pro nõ factis. *l. Non dubium.* C. De *legib.* & *l. Iubemus.* §. *Prædia.* C. De *Sacrosanc. Eccles.* & Cap. *Quæ contra ius.* De *regul. iur. in* 6. & tradunt Doctores in *dict. l. Non dubium.* Bart. & Ias. *ibid.* Bald. *in l.* 1. C. Si *quid in fraudem.* Cardosus *in Praxi. verbo.* Factum. *num.* 2. Quia, cum lex resistat, voluntas actum gerentis non præualet; & ideò nõ potest ab ipsa desumere validitatem. Stante autem inualiditate, non tenetur stare quis proprio facto, quia cum lex non possit esse sibi contraria, non potest obligare, quod quis stet illi facto, quod ab ipsa improbatur.

5 Quod etiam habet locum in foro conscientiæ. nam omne, quod gestum est contra legem, præsumitur malè gestum, & inordinatum; si quidem lex est regula ordinans actiones humanas. *l.* 2. *ff.* De *legib.* & notant Aris. 10. *Eth. cap.* 9. & D. Th. 1. 2. *quæst.* 92. *ar.* 2. Vbi autem commissa est quæcunque culpa, qualis est omnis transgressio legis, habet locum pœnitentia, nec lex potest illam prohibere, quia non potest fouere iniquitatem; imò lex naturalis, & diuina obligat ad pœnitentiam de ijs omnibus, quæ malè gesta sunt. Vnde semper licebit ire per pœnitentiam cõtra proprium actum.

5 Ex his ergo fit, quod possit tutor ire contra contractum vsurarium ità se initum cum pupillo, quia cum vsura sit prohibita nedum in iure Canonico præsertim in Concilio Lateranensi *sub Leone X. sess.* 10. sed etiam iure ciuili, vt notant Decius *Consil.* 39. ver. *Quarto etiam.* & Io. Baptista Lupus *in l. Curabit.* §. 3. *nu.* 36. C. De *act. empt.* plures citans; omnis contractus contrarius est ipso iure nullus, præsertim quia vsura est intrinsecè mala. & ideò, qui reus est vsuræ, potest ire contra proprium factum.

6 Quod si dicas cum Gail. *lib.* 2. *Obseruat.* 4. & 5. & alijs. Reijci solùm vsuras, & subsistere contractum in ratione mutui. *l. Pecuniæ.* & *l. Vsuras.* & *l. Placuit. ff.* De *vsuris.* & *l. Cum allegas.* & *l. Cum eos.* C. De *vsuris.* Resp. hoc sufficere, vt possit contrahens quò ad hanc partem impugnare contractum. Deinde, quando mutuum non fit gratis, non est amplius mutuum, sed fit vsura, quæ est intrinsecè mala, quia non minus est de ratione mutui, quod fiat gratis, quàm de ratione emptionis, vt fiat mediante pretio. Sicuti ergo emptio nõ est emptio secluso pretio. §. *Pretium.* Instit *De empt.* ita nec mutuum, si non fiat gratis. quia generaliter, quod vitiat substantiam contractus, reddit ipsum nullum. Cap. *fin.* De *condit. apposit.* Confir. Quæ fiunt prohibente lege, nulla sunt. *l. Non dubium.* C. De *legib.* ibi. *Quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed etiam infecta habeantur.* & Cap. *Imperiali.* 25. *quæst.* 2. ibi. *Quia, quæ contra leges fiunt, habenda sunt pro infectis.* & Cap. *Quæ contra.* De *reg. iur. in* 6. Cum ergo omnis contractus vsurarius à lege prohibeatur tanquam de se illicitus, erit etiam

ipso

ipso iure irritus. Et ideò esse nullum, tradunt Syluester *verbo*, Vsura. 6. nu. 1. Gratus *Consi*. 15. *num*. 30. & *Consil*. 82. *num*. 20. *lib*. 1. Cassan. *Consil*. 63. *num*. 13. Tiraquel. *De constit. par*. 3. *limit*. 3. *num*. 16. 25. & 28. & habetur ex Cap. 2. & Cap. 3. & Cap. *Consuluit*. De *vsuris*.

Ad quid teneatur tutor, quando contractùs ab ipso initus cum pupillo ad ipsius instantiam declaratur vsurarius. Quæst. 169.

S V M M A.

1 *Tutor impugnans contractum à se initum cum pupillo vt vsurarium, præsumitur malæ fidei.*

1 *Faciens, quod de iure non permittitur præsumitur in dolo.*

2 *Tutor rescisso contractu à se inito cum pupillo ad instantiam ipsius tenetur resarcire pupillo omne damnum.*

2 *Quando tutor præsumatur in dolo.*

2 *Quando testator remittit tutori, quidquid tenetur ex mala administratione, adhuc debet reddere rationem.*

3 *Tutor tenetur vtiliter tractare res pupilli.*

4 *Tutor tenetur rependere lucrum prætermissum ex negligentia in fauorem pupilli.*

4 *Tutor tenetur de neglectis.*

4 *Tutor tenetur melius administrare res pupilli, quàm proprias.*

1 QVando tutor contractum à se initum cum pupillo impugnat tanquam vsurariũ, & talis à iudice declaratur, certũ est, quod præsumitur in ipso mala fides, & dolus, quia bona fides excluditur in celebrante contractus contra iura. Cap. *Qui contra*. De *regul. iur. in* 6. Glos. *in l*. 1. C. De *fide instrum*. vbi Bart. & cœteri Doctores. Paris. *Consil*. 49. *nu*. 33. & *Consil*. 100. *num*. 67. *lib*. 1. Et vniuersaliter is agere dolo præsumitur, qui facit, quod de iure facere non permittitur. *l. Si procuratorem*. §. *Dolo*. *ff*. *Mandati*. & *l. Dolo*. *ff*. Ad *leg. Falcid*. & *l*. 1. *C*. De *si*.*ar*. & notant Paris. *Consil*. 52. *nu*. 33. & *Consil*. 78. *num*. 16. *vol*. 4. Bart. *in l. Propter veneni*. §. *Neptis*. *ff*. Ad Syllan. Dec. *in l. Si idem cum eodem*. §. 1. *in fine*. *ff*. De *iurisd. om. iud*. Crauet. *Consil*. 282. *num*. 8. ver. *Nono. dolus*. Menoch. *Consil*. 98. *num*. 30. & *lib*. 3. *Præsumpt*. 55. *nu*. 10. Farinac. *in Praxi*. *par*. 3. *quæst*. 89. *num*. 92. Mascar. *De probat. conclus*. 495. *nu*. 4. & *Conclus*. 531. *num*. 50.

2 Stante ergo mala fide, & dolo declarato nullo contractu, tenetur tutor ad resarciendum omne damnum, quod ex tali contractu prouenit pupillo, per *l*. 2. C. Te *arbitr. tut*. & *l*. 1. C. De *hæred. instit*. & notant Bart. *in dict. l*. 2. Nicolaus de Neapoli *in l*. 1. *ff*. De *fideiuss. tut*. Bald. *in l. Quæ fortuitis*. ver. *Sed dubitatur de tutore*. C. De *pignor. act*. Maceratens. alia adducens *Variar. Resolut. lib*. 2. *Resolut*. 8. *num*. 31. & communiter. Tunc enim damnum imputatur tutori, cum malitiosè functus sit munere suo, Quæ doctrina tàm certa est, vt si testator daret tutores, & remitteret quicquid deberent ratione malæ administrationis, adhuc possent cogi ad reddendam rationem, & resarcienda damna illata, vt docet Salicet. *in l. Cum necessitate*. C. De *fideicom*. citans text. *l. Quidam decedens*. *init*. *ff*. De *administr. tut*. quem sequitur Ias. *in l. In actione*. *circa finem*. C. De *transact*.

3 Hæc autem obligatio ex eo quoque roboratur, quia tutor celebrans cõtractum vsurarium non fecit, quod pro suo officio facere tenebatur, cum debuerit vtiliter gerere negocium pupilli. *l. fin*. §. *Omnem*. C. De *administ. tutor*. & tradunt Ias. *Consil*. 4. *in fine*. *lib*. 3. Neuizan. *Consil*. 16. *num*. 5. Crauet. *Consil*. 230. Alciat. *respon*. 237. quos sequitur Menoch. *Consil*. 214. *num*. 9. vnde ex hoc quoque capite consurgit dolus. *l. Dolo*. *ff*. Ad *leg. Falcid*. & notant Bart. *in l. Tutor, qui repertorium*. *num*. 5. *ff*. De *administ. tut*. Socin. Sen. *Consil*. 46. *nu*. 4. *lib*. 1.

lib. 1. Crauet. *Consil.* 115. *num.* 2. & proinde etiam obligatio resarciendi omne damnum, & interesse.

4 Imò tanta est obligatio tutoris erga pupillum, vt teneatur procurare interesse ipsius, ita vt, si ex negligentia crassa prætermittat aliquod lucrum in fauorem pupilli, teneatur tantumdem rependere, vt tradunt Bart. *in l. Tutor, qui repertorium*. §. *Si post. ff.* De *administr. tut.* Roman. *Singul.* 179. & *Consil.* 188. *num.* 4. Socin. Sen. *Consil.* 2. *num.* 7. *lib.* 1. Dec. *Consil.* 255. *num.* 4. Parif *Consil.* 84. *num.* 10. & *Consil.* 96. *num.* 35. *lib.* 1. Rolan. *Consil.* 49. *nu.* 2. *& seq. lib.* 1. Caualcan. *tract. De tut. & Curat. n.* 113. Abbas *in Cap. Conquestus. in fine.* De *vsuris*. Tenetur enim tutor de neglectis. *l. Quicquid. C.* De *arbit. act.* & *l. In quo erit ff. Locati*. Et debet melius res pupilli administrare quàm proprias. *l. Tutor, qui repertorium*. §. 1. *ff.* De *administr. tut.* Eo ipso enim, quod assumit tutelam, assumit etiam obligationem procurandi vtilitatem, & interesse pupilli; vnde deest muneri suo, si non procurat, quando debet, & potest, & est causa damni, & ideò tenetur resarcire.

An Episcopi omnes vti possint Decreto Vrbani VIII. sub die 30. Ianuarij 1629. circa Regulares quò ad confessiones &c. Quæst. 170.

S V M M A

1 *Affirmatiua opinio.*
2 *Decretum Vrbani VIII.* Aliàs à nobis &c. *circa Regulares non est vniuersale.*
2 *Tenor Decreti Vrbani VIII. circa Regulares Diœcesis Gienens.*
3 *Lex non obligat nisi eos, ad quos loquitur.*
4 *Gratia, & priuilegium quibus intelligatur concedi.*
5 *Procedens auctoritate Apostolica, procedit vt delegatus.*
5 *Iurisdictio delegata coarctatur ad delegatum, & ad personam, si exprimitur.*
6 *Iurisdictio restringitur ad locum nominatum in commissione.*
7 *Cessante causa finali cessat dispositio.*
7 *Causa finalis coarctata ad locum facit, quod dispositio non extendatur vltra locum.*
8 *Lex habens rationem generalem, est generalis, licet posita in speciali*
9 *Priuilegium quando, strictè interpretandum.*
10 *Lex ex identitate rationis non extenditur de persona ad personam, nec de loco ad locum.*
11 *Rescripta Principis etiam in casibus particularibus habent vim legis.*
12 *Quid requiratur, vt habeant vim legis.*

1 Videtur affirmatiuè respondendum. Quia dictum decretum Vrbani VIII. quod incipit. *Aliàs à nobis &c.* sub *die* 30. *Ianuarij* 1629. continet regulam, secundum quam se gerere debet Episcopus cum Regularibus circa confessiones, & licentias in ordine ad ipsas, & examen, vel reuocationem licentiæ, & circa prædicationem verbi diuini. Vnde, cum militet eadem ratio in omnibus, habebit etiam vim vniuersaliter idem decretum. Et ita tenet Barbosa *in Collectan. ad Cap.* 15. *num.* 45. *sess.* 23. *Concil. Tridentini*, quem sequitur Bordonus *in Consilijs Regularib. Resol.* 36. *num.* 83. quatenus docent, quod Episcopus suspendens Regulares à confessionibus audiendis, non tenetur ipsis edicere causam, ob quam suspendit, sed tantum Sedi Apostolicæ, si ab ipsa requisitus fuerit, quia ita statuitur in dicto decreto.

2 Sed tenendum est. Dictum Decretum non habere locum vniuersaliter; sed solum in Diœcesi Gienensi, pro qua sancitum est. atque adeò ea, quæ in ipso conceduntur Episcopo Gienensi, non censeri concessa alijs Episcopis, nisi aliunde concedatur. quod, vt manifestum fiat ex inspectione ipsius Decreti, eiusdem tenorem subijciam.

Vrbanus *PP. VIII. Ad futurã rei memor.* *Aliàs à nobis emanarunt litteræ tenoris sequentis: videlicet à tergo.* Dilecto filio nostro Balthassari S. R. E. Præsbytero Cardinali de Sandoual nuncupato, Ecclesiæ Gienens. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli. Intus verò. *Vrbanus Papa VIII. Dilecte fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem.* Cum *sicut nuper nobis exponi fecisti, in tuis Ciuitate, & Diœcesi Gienensi multi diuersorum Ordinum Religiosi, sub prætextu quod ad sacras confessiones audiendas, & verbum Dei prædicandum semel approbati fuerint, absque tua licentia confessiones prædictas audiant, & verbum prædicent non sine graui Christi fidelium scandalo, & eorum salutis animarum detrimento, & licet per censuras, & pœnas ecclesiasticas contra eosdem processeris, ij tamen vigore cuiusdam priuilegij à felicis recordat. Clement. Papa VIII. prædecessore nostro ad fauorem mendicantium emanati, se ab alio, quàm à Romano Pontifice pro tempore existente excommunicari minimè posse prætendant. Nos inconuenientibus huiusmodi iuxta creditum nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium, quantum cum Domino possumus, obuiare, teque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negocijs Regularium præpositorum consilio tibi Religiosis prædictis, ne absque expressa tua licentia sacras confessiones de cætero audire, minusque Verbum Dei prædicare audeant, & præsumant, per censuras, & pœnas ecclesiasticas auctoritate nostra inhibere, eosdemque ad exhibendum tibi licentias, quas illi desuper à te, siue à Prædecessoribus tuis Ecclesiæ Gienensis Præsulibus, siue administratoribus obtinuerint, ad hoc, vt eas vel confirmes, vel reuoces, prout ad diuini cultus augmentum, & animarum Ciuitatis, & Diœcesis salutem, & confirmationem in Domino expedire iudicaueris, cogendi, & compellendi facultatem dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur; non obstantibus quibuscunque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, necnon prædicti Clementis prædecessoris, & quibusuis alijs priuilegijs in vim Cruciatæ sanctæ eis quomodolibet competentibus indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibuscunque derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, & in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorumque tenor proplenè, & sufficienter expressis haberi, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.* Datum *Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die* 13. *Octobris.* 1627. *Pontificatus nostri anno quinto.*

Nunc *autem litibus, & controuersijs, quæ inter Ordinarium Gienensem ex vna, ac religiosos prædictos ex altera partibus, de, & super præinsertis prædictis, vt accepimus, ad præsens vigeat, & de cætero oriri possint, quantum cum Domino possumus, obuiam ire, ac desuper opportuno declarationis nostræ ministerio prouidere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negocijs, ac consultationibus Episcoporum, ac Regularium Præpositorum, consilio partibus auditis, reque maturè discussa Auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus, præinsertas litteras huiusmodi ita esse intelligendas, & declarandas, vt Regulares quidem in Ciuitate, & Diœcesi Gienensi à prædecessoribus Episcopis examinati, & approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas à præsente Episcopo successore pro maiori conscientiæ suæ quiete possint iterum examinari, & si minus idonei reperti fuerint, reprobari ad præscriptum Constitutionis sanctæ memoriæ Pij Papæ V. Prædecessoris nostri hac de re editæ. Sed illi, quos idem*

idemmet Episcopus approbauit, siquidem huiusmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo elapso non possint confessiones audire absque noua Episcopi ipsius licentia, & approbatione præuio etiam, si eidem libuerit, nouo examine. Illi autem, quos ipsemet Episcopus ad confessiones huiusmodi audiendas semel admisit simpliciter, ac sine vlla temporis præfinitione, nullatenus possint ab eodē reprobari sine noua causa, eaq. confessiones ipsas concernente. Cæterum an eadem causa subsit, necne, Episcopum non teneri ipsis Regularibus edicere; sed Sedi Apostolicę dumtaxat, vbi eam sibi aperiri postulauerit. Ad hac quod in eisdem præinsertis litteris dicitur, Regulares non posse verbum Dei prædicare sine Episcopi licentia, id locum sibi vendicare in his tantum Ecclesijs, quæ sui Ordinis non sunt, cum in alijs Ecclesijs sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licet non obtenta; ita tamen, vt si Episcopus non modo benedictionem simpliciter non concesserit, verum etiam Regularibus prohibuerit, quominus prædicent, tunc illo contradicente in sui quidem Ordinis Ecclesijs liceat illis prædicare, quemadmodum S. Tridentini Concilij Decretis salubriter est cautum. Quod si Regulares siue in confessionibus audiendis, siue in prædicando aduersus ca, quæ superius declarauimus, quoquomodo deliquerint in vim earumdem præinsertarum litterarum ab Episcopo Gienensi coerceri, & puniri possint, etiam censuris ecclesiasticis. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quæ in præinsertis litteris huiusmodi volumus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Ianuarij 1629. Pontificatus nostri anno sexto.

M. A. Maraldus.

3 Ex his ergo colligitur, prædictum Decretum non extendi extra Diœcesim Gienensem, nec auctoritatem, quam tribuit Episcopo, extendi vltra Episcopum Gienensem. Quod primò habetur ex eo, quod lex non obligat, nisi eos, ad quos loquitur, iuxta illud Ad Roman. 3. *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, ijs, qui in lege sunt, loquitur.* Cum enim obligatio legis sit secundum mensuram intentionis legislatoris, ad eos nō extenditur, ad quos non se extendit intentio. Prædictum autem Decretum ex intentione Summi Pontificis dirigitur solum ad Episcopum, & Diœcesim Gienens. & ipse solus respicitur ab eiusdem intentione, vt clarè desumitur ex verbis ipsius. ibi. *Dilecto filio nostro Balthassari S. R. E. Presbytero Cardinali De Sandoual nuncupato, Ecclesiæ Gienensis, ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli.* Et rursus declarat Pontifex, se statuere in fauorem dicti Episcopi, quod statuit. ibi. *Teque specialibus fauoribus, ac gratijs prosequi volentes supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati &c. cogendi, & compellendi facultatem dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, &c.*

4 Rursus. facultas, quæ in prædicto Decreto conceditur Episcopo Gienensi, est per modum gratiæ, vt constat ex modo allatis verbis. *Teque specialibus fauoribus, ac gratijs prosequi volentes.* Et est gratia priuilegiatiua contra ius commune, & exemptionem Regularium, qui sunt immediatè subiecti Sedi Apostolicæ, atque adeò contra interesse Sedis Apostolicæ, cuius interest suos subditos ab alijs non iudicari, vt tradunt Abbas *in Cap. Si de terra. nu.* 5. De *Priuileg.* Rota *in Vlixbonen. Monasterij.* 19. *Nouemb.* 1625. *coram Coccino*, & alij citati supra *Quæst.* 135. *num.* 8. Priuilegiū autem, & gratia ijs solùm censetur concessa, qui in ipsa expressè nominantur, aut ad summum personis, quæ habent connexionem cum expressè nominatis. vt desumitur ex Cap. *Sanè*. De *priuileg.* & Cap. *fin.* De *præbend.* & notant communiter Glos. & alij *in Cap. Priuilegium.* De *reg. iur. in* 6. Cardinal *in Clement.* 1. *quæst.* 6. De *testam.* Bart. *in l.* 1. *C.* De *constit. Princip.* Turret. *Consil.* 580. *nu.* 2. & 7. *vol.* 2. Maceratens. *lib.* 1. *Resol. va-*

viar. Resol. 109. *num.* 6. Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *Cap.* 23. *q.* 2. Salas *disp.* 17. *De legib. sect.* 8. *nu.* 48. Suarez *lib.* 8. *De legib. Cap.* 10. *n.* 4. Merol. *tom.* 3. *theol. moal. disp.* 6. *cap.* 3. *dub.* 5. Quare præsens quoque gratia non debet extendi vltra Episcopum Gienensem, cum solus in ea sit nominatus.

5 Accedit etiam, quod in illo Decreto iurisdictio, quæ tribuitur Episcopo, est delegata, vt desumitur ex illis verbis, *Tibi Religiosis prædictis, ne absque expressa tua licentia sacras confessiones de cætero audire, minusque verbum Dei prædicare audeant, & præsumant, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas Auctoritate nostra inhiberi, &c.* Quando enim quis procedit Auctoritate apostolica, procedit vt delegatus, quia exercet iurisdictionem delegantis iuxta Reg. Cap. *Cum aliquibus*. De *rescriptis in* 6., & notat Menoch. *lib.* 2. *Præsump.* 16. *num.* 31. Iurisdictio autem delegata coarctatur ad delegatum, neque ad alios extenditur. Et quando exprimitur in delegatione nomen personæ, non extenditur vltra personam, quia delegatio est personalis, sicuti in casu nostro, vt tradunt Io. Andr. *in Cap. Statutum*. *nu.* 17. ver. *Et ibi*. De *rescript. in* 6. Archidiacon. *nu.* 3. ver. *Quid si, causa*. Alexan. *Consil.* 175. *nu.* 5. *vol.* 5. Imola *in Cap. Quoniam Abbas*. *num.* 8. *in fine*. De *offic. delegati*. Bellam. *ibid. quæst.* 4. *num.* 13. Beroius *num.* 22. Gutierez *De matrim. cap.* 125. *num.* 9. Flamin. *lib.* 1. *De resignat. quæst.* 11. *num.* 12. Gratian. *tom.* 1. *Discept. Forens. cap.* 92. *num.* 2. testans de communi. Sanchez *lib.* 8. *De matrim. disp.* 27. *nu.* 20. alios citans. Salas *disp.* 20. *De legib. sect.* 17. ver. *Dico secundo*. Aut ad summum erit iurisdictio delegata dignitati, atque adeò solùm Episcopis Gienensibus.

6 Præterea coarctatur etiam dicta dispositio ad solam Diœcesim Gienensem, quia disponit tantùm circa Regulares, qui sunt in dicta Diœcesi. ibi. *Auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus, præinsertas litteras huiusmodi ita esse intelligendas, & declarandas, vt Regulares quidem in Ciuitate, & Diœcesi Gienensi à Prædecessoribus Episcopis examinati, & approbati ad confessiones personarum secularium audiēdas &c.* Quare cum huiusmodi iurisdictio committatur determinatè Episcopo Gienēsi, & solùm in ordine ad Regulares, qui sunt in Ciuitate, & Diœcesi Gienensi, restringitur delegatio, seu commissio per speciem loci, ita vt non se extendat extra ipsum iuxta Cap. 2. *De rescriptis*. & Cap. *Statuto*. De *decimis. in* 6.

7 Denique cum finis moueat Principem ad disponendum, & intētio ipsius sequatur finem, fit, quod cessante causa finali dispositionis cesset etiam dispositio. *l. Adigere*. §. *Quamuis*. *ff.* De *iurep. tron.* & *l. Cum te*. C. De *pact. inter empt.* & Cap. *Cum cessante*. De *appellat.* & Cap. *Et si Christus*. De *iureiur.* & notant Petrus Ancharan. *Consil.* 47. *nu.* 4. Angel. *Consil.* 346. & latè Tiraquel. *tract. Cessante causa. par.* 1. *nu.* 11. & *De iure primogen. quæst.* 40. *num.* 170. *& sequent.* In casu autem nostro finis Pontificis fuit remedium præbere inconuenientibus ortis in dicta Diœcesi Gienensi ex dissensionibus inter Episcopum, & Regulares, vt clarissimè constat ex illis verbis, *Nos inconuenientibus huiusmodi iuxta creditum nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium, quantum cum Domino possumus, obuiare, teque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes. &c.* Vnde cum hæc causa sit coarctata ad Diœcesim Gienensem, vt desumitur etiam ex eadem dispositione, ibi. *Cum sicut nuper nobis exponi fecisti in tuis Ciuitate, & Diœcesi Gienensi multi diuersorum Ordinum religiosi sub prætextu &c.* Dispositio quoque erit coarctata ad dictam Diœcesim.

8 Obijcies tamen. Quando lex habet rationem generalem, licet sit specialis, efficitur generalis. *l. Regula* §. *Si quis. ff.* De *iur. & facti ignorant.* Bart. *ibidem*. Alexan. *in l. Si pupillus*. *ff.* De *verborum obligat.* Quia cum ratio sit anima legis, eam extendit. *l. Illud. ff.* Ad *leg. Aquil.* & *l. Si postulauerit*. §. 2. *ff.* Ad *leg. Iul. De adult.* & inter alios notat Surdus *De aliment. tit.* 1. *quæst.* 44. *num.* 15. vnde cum etiam in alijs Diœcesibus sit eadem ratio, habebit locum etiam eadem dispositio.

9 Re-

9 Respondetur huiusmodi dispositionem non esse per modum legis, sed per modum commissionis, & delegationis. vnde non habet locum prædicta doctrina de extensione. Deinde cum sit priuilegium, est strictè interpretandum Cap. 1. *& sequent. De filijs presbit.* & Cap. *Ex tuarum.* De *vsu pallij.* & Cap. *Quamuis.* De *rescrip. in 6.* & notant Parif. *Consil. 9. num. 9. vol. 4.* Francis. Becc. *Consil. 32. num. 10.* Turret. *Consi. 99. num. 10. vol. 1.* Quod præsertim locum habet in casu nostro, quia est contra ius commune tribuens exemptionem Regularibus. Cap. *Priuilegia. Dist. 3.* & notant Parif. *Consil. 6. num. 13. vol. 2.* Becc. *citat.* & communiter Doctores *in Cap. Causam.* De *rescript.*

10 Et dato etiam, quod se haberet per modum legis, non esset extendenda extra Diœcesim Gienens. nam extenditur lex ex identitate, aut similitudine rationis de casu ad casum. A persona autem ad personam, & de loco ad locū nōn fit extensio. *l. Si quis ita. ff. De pœnis.* & notant Aret. *in l. Gallus.* §. *Et quid si tantum. ff.* De *liber. & posth.* Iaf. *in l. Cum res. not. 6. ff.* De *legat. 1.* Abbas. *Conf. 57. vol. 1.* Dec. *Consil. 85.* Craueta *Consil. 161. num. 11. vol. 1.* Sic etiam lex præcipiens denunciandos confessarios sollicitantes edita à Pio IV. pro regnis Hispaniæ extra ipsa non habebat locum, antequam à Gregorio XV. per specialem constitutionem extenderetur, licet ratio legis esset eadem extra dicta regna. Hinc etiam si ratio generalis sit, est restringēda ad personas expressas. *l. De eo. §. Si quis.* iūcta Glos. ff. *Ad exhib.* & notant Brun. *tract. Exclus. fœm. ar. 3. in fine.* Craueta *Consil. 929. nu. 17.* Macerat. *Variar. Resolut. lib. 2. Resolut. 59. casu 13.* ver. *Quia ratio.* In casu autem nostro sunt expressæ personæ non solùm quibus conceditur iurisdictio, sed etiam circa quas est exercenda, & sunt coarctatæ ad existentes in Diœcesi Gienensi.

11 Rursus obijcies. Rescripta Principis, etiam in causis particularibus, habent vim legis, vt habetur ex *l. 1.* De *legib. & constit. Princip.* & §. *Sed & quod.* ver. *Quodcunque ergo.* Instit. *De iur. natur.* & notant communiter Roman. *Consil. 260. init.* Archidiacon. *in Cap. Ignorantia. Dist. 38.* Dominic. *ibid.* Felin. *in Rubr. De rescrip.* Io. Andr. *ibid.* Nauar. *lib. 3. consil. 30. num. 4. De præben.* Rebuf. *ad Constit. Reg. in Proem. Glos. 2.* & *tom. 2. Constit. Reg. tract. de rescript. quæst. 11. §. 14. nu. 152.* Iaf. *l. 1. num. 1. ff.* De *constit. Princip.* Gomez *in Proem. Ad Reg. Cancel. quæst. 2.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 15.* Afflict. *Decis. 368. num. 8.* Gama *Decis. Lusi. 33. in fine.* & *Decis. 228.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 31. nu. 6.* Salas *disp. 2. de legib. sect. 8.* Vasquez 1. 2. *disp. 157. num. 37.* Mastril. *lib. 3. de Magist. cap. 4. num. 365.* Merol. *tom. 2. theol. moral. disp. 4. cap. 3. dub. 13. nu. 134.* & *dub. 15. num. 143.* & desumitur etiam ex Cap. *Licet. 16. quæst. 3.* & Cap. *Multi 2. quæst. 1.* & Cap. *1. Dist. 19.* vbi ita decernit Nicolaus I.

12 Resp. Sententiam, Epistolam, & Rescriptum Principis tunc habere rationem legis vniuersalis, quando coniungitur cum voluntate condendi ius vniuersale, atque adeò quando promulgatur, & proponitur, vt ab omnibus seruanda. Sic responsa Pontificum faciunt ius, vt passim in toto Decretali, licet sint in casibus particularibus, quia inserta sunt in corpore iuris, quod sufficit pro publicatione. Neque enim lex exercet vim suam obligatiuam, nisi promulgetur. & ita notant Sanchez *lib. 2. sum. Cap. 29. num. 14.* & *lib. 2. de matrim. disp. 14. nu. 4.* Suarez *lib. 3. De legib. cap. 15. num. 16.* Salas *disp. 2. de legib. sect. 8. conclus. 4.* Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. disp. 1. punc. 8. nu. 5.* Merol. *tom. 2. Theol. moral. disp. 4. cap. 3. dub. 14. nu. 139.* Mancin. *in Disquisit. Genial. Centur. 1. cap. 95.* Dictum autem decretum Pontificis non est propositum, vt seruandum pro lege communi.

An iudex poſſit cognoſcere, an ſua ſit iuriſdictio, quando quis allegat exemptionem. Quæſt. 171.

S V M M A.

1 *Allegata exemptione iudex non poteſt cognoſcere, an ſua ſit iuriſdictio.*
2 *Mancini opinio.*
2 *Iudicans, an ſua ſit iuriſdictio non eſt iudex in cauſa propria, ſed in cauſa Reipublicæ.*
3 *Vocatus in iudicium debet accedere.*
4 *Allegato priuilegio exemptionis iudex non poteſt amplius procedere.*
5 *Illius eſt declarare, cuius eſt condere.*
6 *Iudicare de exemptione eſt iudicare de iure ſuperioris.*
6 *Immediatè ſubiecti Pontifici non poſſunt ab alio, quàm ab ipſo iudicari.*
7 *Allegans priuilegium exemptionis quomodo teneatur oſtendere.*
8 *Illius eſt cauſa, cuius eſt damnum, vel emolumentum.*
9 *Quando poſſit iudex iudicare, an ſua ſit iuriſdictio.*
9 *Exemptus vocatus in iudicium debet allegare exemptionem.*

---

1 COmmunis ſententia docet, quod ſtante allegatione exẽptionis, non poteſt iudex cognoſcere de ſua iuriſdictione, atque adeo nec iudicare de exemptione. Gloſ. *in Cap. Cum veniſſent.* verbo, *Iudicari.* De *iudicijs*. Abbas *in Cap. Super litteris. nu.* 10. De *reſcriptis*. Cotta *in Memorabil. b.* verbo. *Priuilegium*. Innocent. *in Cap. Venerabili.* De *cenſib.* vbi iterum Abbas. *nu.* 3. & 4. & etiam *in Cap. Ex parte.* De *verborum ſignificatione*. Gutierez *lib.* 3. *Pract. quæſt.* 28. *num.* 2. Garzia *De nobilit. Gloſ.* 1. §. 1. *num.* 1. Gail. *lib.* 1. *Obſeruat.* 1. *num.* 7. Armilla *verbo. Interpretatio. nu.* 4. Gironda *De priuileg. & exempt. num.* 83. Gregorius Lopez *in l.* 1. *tit.* 1. *par.* 2. & *in l.* 27. *Gloſ.* 1. *num.* 18. *par.* 3. Cochier. *De iuriſdict. Ordinar. in Exemptos. lib.* 2. *quæſt.* 13. Barboſa *ad Cap. Cum veniſſent. num.* 2. De *iudicijs*. Tamburin. *De iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 10. *num.* 3. & alij.

2 Sed contra communem ſententiam inſurgit Mancinus *in Diſquiſitionibus Genial. Centur.* 3. *Cap.* 271. aſſerens, poſſe cognoſcere de ſua iuriſdictione, & exemptione allegata. Quia, inquit, in tantum non poſſet cognoſcere, in quantũ nemo poteſt eſſe iudex in cauſa propria, vt habetur ex toto Tit. C. *Vt nemo in ſua cau.* At ſi iudicat, an ſibi non obſtante exemptione allegata iuriſdictio competat, non iudicat in propria cauſa, quia iudicat in cauſa magiſtratus, quæ non eſt propria priuata ipſius, ſed publica, nam, vt ait Cuiac. *in l.* 2. *ff.* Si *quis in ius vocat. non ierit*, non ſibi ius dicit, ſed tuetur auctoritatem, & maieſtatem publicam, quam tenetur tueri; vnde etiam iniuriam ſibi illatam vindicat, quaſi factã honori, quem gerit. Quod præſertim verum eſt, quia cauſa priuata diſtinguitur ab ea, quæ eſt cauſa Reipublicæ. *l. Reipublicæ.* & *l. Non verè. ff.* Ex *quibus cauſis ma. &c.* in hoc autem caſu, cum agatur de iuriſdictione, quæ non eſt quid priuatum, ſed quid Reipublicæ, cauſa non eſt priuata, ſed Reipublicæ. damnum enim, & emolumentum non pertinet ad ipſum iudicem, ſed ad Rempublicam. Omnis autem cauſa eſt illius, ad quem pertinet damnum, vel emolumentum. *l.* 1. §. *In propria. ff.* Quando *appell. ſit.*

3 Affert etiam text. in quibus dicitur, quod in ius vocatus, venire debet, quia pertinet ad iudicem iudicare, an ſua ſit iuriſdictio. Ita in *l. Si quis ex aliena. ff.* De *iudic.* ibi. *Si quis ex aliena iuriſdictione ad Prætorem vocetur, debet venire, vt & Pomponius, & Vindius ſcripſerunt. Prætoris eſt enim æſtimare, an ſua ſit iuriſdictio; vocati autem, non contemnere auctoritatem Prætoris. Nam & legati, cæterique,*

rique, qui reuocandi domum ius habent, in ea sunt causa, vt in ius vocati veniant priuilegia sua allegaturi. & *l.* 2. *ff.* Si quis in ius vocat. non ierit. ibi. *Ex quacunque causa ad Pretorem, vel alios, qui iurisdictioni præsunt, in ius vocatus venire debet, vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictio eius sit.*

4 His tamen non obstantibus à cõmuni sententia non est recedendum, sed tenendum, quod allegato priuilegio exẽptionis non potest amplius procedere iudex inferior, nec iudicare, an sua, vel non sua sit iurisdictio, sed stante dubio recurrere debet ad superiorem, à quo concessum est priuilegium exemptionis. Ita decernitur in Cap. *Cum venissent*. De *iudicijs*. ibi. *Cum super priuilegijs Sedis Apostolicæ causa vertatur, nolumus de ipsis per alios iudicari*.

5 Et desumitur ex generali regula, quod illius est declarare, cuius est condere, vt habetur *ex l. fin*. C. De *legib*. & Cap. *Inter alia*. De *sent. excommunic*. & Cap. *Sicut*. §. *Ex his*. 11. *quæst*. 1. Quia cum talis declaratio debeat præbere auctoritatem priuilegio, & eius terminos præscribere, debet hoc fieri ab habente æqualem auctoritatem cum eo, à quo est concessum. Vnde quando agitur, an stante priuilegio exemptionis competat iurisdictio iudici inferiori, nõ potest ipse de hoc iudicare, quia iudicando præscriberet terminos exemptioni, quod fieri non potest.

6 Ratio autem est, Quia inferior nõ potest iudicare causas sui superioris, cũ ad iudicandum requiratur iurisdictio supra personam, cuius causa est iudicanda; iudicare namque est actus iurisdictionis. Quando autem est iudicandum circa aliquorum exemptionem, est iudicandum, non solum de gratia concessa à superiore: sed etiam de iure superioris, quia exempti sunt immediatè de iure, & proprietate ipsius. Cap. *Cum tempore*. De *arbitris*. & Cap. *Cum olim*. §. *Nos igitur*. De *priuileg*. Vnde docent communiter, quod interest Romani Pontificis, subditos suos, nempe exemptos, & immediatè subiectos ab alio non iudicari, & proinde nec etiam eorumdem exemptionem. Ita Abbas *in Cap*. 1. *n*. 19. De *re iudic*. & *in Cap*. *Si de terra*. *num*. 5. De *priuileg*. Io. Andr. *in Cap*. *Scienti*. *in fine*. ver. *Si verò*. De *reg. iur. in* 6. Franc. *ibid*. *n*. 4. Felin. *in Cap*. *Cum olim*. *n*. 3. *lib*. 1. Rota *in Vlixbonen. Monasterij*. 19. *Nouem*. 1625. *coram Coccino* alios citans. quos sequitur Rota in *Gandauensi Monasterij*. 29. *Apr*. 1641. *coram Eminētiss. Panzirolo*.

7 Neque obstat. Cap. *Cum personæ*. De *priuileg*. *in* 6. Nam ibi statuitur solum, quod ad tollenda subterfugia, quibus aliqui prætextu exemptionis declinabãt forum, & correctiones, atque ordinationes Ordinariorum, teneantur, qui tale priuilegium exemptionis prætendent, illud ostendere vel Ordinario, vel deputatis ab ipso, in loco tamen tuto, & illud exhibere integraliter legendum, & transcriptum tradere de articulis, de quibus est controuersia. Non autem tribuitur Ordinario facultas aliqua iudicandi circa priuilegium exemptionis, aut, an illo non obstante iurisdictio illi competat. Quod clarum est ex ipso textu. Ita enim habet. *Nos volentes super hoc de salubri remedio prouidere, statuimus, vt hi, qui se asserunt per priuilegia, seu indulgentias Apostolicæ Sedis exemptos à locorum Ordinarijs requisiti huiusmodi priuilegia, vel indulgentias, quibus se dicunt fore munitos, ipsis Ordinarijs in loco congruo, & securo, aut aliquibus prudentibus viris omni suspicione carentibus, ad hoc per dictos Ordinarios deputatis, infra terminum competentẽ pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum, vel delegatorum suorum arbitrio moderandum iusto impedimento cessante ostendere, ac ad legendum integraliter exhibere: nec non de articulis, de quibus controuersia fuerit, transcriptum tradere teneantur*. Ex quibus constat, quod solum ostendenda sunt priuilegia exemptionis ad excludẽdas exemptiones commentitias, & sine fundamento; non autem, vt stante vera exemptione iudex inferior iudicet, an iurisdictio sua sit.

8 Ex his autem corruunt, quæ in oppositum allata sunt, nam ratio, cur non possit in hoc casu iudex inferior iudicare, an sua sit iurisdictio, non est, quia

iudi-

iudicaret in propria causa; sed quia iudicaret in causa sui superioris; quod non potest facere; cũ enim causa illius sit, ad quem spectat damnum, & emolumentum, vt benè ibi dicebatur per tex. allegatum. *l.* 1. *§. In propria. ff.* Quando *appellan. sit*; & damnum circa exemptionem, vel emolumentum pertineat ad superiorem, vt constat ex dictis, causa exemptionis est causa propria illius.

9 Neque vrget tex. *l. Si quis ex aliena. ff.* De *iudic.* nam, vt ex citatis verbis ipsius constat, in prima parte solum habetur, quod quando quis non exemptus vocatur in iudicio ex aliena iurisdictione, debet accedere, quia pertinet ad Prætorem iurisdictio, quando scilicet sumus in cõcursu iurisdictionis ipsius prætoris, & alterius iudicis inferioris: non autem, quando sumus in concursu iudicis inferioris, & superioris ratione exemptionis; nam tunc, vt habetur in secunda parte text. vocatus in iudicium debet solum allegare suam exemptionem, & priuilegium. non autem debet iudex iudicare, an sua sit iurisdictio. In *l. autem* 2. *ff. Si quis in ius vocatus &c.* solum decernitur, quod citatus debeat comparere, vt iudex sciat, an causa sit de sua iurisdictione, quia nimirum exemptus debet coram ipso allegare suam exemptionem, vt hoc pacto iudex sciat, quod non sit de sua iurisdictione; non autem, quia stante dubio de exemptione debeat cognoscere, an sua sit iurisdictio.

* * *



An Regulares possint fundare censum ex pecunia ijs relicta pro missa perpetua supra Monasterio, aut horto inseruiente pro Monasterio. Quæst. 171.

S V M M A.

1 *Relicta pro missa perpetua conuertenda sunt in bona immobilia fructifera.*
2 *Conuentus Regularium an computandi inter bona immobilia fructifera.*
3 *Ex relictis pro missa perpetua nõ potest fundari census super conuentu, & horto annexo Regularium.*
3 *Legem violat, qui sequens verba facit contra ipsius mentem.*
4 *Verba antecedentia declarant subsequentia.*
4 *In qua bona fructifera conuertenda relicta pro missa perpetua.*
5 *Quid requiratur, vt aliqua sint bona immobilia fructifera.*
6 *Quando bona immobilia dicantur solita fructificare.*
6 *Fratres Minores possunt habere hortalitia pro vsu proprio, non autem annuos prouentus.*
7 *Prohibitio alienandi prohibet etiam fundationem census.*
8 *Quæ bona immobilia possint Clerici Regulares Theatini alienare.*
8 *Cessante ratione legis cessat eius dispositio.*
8 *Vbi diuersa ratio, ibi debet esse diuersa dispositio.*

1 SAcra Congregatio Concilij in Decretis *De celebratione missarum editis iussu Vrbani VIII. sub die* 21. *Iunij* 1625. statuit, quod pecunia, & bona mobilia, quæ ab Ecclesijs acquiruntur cum onere perpetuarum missarum, debeant conuerti in bona immobi-

mobilia fructifera cum expressa mentione oneris. ita enim habet: *Præterea, ne in Ecclesijs, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, vt par est, ad implendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta, statuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus tàm sæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirẽda cum onere perpetuo missarum celebrandarum ab ijs, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, vt supra deponi, atque in alijs bonis stabilibus itidem fructiferis cũ eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.* Stante ergo hoc decreto, dubitatur, an conuersio dictæ pecuniæ, seu pretij fieri possit in conuentum, aut hortum inseruientem conuentui ea substituendo oneri missarum, & fundando censum super ipsis.

2 Et partem affirmatiuam tenuerũt quidam Regulares, quia conuentus cõputatur inter bona immobilia fructifera, quia cum inseruiat habitationi, est aptus fructificare; vnde si Religiosi non haberent conuentum, tenerentur conducere domus ad habitandum cum annuo dispendio. Et ideò illud, quod quotannis soluerent pro domibus conductis ad habitandum, potest computari pro emolumẽto oneris assumpti celebrandarum missarum.

3 Sed hoc omninò reijciendum est tanquam contrarium supradictis decretis, & vt quid excogitatum in fraudem legis. Ille enim violat per fraudem legẽ, qui in cortice seruat legem quò ad verba, & facit contra eius mentem, & intentionem. *l. Non dubium. C. De legib.* & *l. Contra. ff.* De legib. ibi. *Fraudem facit, qui saluis verbis legis, mentem eius circumuenit.* Mens enim talis constitutionis fuit, quod ita applicarentur pecuniæ in bona immobilia fructifera, vt annuatim perciperentur fructus, & in eum finem, vt onus annuum missarum singulis annis congruo emolumento compensaretur, ne secluso emolumento, cum tepiditate oneri satisfieret, vt constat ex verbis ipsius Constitutionis, ibi. *Nec in Ecclesijs, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta, statuit, atque decernit, &c.* Ex quibus constat, quod intendit, vt effectiuum emolumẽtum correspõdeat quotannis oneri missarum; nullum autem corresponderet, si census fundaretur super monasterio, aut horto inseruiẽte eidem monasterio.

4 Verum neque seruaretur lex quò ad ipsa verba, quia lex præcipit, quod pecuniæ inuestiantur in bonis immobilis fructiferis, & intelligit de fructiferis actualiter, ex quibus quotannis percipiantur debiti fructus. Cum enim verba antecedentia declarent subsequentia, *l. Vnum. ff.* De petit. hæred. & *l. Qui filiabus init.* & *l. Si seruum. §. fin. ff.* De legatis 1. & notant Castrens. *Consil.* 347. *nu.* 2. *lib.* 2. Surd. *Decis.* 288. *num.* 30. *& sequent.* Cephal. *Consil.* 159. *num.* 10. & *Consil.* 351. *num.* 38. Paris. *Consil.* 23. *num.* 118. *lib.* 1. ex præcedẽtibus verbis colligitur, quod intelligat de bonis immobilibus, ex quibus actualiter percipiantur fructus; nam antecedenter habet Constitutio. *Præterea, ne in Ecclesijs, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta, statuit, atque decernit, vt pecuniæ &c. ad effectum illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis &c.* intelligit ergo de bonis immobilibus fructiferis, quæ continuò faciant

ciant correspondere congruum emolumentum oneri missarum.

5 Accedit etiam, quod bona immobilia non possunt dici fructifera, nisi sint destinata ad fructificandum, & soleant fructus afferre; quia cum potentia vana sit, quæ non reducitur ad actum. *l. Hæ enim. §. Si prætor. ff.* De *suspect. tutor.* & *l. Multum interest. C. Si quis alteri, vel sibi.* & Cap. *Pastoralis. §. Quoniam.* De *rescriptis.* dum non reducuntur ad fructificandum, habentur pro non fructiferis. quia esse sine effectu, & non esse, paria sunt, vt notant Surdus *Decis.* 51. *nu.* 21. *&* 22. & *Consil.* 3. *num.* 8. & *Consil.* 179. *nu.* 49. Maceratens. *Variar. Resolut. lib.* 1. *Resol.* 61. *num.* 24. & ideò paria quoque sunt non fructificare quò ad effectum, & non esse fructifera.

6 Cum ergo Monasteria Regularis non sint destinata ad fructificandum mediante locatione, sed inseruiant pro ipsorum habitatione, non possunt dici solita fructificare, neque enim bona immobilia possunt dici solita fructificare, nisi pluries fructum attulerint, argum. ex §. *Pauonum.* Instit. *De rerum diuisione.* & *l. Lege. §. Igitur. ff.* De *verbor. significat.* & *l. Solet. ff.* De *ferijs.* Et proinde licet Fratres Minores iuxta ipsorum Regulam non possint possidere bona stabilia fructifera, seu prouentus annuos, possunt tamen habere nedum conuentus, sed etiam hortalitia pro ipsorum vsu, vt de vtroque declarat Pōtifex *in Clement. Exiui. §. Licet verò.* De *verbor. significat.*

7 Et hæc, quæ dicta sunt procedunt supposita facultate alienandi bona immobilia, nam hac seclusa ex hoc quoque capite nō potest huiusmodi census fundari supra conuentu, vel horto annexo. nam in prohibitione alienationis interdictæ de rebus Ecclesiasticis, comprehenditur etiam fundatio census. Nam ita de mandato Vrbani VIII. declarauit Sacra Concilij Tridentini Congregatio *die* 7. *Septemb.* 1624. reuocatis omnibus priuilegijs &c. & declaratio talis est. *Sacra Congregatio Cardinal. Concil. Trident. interpretum rerum experimento edocta, quantum religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium distractionibus, quas crebrò faciunt Regulares Apostolicis priuilegijs innixi, ac proinde opera pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compescere, speciali S. D. N. iussu Generalibus, & Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuscunque aliis Superioribus regularibus cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti intra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, seu conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphiteusim, præter quam in casibus à iure permissis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis, & gratis cōcedenda sub pœna priuationis omnium officiorum &c.* Ex quibus constat, quod fundatio census super bonis immobilibus prohibita est; & ideo ex hoc quoque capite non potest fundari dictus census super conuentu.

8 Et hoc militat etiā apud nos Clericos Regulares, quia licet stante nostro Instituto de non possidendis bonis immobilibus non comprehendamur sub prædictis prohibitionibus de non alienādis bonis immobilibus, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij *anno* 1625. hoc tamen non se extendit ad ipsum monasterium, neque ad hortum, qui sit pars monasterij. In tantum namque non comprehendimur sub dictis prohibitionibus, in quantum possidere bona immobilia repugnat nostro Instituto, & ideo est concessa facultas alienandi pro conseruando Instituto; extenditur ergo solum ad illa bona immobilia, quæ repugnant Instituto; quia in his solis militat ratio legis, qua cessante cessat etiam eius dispositio. *l. In omni. ff.* De *adoption.* & *l. Quod dictum. ff.* De *pactis.* & *l. Adigere. §. Quamuis. ff.* De *iurepatron.* Non repugnat autem nostro Instituto habere conuentus proprios, & hortos annexos, imo est secundum ipsum. & ideo est diuersa ratio de ipso, ac de cœteris bonis immobilibus.

bilibus. Vnde debet etiam induci diuersa iuris dispositio. *l. Inter stipulantem. §. Sacram. ff.* De *verbor. obligat.* &. *l. fin. ff.* De *ritu nuptiar.* & *l. Si ita. ff.* De *manumiss. test.*

An pecunia retracta ex redemptione census Ecclesiæ distrahi possit absque facultate Apostolica. Quæst. 173.

S V M M A.

1 *Quæ ab Ecclesiasticis prohibeantur alienari.*
2 *Pecunia destinata ad emenda immobilia, an sit res immobilis.*
2 *Quænam sint bona immobilia.*
3 *An pecunia sit res mobilis pretiosa.*
4 *Pecunia recepta ex redemptione census cõputatur inter mobilia.*
5 *Census an computetur inter bona mobilia.*
5 *Finis trahit ad se omnia.*
6 *Pecunia retracta ex redemptione census Ecclesiæ non potest distrahi absque facultate Apostolica.*
7 *Pecunia destinata pro immobilibus computatur inter immobilia.*
8 *Pecunia pupilli destinata ad emenda prædia non potest alienari, nisi interueniente solemnitate &c.*
9 *Res vendita, & census redemptus repræsentantur in pecunia.*
9 *Pecunia succedit loco rei.*
9 *Pretium fundi legati, & euicti medio pretio post mortem testatoris debetur legatario.*
10 *Principium, & finis debet attendi.*
10 *Principium est de substantia principiati.*
10 *Finis ostendit, qualis res censenda sit.*
10 *Iudicandum de re, vt in termino, non vt in via.*
11 *Pecunia retracta ex redemptione census est de proprietate Ecclesiæ.*
11 *Prælatus non potest disponere de bonis Ecclesiæ.*

1 Difficultas in proposito casu consistit, an dicta pecunia comprehendatur sub bonis prohibitis alienari sine facultate Sedis Apostolicæ per Paulinam, *Ambitiosæ.* De *reb. Eccles. non alienan.* & per Decretum Sac. Congregat. *sub die 7. Septemb. 1624. iussu Vrbani VIII. editum.* Quæ autem prohibentur alienari sunt bona immobilia, & mobilia pretiosiora.

2 Quod autem spectat ad punctum difficultatis respondendum videtur, non comprehendi dictam pecuniam sub bonis prohibitis alienari; nam non comprehenditur sub bonis immobilibus, Quia, etiam si sit destinata ad emenda bona immobilia, non tamen dicitur res immobilis, vt docent communiter DD. *in l. Mouentium. ff.* De *verbor. significat.* & *in l. Cætera. §. Sed si parauerat. ff.* De *Legatis* 1. Cinus, Angel. Bald. Aret. Alber. Ias. Imola, Florian. Alexan. & alij, Boer. *Decis.* 209. qui alios citat. Grassis *in Communib. opin. §. Legatum. quæst.* 19. Mantica *De coniectur. vlt. volunt. lib.* 9. *Tit.* 3. *nu.* 3. Pinel. *in l.* 1. *par.* 2. *num.* 42. C. De *bon. mater.* Roland. *De lucro dotis. quæst.* 11. Menoch. *lib.* 4. *Præsump.* 138. *nu.* 3. Thesaur. *Decis. Pedemon.* 160. *nu.* 6. Genuens. *in Praxi Cur. Archiepis. Cap.* 60. *num.* 9. Borgninus *Consil.* 60. Rursus Alber. *in l. Ea demum.* C. De *collat.* Tiraquel. *De retract. §.* 1, *Glos.* 7. *num.* 102. Riccius *in Praxi par.* 1. *Resol.* 67. *num.* 2. Cum bonorum mobilium appellatione veniant, quæ sui natura de loco ad locum moueri possunt, *l. A Diuo Pio. §. In venditione. ff.* De *re iudic.* & *l. Mouentium. ff.* De *verbor. significat.* vbi Bart. Alciat. Rebuf. & alij, Menoch. *Consil.* 407. *n.* 6. Oldrad. *Cons.* 219. Tusch. *littera B. Conclus.* 103. manifestè constat, pecuniã non esse computandam inter bona immobilia.

3 Nec etiam comprehenditur sub bonis mobilibus pretiosis, si quidem non est de ijs, quæ seruando seruari possunt, sed de ijs è contra, quæ seruando seruari non possunt, vt notant Alexan. *in l.* 1. *§. Fuit quæsitũ. n.* 4. *ff.* Ad Trebel. & *Cons.* 25. *num.* 6. *vol.* 3. Ripa *in modo citat. l. nu.* 17.

Panorm.

Panorm. *in Cap. Nulli. num.* 11. De *reb. Eccl. non alien.* Syluester *verbo*. Alienatio *.num.* 7. Quaranta *in Sum. Bullarij, verbo*. Alienatio. *num.* 25. Peirin. *tom.* 3. *Priuileg. Ad Constit.9. Iulii II.nu.*11. Riccius *in Praxi. par.* 1. *resolut.* 47. *num.* 3. alios citans. Est enim pecunia ex natura sua cõsumptibilis in quotidianos vsus, & ideo non potest connumerari inter ea, quæ seruando seruari possunt.

4 Neque obstat, quod dicta pecunia recepta sit ex redemptione census, quia adhuc computatur inter bona mobilia, vt docent Dec. *in l. Ea demum. C.* De *collat.* & alij DD. *ibid.* præsertim Raphel. Alber. Cinus, Bald Corneus, Tiraquel. De retract. lignag. in fine Tituli *Quæst.* 3. *nu.* 14. vbi alios citat. quia nimirum pecunia retinet semper suam naturam; nec commutatio rei immobilis, facit, quod pecunia euadat immobilis; quia est commutatio vnius speciei in alteram speciem.

5 Imo etiam census ipse computatur inter bona mobilia, quando est redimibilis, per ea, quæ tradunt Speculat. *Tit. De fructib. & interesse. §. Scias igitur.* ver. *Sed quid si debeo.* Tiraquel. *De retract. lignag. in fine .tit. quæst.* 3. *num.* 19. Gomez. *De censib. cap.* 3. *num.* 4. Garzias *De benef. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 96. Matien. *l.*1. *Glos.*1. *num.* 93. *tit.* 9. *lib.* 5. *nouæ Recopil.* Quia nimirum finis ostendit, quales res sint censendæ. *l. Sed & si quid. §.*1. *ff.* De *vsufruc.* & Cap. *Fraternitatis. §. fin.* De *frigid. & malef.* Vnde cum census redimibilis conuertatur in pecuniam, quæ ex natura sua res mobilis est, debet haberi pro re mobili, cũ finis trahat ad se omnia, quæ ad ipsum tendunt. *l. Et si non sint. §. Perueniamus. ff.* De *auro, & argen. leg.*

6 His tamen non obstantibus tenendum, quod pecunia recepta ex redemptione census ipsius Ecclesiæ inter bona immobilia computanda sit. Et proinde non posse alienari absque solemnitate requisita pro rebus Ecclesiæ non alienandis, vt tradunt Syluester *verbo*. Alienatio. *num.* 7. Quaranta *in Summa Bullarii. verbo*, Alienatio. *num.* 25. Redoan. *De reb. Eccles. non alienan. Quæst.* 16. *nu.* 13. Vasquez *Opus de reddit. Ecclesiast. cap.* 2. §. 2. *dub.* 13. *num.* 45. Bonac. *de alienat. bonor. Ecclesiast. disp.* 2. *quæst. vnica. punc.* 2. *num.* 6. ver. *Tertio de pecunia*. Peirin. *De priuileg. Minor. ad Constit.* 9. *Iulii II. num.*11. Riccius *in Praxi par.* 1. *Resol.*58. *nu.* 2. Rota *in vna Veneta Nullitatis contractus* 13. *Nouem.*1602. *coram Pamphilio.*

7 Ratio autem est, quia, licet pecunia de se non sit res immobilis, quando tamen est destinata emptioni rerum immobilium, computatur inter bona immobilia, vt tradunt Raphel. Cuman. *in l. A Diuo Pio. §. fin. ff.* De *re iudic.* hoc ipsum colligens ex illo tex. & *in l. Cætera. §. Sed si separauit. ff.* De *legat.* 1. Roman. *in l. Quid ergo. §. Vsuras.* ver. *Quid ergo. ff* De *contr. & vt. act. tutelæ*, & *in l. Si ex legati causa. ff.* De *verbor. obligat.* Aret. *ibid.* ver. *Addit etiam*. Barbat. ver. *Adde etiam in quantum*. Item Roman. *Singular.* 103. & *Consil.* 188. *dub. vltim.* Bald. *in l. Etiam. C.* De *fideicom.* & *Consil.*14. *lib.* 2. Firman. *tract. de gabel. par.*2. *par.* 8. *princip.* ver. *Et propterea*. Io. Lupus *in Repet. Rubr. De donat. inter vir. & vxor.* §.38. ver. *Et pecunia*. Anton. Corset. *in singular.* ver. *Pecunia*. Francis. Ripa *in l.* 1. *num.*9. *ff. Ad senatusconsult. Trebel.* Tiraquel. *De retract. lignag.* §.1. *Glos.* 7. *num.*106. vbi alios citat. Viuius *tom.*2. *commun. opinion. lib.*7. *tit.*1. *nu.* 278. ver. *Necnon pecunia destinata*. Ceuallos *Commun. contra commun. quæst.* 312. Caldas Pereira. *De empt. & vend. t. cap.*13. *nu.*32. Ioseph Ludouicus *tom.* 3. *Tit. De verbor. significat. conclus. vnica. Ampliat.*3. Gomez *§. Item Seruiana. nu.*21. Instit. *De actionib.* Menoch. *Consil.*114. *nu.*32. Redoan. *De reb. Eccles. non alien. quæst.* 16. *nu.* 13. Boer. *Decis.*209. Gail. *lib.*1. *Pract. obseruat. cap.* 11. Thesaur. *Decis.*160. *num.* 6. Riccius *in Praxi. par.* 1. *Resol.* 67. *num.* 5. Foller. *in Praxi.* ver. *Annotentur bona*. Fulgosus *in l. Eadem. C.* De *collat.* Alexan. Aretin. & alij *ibid.* Quod præsertim verum est, si debeat conuerti in res immobiles, vt notãt Syluest. *ver.* Alienatio. *q.*6. Vasquez *Opus de reddit. ecclesiast. cap.*2. *§.*2. *dub*13. *n.*45. Molina *de iust. & iure tract.* 2. *disp.* 465. *num.* 4. Bonac. *disp.* 2. *De alienat.*

alienat. bonor. eccles. punc. 2. *num.* 6. ver. *Tertiò de pecunia*. Quaranta *in Sum. Bullar.* verbo. *Alienatio. num.* 3. *&* 25. Rota Romana in fine *num. præced. citata*.

8 Et desumitur ex *l. A Diuo Pio*. 8. *in fine*. *§. fin. ff.* De *re iudic.* & *l. Quid ergo si de re. ff.* De *contract. tut. & vtili act.* vbi supponitur, quod pecunia pupilli destinata ad emenda prædia non possit alienari, nisi interueniente solemnitate, quæ requiritur pro alienatione immobilium. ibi. *Quid ergo si de re pupillari non potuit sibi soluere, quia erat deposita ad prædiorum comparationem? Si quidem non postulauit à tutore, vt promatur pecunia, vel hoc minus deponatur, sibi imputet. Si verò hoc desiderauit, nec impetrauit, dicendum est, non deperire ei vsuras contrario iudicio.* Huiusmodi autem solemnitas non potest alia ratione esse necessaria, nisi quia talis pecunia computatur inter immobilia bona.

9 Ratio autem est. Quia res vendita, aut census redemptus repræsentatur in illa pecunia. *l. Quia qui pretio. ff.* De *vsufruct. & quemad. quis vtat. fruat.* Pecunia namque substituitur pro re, cum qua fit commutatio, & ideo, quamuis de se mobilis sit, induit tamen conditionẽ rei inalienabilis, tanquam si immobilis esset, quia succedit loco illius. arg. ex *l. Ita constante. ff.* De *iure dotium*. & per ea, quæ notant DD. *in l. fin. eiusdẽ tit.* & *in Cap.* 1. *Causa* 12. *quæst.* 3. Quod autem in locum alterius subrogatur, induit conditiones illius. *l. Si eum*. *§. Qui iniuriarum. ff.* Si *quis caut.* vbi Doctores, & Cap. *Ecclesia* 1. Vt *lite pendente*. Vnde si fundus legatus post mortem testatoris euincatur dato pretio, hoc pretium tanquam subrogatum in locum fundi debetur legatario. *l. Qui solidum*. *§.* 1. *ff.* De *legat.* 2. Et ideo induit easdem conditiones, & qualitates.

10 Accedit etiam, quod in omnibus principium, & finis debet attendi. Actus enim, & res ex suo principio iudicatur. *l. Pomponius. ff.* De *negot. gest.* & *l. Si procuratorem. ff. Mandati*. & *l. Nam origo. ff.* Quod *vi, aut clam*. Est enim principium de substantia principiati, & fundamentum illius, vt notant Oldradus, *Consil.* 200. Tusch. *littera P. Conclus.* 702. *num.* 1. Finis verò tanquam mensura, & forma determinans ostendit, quales res censendæ sint. *l. Sed & si quid*. *§.* 1. *ff.* De *vsufruc.* & Cap. *Fraternitatis*. *§. fin.* De *frigid. & malefic.* Quare cum dicta pecunia habeat pro sui principio rem immobilem, aut saltem inalienabilem absque debitis solemnitatibus, & sit conuertenda in rem immobilem, & incommodum Ecclesiæ tanquam ea, quæ est de proprietate ipsius, debet censeri inalienabilis absque debitis solemnitatibus, vt pote iudicanda secundum principium, & finem. Et quia in illa pecunia consistunt bona Ecclesiæ non tanquam in statu permanenti, sed tanquam in via ordinata ad terminum, & ideo non debemus de ipsa iudicare, vt est in via, quia via, sicut non facit statum, ita nec sufficit, vt secundum ipsam de re iudicemus, si quidem via computatur inter ea, quæ per accidens se habent, & sunt extra naturam rei.

11 Denique dicta pecunia ex redẽptione census accepta non est de fructibus Ecclesiæ, sed de proprietate illius: vnde est destinata ad fructificandum in vtilitatem Ecclesiæ; & proinde pertinet ad dotem eiusdem Ecclesiæ, & debet conseruari in ordine ad finem, pro quo est destinata, vel in se, vel in alijs bonis fructiferis. Prælatus autem non potest disponere de rebus, quę sunt de proprietate Ecclesię, sed solum de fructibus, vt ex *Clemen.* 1. *in fine.* De *reb. Eccles. &c.* & notat Glos. *in Cap. fin.* 5. *quæst.* 3. & Glos. fin. *in Cap. Generali*. De *elect. in* 6. Pecunia namque est illius, cuius est res, ex qua accipitur. *l. Mater*. *§.* 1. *C.* De *rei vendit.* & *l. fin. C.* De *negot. gest.* & *l. Si cum seruum. ff.* Si *cert. pet.* Esset enim valde absurdum, quod Prælatus posset disponere de pecunia accepta ex redẽptione census, cum non potuerit alienare.

An pecunia Ecclesiæ accepta ex redemptione census possit sine solemnitate conuerti in extinctionem debitorum eiusdem Ecclesiæ. Quæst. 174.

S V M M A.

1 *Pecunia retracta ex redemptione census Ecclesiæ non potest conuerti in extinctionem debitorum eiusdem Ecclesiæ.*
2 *Quod succedit loco rei inalienabilis, est inalienabile.*
2 *Causa à iure requisita, debet in specie approbari.*
3 *An extinctio debitorum sit sufficiens causa alienandi res Ecclesiæ.*
4 *Rerum Ecclesiasticarum alienatio conceditur ex causa, sed cum debita solemnitate.*
5 *Qualis necessitas requiratur, vt res Ecclesiæ possint alienari.*
5 *Causa, ob quã res Ecclesiæ possint alienari, debet esse auctorizata.*
6 *In alienatione rerum Ecclesiasticarum respiciendum ad vtilitatem Ecclesiæ.*
7 *Quæ necessitas faciat licitum, quod aliàs est illicitum,*
8 *An pecunia destinata pro emendis immobilibus, aut mobilibus pretiosis, possit conuerti in vsualia monasterij.*

1 NEgatiuè respondendum est, vt respondent etiam Turrecrem. *in Sum. lib.* 12 *quæst.* 2. qui extendit hoc etiam in casu necessitatis. Redoan. *De reb. Eccles. non alienan. quæst.* 16. *num.* 15. Beroius *in Cap. Nulli. num.* 83. De *reb. eccles. non alienan.* Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepis. Cap.* 60. *num,* 14. Riccius *in Praxi aurea, par.* 1. *Resol.* 70. *num.* 3. Rota *in vna Veneta Nullitatis Contractus*. 13. *Nouem.* 1602. *coram Pamphilio*.

2 Ratio autem est, quia cum talis pecunia successerit loco rei argum. ex *l. Ita constante. ff.* De *iure dotium*, sicut non posset res ipsa alienari pro extinctione debiti, ita nec etiam ipsa pecunia absque debita solemnitate. argum. ex *l. Si pupillorum. §. Si prætor. ff.* De *reb. eorum. &c.* Quando enim iura requirunt aliquam causam, vt aliquid aliàs prohibitum concedatur, debet causa in specie approbari à superioribus, vt de ipsa iuridicè constet, quia debet constare, quod sit causa requisita à lege, quod fieri nequit, nisi præmittatur examen. & ideo praxis obtinet, quod quoties petitur licentia alienandi aliquas res ecclesiasticas ob aliquã causam, delegetur aliquis, qui cognoscat de causa.

3 Hinc quando agitur de extinctione debitorum ecclesiæ, non sunt causa sufficiens alienandi, nisi sint vrgentia, vt notat Bellamera *in Cap. Non liceat.* vers. *Tertiò probatur.* 12. *quæst.* 2. per Auten. *Hoc. C. De sacrosanc. Eccles.* Quando enim extinctio debiti non vrget, non adest necessitas alienandi, quæ est causa reddens licitam alienationem.

4 Rursus. quamuis iura concedant alienationem rerum Ecclesiæ interueniente necessitate; non tamen concedũt, quod fiat non seruatis debitis solemnitatibus. & solum permittunt, non seruari solemnitates, quando necessitas est adeo vrgens, vt non patiatur, eas seruari, vt inter alios notãt Cardin. *in Clem.* 1. *n.* 29. De *reb. Eccles. non alien.* Gondisal. à Villadiego. *tract. de leg. quæst.* 11. *in fine*, alios citans. Abbas *in Cap. fin.* De *eccles. ædif. vel reparan.* Turrecrem. *in Sum. lib.* 12. *quæst.* 2. Redoan. *De reb. eccles. non alien. quæst.* 19. *nu.* 34. & habetur ex Cap. *Placuit*. 12. *quæst.* 2.

5 Imo quando agitur de alienandis rebus Ecclesiæ ob causam necessitatis, debet necessitas esse euidens, nec sufficit qualiscunque per Cap. 1, De *reb. Eccles. non alienan. in* 6. ibi. *Præsertim cum euidens necessitas. quare fieri deberet, vel vtilitas non subesset.* vt notant etiam Couaruuias

ruu ias *lib. 2. Variar. resolut. cap. 16. nu. 8* ver. *Cæterum*. & alij. Et ideò debet necessitas, & consequenter alia quæcunque causa examinari, vt constet, an sit sufficiens. & proinde requiruntur solemnitates & facultas alienandi iuxta tex. Cap. *Diaconi*. Cap. *Si qua*. Cap. *Alienationes*. Cap. *Sine exceptione*. 12. *quæst.* 2. Vnde debet causa necessitatis, siue quæcunque alia esse auctorizata, & declarata, quod sit ex illis, quas iura requirunt. & ideo in casu nostro necessariæ sunt solẽnitates, vt pecunia accepta ex redemptione census conuerti possit in extinctionem debitorum.

6 Quod à fortiori militat in casu præsenti, quia non adest necessitas, quæ cogat debita extinguere, quia potest continuari solutio interesse cõsueti, aut alio modo possunt debita extingui. & aliàs potest cedere in maiorem vtilitatem Ecclesiæ, quod illa pecunia in aliud cõuertatur, vt in simili dicit Marian. Socin. *tract. de oblat. lib. 3. nu.* 15. Et ideo cum semper respiciendum sit ad Ecclesiæ vtilitatem, præmittendæ sunt solemnitates institutæ pro seruãda Ecclesia indemni, & procuranda eiusdem vtilitate.

7 Vnde quando dicitur, quod necessitas facit licitum, quod aliàs non erat licitum. Cap. *Quod non est licitum*. De *reg. iur.* & quod Necessitas non habet legem. *l. Si quis propter*. *C.* De *patrib. qui fil. fi. distrax.* debet intelligi de necessitate ita vrgenti, quæ non permittat legem seruari iuxta dicta præcedenti *nu.* 4. & ea, quæ tradit Archidiacon. *in Cap. Ea enim. §. Hoc ius*. verbo, *Conflata*. 10. *quæst.* 2. nam si compatitur obseruantiam legis, non præualet contra ipsam.

8 Ex quibus infertur contra Bordonum in *Consil. Regular. Resol.* 27. *num.* 51. Magnam pecuniæ summam destinatam pro emendis stabilibus, aut mobilibus pretiosis non posse conuerti ad emenda mobilia vsualia pro Monasterio. Quia, vt constat ex dictis *quæst. præced. num.* 7. computatur inter bona immobilia, atque inter bona, quæ monasterium stabiliter possidet. Vnde cessant, quæ pro se adducit dictus Bordon. quod non sit res pretiosa, quia non habet vsum, nisi consumatur, quod requiritur, vt aliquid dicatur res pretiosa ex Panorm. *in Cap. Nulli*. De *reb. Eccles. non alien.* Syluest. *verbo*, Alienatio. *num.* 7. Armilla *num.* 5. Conrad. *par.* 2. *quæst.* 25. Nam prohibetur distrahi tanquam aliquod immobile, & stante destinatione ad emenda immobilia, esset æquiualenter alienatio rei immobilis. Nec obstat, quod res immobilis emenda non possideatur, & prohibitio sit solum de alienandis, quæ possidẽtur; nam possidetur ipsa pecunia, quæ pro re immobili habetur. Et ideo ita docent Conrad. *par.* 2. *Resp. cas. consc. q.* 25. Armilla *verbo*. Alienatio. *num.* 4. Homobonus *par.* 4. *resp.* 44. alios citans Bonac. *disp.* 2. *de alienat. bonor. eccles. quæst. vnic. punc.* 2. *num.* 5. testans, esse communem opinionem. Barbosa *De potest. Episcopi par.* 3. *allegat.* 95. *num.* 40.

An peccent, qui in Ecclesijs sumunt Tabachum. Quæst. 175.

SVMMA.

1 *Probibitio sumendi tabachum in Ecclesijs &c.*
2 *Peccant sumentes tabachum in Ecclesijs, & earumdem atrijs.*
2 *Sumptio tabachi in Ecclesijs, cur probibita.*
2 *Ex proemio colligitur finis legislatoris*
3 *Sumptio tabachi in Ecclesijs est contra reuerentiam ipsis debitam.*
4 *An sit mortale sumere tabachũ in Ecclesijs.*
4 *Excommunicatio maior non ponitur, nisi pro peccato mortali.*

1 VRbanus VIII. *anno* 1642. *sub die* 30. *Ianuarij* edidit Cõstitutionem pro Diœcœsi Hispalensi, quæ incipit. *Cum Ecclesiæ*. in qua sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & absque vlla de-

claratione incurrendæ, prohibet sumptionem tabachi, siue solidi, siue in frustra concisi, siue in puluerem redacti; siue in fumum in Ecclesijs, & earumdem atrijs. Ita enim habet §. 2. *Omnibus & singulis vtriusque sexus personis tàm sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, etiam cuiusuis Ordinis, Instituti, ac Militarium etiam Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani regularibus quomodolibet qualificatis, & quantumlibet priuilegiatis, & exemptis, etiam speciali nota expressione dignis, ne de cætero in quibusuis Ciuitatis, & Diœcesis prædictarum Ecclesijs, earumque atrijs, & ambitu Tabachum siue solidum, siue in frustra concisum, aut in puluerem redactum ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, & aliàs quomodolibet sumere audeant, vel præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ eo ipso absque aliqua declaratione per contrafacientes incurrenda pœna auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.* Qua prohibitione stante certum est, peccare mortaliter omnes existentes intra Diœcesim Hispalensem, si contra prædictam prohibitionem tabachum sumant, siquidem hoc ipsis prohibetur sub pœna excommunicationis maioris, quæ non habet locum, nisi interueniat peccatum mortale.

2 An autem extra dictam Diœcesim sit peccatum sumere tabachum in Ecclesijs & earumdem atrijs, siue in puluere, siue quocunque alio modo; Respondendum est affirmatiuè. Ratio est. Quia sumptio tabachi in Ecclesia, & eiusdem atrijs non est mala, quia prohibita, & proinde malitia ipsius non coarctatur intra terminos Diœcesis Hispalensis, intra quos coarctatur prohibitio; sed ideo est prohibita, quia mala; vnde vbique retinet suam malitiam. Cum enim ex proemio Constitutionum colligatur finis legislatoris. *l. fin. ff.* De hæredib. *inst.* & *l. Cum hi. init. ff.* De *transact.* ex prædicta Constitutione habemus, quod finis Pontificis fuerit extirpare sumptionem tabachi tanquam actũ malum. ita enim habet. *Nos, quibus cunctarum per Orbem vniuersum Ecclesiarum cura à Deo commissa est, aduigilare conuenit, vt ab eisdem Ecclesijs quicunque actus prophani, & indecentes procul arceantur.* Quare supponit Pontifex, huiusmodi actum esse malum, atque adeo arcendum ab Ecclesijs.

3 Quod etiam confir. ex ijs, que habet Pontifex. §. 1. præfatæ Constitutionis. nam loquens de Sacerdotibus, & clericis sumentibus tabachum in Ecclesijs, vocat eos *Clericalis honestatis immemores*, ergo talis sumptio est contra honestatem clericalem, atque adeo peccaminosa. Et rursus de omnibus tam clericis, quàm laicis loquens concludit ibid. *Ecclesiasque prædictas tetro odore inficere magno cum proborum scandalo, rerumque sacrarum irreuerentia non reformident.* Ergo sumptio tabachi in Ecclesia ex declaratione Pontificis est actio scandalosa, & irreuerentialis erga res sacras. ergo etiã peccaminosa. Consistit autem irreuerentia in eo, quod cum Ecclesia sit domus Dei, eiusdẽ cultui dicata, & domus orationis, quam omnis sanctitudo decet, iuxta illud Psal. 92. *Domum tuam Domine decet sanctitudo*, vt insinuat Pontifex in Proemio eiusdem Cõstitutionis, adhibeatur ad extrahenda excrementa è corpore, & in ea exerceãtur actus cœteris mouentes stomachum. Quod quidem continet abusum valdè scandalosũ, vt habet Pontifex in *eadem Constitut. §. 2.*

4 An autem sit peccatum mortale, an verò veniale sumere tabachum in Ecclesijs. Respondetur ex genere suo esse mortale, nec fieri veniale, nisi ex leuitate materiæ. Ratio est, quia huiusmodi peccatum est dignum, quod puniatur pœna excommunicationis, vt cõstat ex præfata cõstitutione Vrbani VIII. in qua ponit excommunicationem ipso facto incurrendam pro tali peccato; ergo cum excommunicatio non possit imponi nisi pro peccato mortali. Cap. *Romana*, & Cap. *Dilecto*. De *sententia excommunicat.* & docent communiter, huiusmodi peccatum erit mortale. Præsertim quia punitur tali pœna tanquam de se peccatum, & non quia prohibitũ. Vnde non potest dici, quod sit mortale, quia sub mortali prohibeatur à Pontifi-

ce,

ce, non autem quia de se non sit mortale. nam Pontifex mouetur ad prohibendum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ex indecentia, & irreuerentia, quam continet, & quia vult extirpare abusum tàm scandalosū. Vnde supponit, quod contineat talem malitiam, quæ excommunicatione puniri possit.

An Monasteria Regularium sint loca exempta etiam ratione sui. Quæstio 176.

S V M M A.

1 *Qui doceant Monasteria Regularium non esse loca de se exempta.*
2 *Monasteria* Regularium, *non solum ratione personarum, sed etiā ratione sui sunt loca exempta.*
3 *Priuilegia concedentia exemptionem Monasterijs Regularium.*
3 *Dictio,* Prorsus, *excludit omnia, & singula in contrarium.*
4 *Locus exemptus à visitatione est plenè exemptus.*
4 *Ecclesiæ exemptæ possunt ab Episcopis visitari.*
4 *Monasteria & Ecclesiæ Regularium non possunt visitari ab Episcopis.*
4 *Episcopi non possunt visitare altaria Ecclesiarum Regularium, etiam vbi reseruatur Sanctissimum Sacramentum, nisi sit annexa cura animarum.*

1 NOn esse Monasteria loca plenè exempta, etiā ratione sui, sed solum ratione personarum, tradunt Vgolin. *De censur. Tab.* 1. *Cap.* 9. §. 3. Suarez 3. *par. tom.* 5. *De censur. Disp.* 5. *sect.* 4. *n.* 10. Coninch. *disp.* 13. *de censur. dub.* 7. *num.* 63. Salas *disp.* 14. *De legib. sect.* 6. *num.* 85. Alterius *De censur. disp.* 5. *De causa excommunicat. lib.* 3. *cap.* 5. ver. *Hoc autem*. Filliucius *tract.* 11. *cap.* 5. *quæst.* 9. *nu.* 149. Merol. *tom.* 2. *Theol. moral. disp.* 4. *cap.* 6. *nu.* 489. Cochier. *De iurisdict. Ordinar. in exemp. par.* 2. *quæst.* 45. *nu.* 2. *& sequent.* Palaus *par.* 1. *Oper. moral. tract.* 3. *disp.* 1. *punc.* 24. §. 5. *num.* 30. Nullam tamen rationem afferunt, nisi quia communis vsus ita videtur accipere exemptionem Monasteriorum.

2 Sed hoc non rectè asserunt. Vnde tenendum est, Monasteria, non solum ratione personarum, sed etiam ratione sui esse exempta plena exemptione, non secus ac si essent extra Diœcesim. Ita etiam docent Bonacina *disp.* 1. *De censur. quæst.* 1. *punc.* 11. *nu.* 8. Bordon. *in Consil. regularib. Resol.* 7. *nu.* 4. & videtur sequi Squillante *De priuileg. Clericor. Cap.* 2. *num.* 68. Vnde non possunt Ordinarij exercere In ipsis aliquem actum iurisdictionis præter illos, qui expressè, & in specie ipsis conceduntur.

3 Quod autem Monasteria sint plenè exempta, habetur ex pluribus priuilegijs Summorum Pontificum concessis diuersis religionibus, atque adeo ijs omnibus, qui habent communicationem priuilegiorum. Sixtus IV. id concessit Prædicatoribus, vt in *Bulla*, quæ dicitur, *Mare magnum*. quæ est 1. *eiusdem Pontificis apud Confectum in Collectione Priuileg. Mendicant.* ibi. *Et ne prætextu Constitutionis Innocentij IV. prædecessoris nostri, quæ incipit*, Volentes, *locorum Diœcesani, & alij Ordinarij, ac alij quicunque in personas, & loca Fratrum Prædicatorum, contra eiusdem Gregorij prædecessoris Ordinationem, sibi quamcunque iurisdictionem, & superioritatem vendicare præsumant, districtius inhibemus; ne quispiam absque dictæ Sedis speciali commissione, & auctoritate in personas, domos, & loca dicti Ordinis Prædicatorum, vtpotè prorsus exempta, aliquas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias specialiter, vel generaliter quomodolibet promulgare, aut in personas, domos, & loca huiusmodi, aliquam præeminentiam, superioritatem, & iurisdi-*

ctionem quomodolibet exercere præsumant, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei, de qua contra ipsos ageretur, vbicunque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat. Vbi notandum est, quod Pontifex mouetur ad faciendam dictam prohibitionem, quia loca, seu Monasteria sunt prorsus exempta. esse autē prorsus exemptum, est esse plenè, & omnimodè exemptum. Dictio namque, *Prorsus*, excludit omnia, & singula, quæ in contrarium esse possunt. Cap. *Statutum. §. Prouisurus.* De *rescriptis.* vnde in casu nostro excludit omnē rationem subiectionis, & quicquid obstare potest plenæ exemptioni. Rursus notandum est, quod Pontifex prohibet, quod in loca, seu Monasteria Regularium nulla iurisdictio, superioritas, aut præeminentia exerceri possit quomodolibet. Hoc autem est facere illa loca ratione sui plenè, & omnimodè exempta.

4 Confir. Locus exemptus etiam à Visitatione est plenè exemptus, & magis quàm cœtera loca, quæ sunt plenè exempta, imo etiam quàm sint Ecclesiæ nullius Diœcesis. Siquidem loca plenè exempta quò ad Ecclesias possunt visitari ab Episcopo ex Trident. *sess.* 7. *cap.* 8. *De reformatione.* ibi. *Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, &c.* & Ecclesiæ quoque nullius Diœcesis visitātur ab Episcopis, etiam si earum Prælatus habeat iurisdictionem quasi episcopalem, quorum Cathedralis est proximior in virtute Concilij Tridentini, vt ex Armēdar. *in Addit. ad Recopil. leg. Nauar. lib.* 1. *tit.* 6. *De visit. l.* 5. §. 2. *nu.* 13. refert decisum à Sacra Congregatione Barbosa *ad Concil. Trident. sess.* 7. *cap.* 8. *de Reformat. num.* 3. locus verò, qui visitari non potest, est etiam exemptus à Visitatione. Loca autem Regularium, etiā Ecclesiæ non possunt visitari ab Episcopis, etiam si sint intra Diœcesim, vt ex eodem Amendar. *num.* 93. *citati loci.* refert decisum à S. Congreg. idem Barbosa *num.* 15. *loci citati*, & talis Decisio habetur in declarationibus S. Congregat. *ex Biblioth. Card. Bellarm. ad citat. sess.* 7. *Concil. Trident. cap.* 8. *De reformat.* Imo idem Barbosa *ibid.* refert decisum ab eadem Congregatione, quod neque in virtute Cōstitutionis Gregorij XV. quæ incipit, *Inscrutabilis.* sub *die* 9. *Februar.* 1622. possint Episcopi visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit cura animarum sæcularium, nec loca, vbi asseruatur Sanctissimum Sacramentum, aut audiuntur personarum sæcularium confessiones; & ait, se habuisse præ manibus talem decisionem originalem, & vidisse impressam *in Typographia Cameræ Apostolicæ.* & eam refert Peirin. *De priuileg. Minor. ad Constitutionem* 2. *Gregor. XV.* vbi refert plura dubia circa dictam Constitutionem Gregorij XV. proposita Sacræ Congregationi, & responsiones ad ipsa. & ad primum dubium, ita respondetur. *Ad primum dubium respondit. Episcopo non licere in vim eiusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum sæcularium, nec loca, vbi in iisdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi confessiones personarum sæcularium audiuntur.* Si ergo Ecclesiæ, & monasteria Regularium nec etiam subsunt visitationi, non video quomodo non sint plenè exempta; aut quid desit ad plenam exemptionem.



An

An in inquisitione generali, quando delictum est publicum, & auctor occultus, teneatur interrogatus iuridicè manifestare delinquentem, si nulla de ipso præcedat infamia. Quæstio 177.

S V M M A.

1 *Quando constat de delicto potest fieri inquisitio generalis, etiam si delinquens sit occultus.*
1 *Ad iustitiam legalem pertinet punire delicta.*
2 *Interrogatus iuridicè à iudice tenetur respondere.*
2 *Inquisitio generalis ordinatur ad reperiendum malefactorem.*
3 *Nulla præcedente infamia iuridicè interrogatus non tenetur manifestare reum.*
4 *Potestas interrogandi, & obligatio ad respondendum sunt correlatiua.*
4 *De relatiuis est idem iudicium, & quod disponitur de vno, disponitur etiam de alio.*
5 *Iudex non potest in particulari interrogare, nisi de persona infamata.*
5 *Potestas iudicis extenditur solum ad malefactores publicos.*
6 *Cur in delicto publico possit iudex inquirere de malefactore.*
7 *Quomodo interrogatio iudicis tendat ad habendam notitiam delinquentis.*
8 *Quomodo generalis inquisitio ordinetur ad reperiendum malefactorem in particulari.*
9 *An iuridicè interrogatus possit manifestare delinquentem, quando nulla præcessit infamia.*

1 QVamuis Caiet. 2.2. *quæst.* 99. *ar.* 1. *&* 2. Sotus *De tegendo secreto. memb.* 2. *quæst.* 9. *dub.* 4. & nonnulli alij doceant, quod non possit fieri inquisitio generalis, quando delinquens est omnino occultus, & nulla laborat infamia, licet delictum sit notorium, communiter tamen docent, posse fieri inquisitionem generalem, vt desumitur ex Cap. *Quidam maligni.* 5. *quæst.* 1. & Cap. *Si sacerdos.* De *offic. Ordinar.* & docent Innocent. *in Cap. Bonæ.* 1. *num.* 5. De *elect.* Abbas, & Imola *ibid.* Syluester *verbo.* Correctio. *num.* 6. Armilla *verbo.* Accusatio. *num.* 28. Angel. *ibid.* §. *fin.* Nauar. *Cap. Inter verba. corol.* 50. *num.* 585. *in* 1. *edit.* & in *Manuali. cap.* 18. *nu.* 38. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 4. *num.* 58. Angles *in Florib. quæst. de corrept. frater. ar.* 3. *difficul.* 5. Iulius Clarus *lib.* 5. §. *fin. quæst.* 5. *num.* 5. Lessius *lib.* 2. *De iust. & iure. cap.* 29. *dub.* 14. Alderet. *de relig. disciplin. tuen. lib.* 1. *cap.* 7. *nu.* 11. Villalob. *par.* 2. *sum. tract.* 14. *difficul.* 7. *num.* 2. Quia nimirum ad iustitiam legalem pertinet punire delicta, vt arceantur à communitate, & ideo ijs existentibus dat ius superioribus, vt inquirant auctores. Neque obstat Cap. *Cum oporteat.* & Cap. *Qualiter, & quando.* 2. De *accusat.* quia non loquuntur de inquisitione generali, sed de speciali, in qua inquiritur de aliqua determinata persona. Difficultas ergo est; an quando non præcedit infamia aliqua de determinata persona, teneatur iuridicè interrogatus reuelare determinatam personam.

2 Prima ergo opinio tenet, quod iuridicè interrogatus debet, si sciat, detegere personam particularem, etiam si de ipsa nulla præcedat infamia. ita Alderet. *lib.* 1. *de Religiosa discipl. tuen. cap.* 7. *num.* 12. Prob. Potest iudex licitè interrogare, ergo testis iniustè reticet, quia facit contra debitum iustitiæ, cum non obediat superiori in ijs, quæ subsunt ipsius iurisdictioni, vt docet D. Tho. 2.2. *quæst.*

quæst. 69. ar. 1. in corpore. Sotus *De secr. tegendo. memb. 2. quæst. 7. conclus.* 1. subest autem iurisdictioni iudicis inquirere in delictis manifestis auctorem. Deinde. Inquisitio generalis ordinatur ad requirendum malefactorem in particulari, aliàs esset frustratoria, nam existente delict o iam scitur, quod in communi adsit malefactor. ergo iuridicè interrogatus tenetur reum in particulari manifestare, quia tenetur correspondere inquisitioni generali, & non frustare finem ipsius.

3 Altera tamen sentẽtia tenet, quod si nulla præcedat infamia, non tenetur iuridicè interrogatus manifestare reum; aut complicem, si ipse reus sit. Ita Syluester *verbo* Correctio. *num. 6. in fine*. Nauar. *in Manuali. Cap.* 18. *num.* 38. Petrus Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 4. num.* 58. Lessius *lib. 2. de iust. & iure. cap.* 29. *dub.* 14. Villalob. *par. 2. sum. tract.* 14. *difficul.* 10. *num.* 2. Escobar *in Exam. confessar. tractat. 6. Exam. 6. cap.* 1. ver. *Quoniam*. Limitant tamen, vt hæc doctrina non habeat locum, quãdo adhuc imposterum timeretur malum, aut quãdo delictum vertitur in damnum publicum, aut etiam priuatum alterius. Ita Nauar. Petr. Nauar. Lessius Villalob. *citati*.

4 Et ab hac sententia non est discedẽdum, cum habeat firmum fundamentum, Nam non plus extenditur obligatio illius, qui iuridicè interrogantur, quàm se extendat facultas iudicis ad interrogandum. Quia hæc duo sunt correlatiua, nam facultas interrogandi est facultas superioritatis, & iurisdictionis; & obligatio respondendi est obligatio subiectionis correspondens eidem superioritati. Et de correlatiuis est idem iudicium, ita vt dispositum de vno, sit etiã dispositum de altero. *l. fin. ff.* De *acceptilat.* & *l. Si quis seruo. C.* De *furtis*. & *l. fin. C.* De *indict. viduit.* Vnde non potest esse potestas ad interrogandum, nisi sit obligatio, & subiectio in ordine ad respõdendum, nec è contra obligatio ad respondendum, nisi sit ius, & potestas ad interrogandum.

5 In iudice autẽ non est potestas ad inquirendum, & interrogandum in speciali de persona determinata, nisi de ipsa præcedat aliqua infamia. Cap. *Inquisitionis*. Cap. *Qualiter, & quando*. De *accusat.* & tradunt communiter D. Th. 2. 2. *quæst.* 70. *ar.* 1. D. Antonin. 3. *par. Tit.* 9. *cap.* 7. §. 1. *in fine*. Caiet. 2. 2. *quæst.* 69. *ar.* 2. Sotus *lib.* 5. *De iust. & iure. quæst.* 6. *ar.* 2. *post* 5. *Conclus.* Nauar. *Cap.* 18. *Manual. num.* 38. & *Cap. Inter verba. nu.* 579. Viguer. *cap.* 12. *Instit. Theolog.* §. 2. *vers.* 10. Syluester *verbo*. Inquisitio. *nu.* 10. Petrus Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 4. num.* 149. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 43. *dub.* 2. ver. *Sed vtrum*. Roland. à Valle *Consil.* 30. *vol.* 9. *num.* 3. Dec. *Consil.* 18. *nu.* 38. *vol.* 1. Farinac. *par.* 1. *Praxis crimin. quæst.* 9. *nu.* 1. alios citans. Menoch. *lib.* 1. *de arbitr. q.* 78. & communiter Doctores in Cap. *Inquisitionis*. De *accusat.* Quia potestas iudicis publica est, & ideo versatur tantum circa malefactores publicos ad minus per aliquam infamiam. Quare neque in subdito est obligatio ad manifestandum delinquentem, nisi præcedat aliqua infamia; cum non plus extendatur, quàm se extendat potestas iudicis.

6 Neque obstat, quod possit inquirere in generali de auctore delicti, quia in tantũ potest inquirere, in quantum auctor delicti in genere est publicus, sicut & ipsum delictum; vnde talis potestas fundatur adhuc in publicitate delinquẽtis. & tendit ad assequendam notitiam delinquentis in particulari, quatenus seruato debito ordine est assequibilis; & ideò censetur iudex inquirere, quinam sit delinquens, supposito, quod possit manifestari, & ratione alicuius infamiæ sit subiectus potestati iudiciali. Et sicut non potest iudex inquirere, an Petrus sit auctor delicti, nisi de hoc illi suspicionem generet aliqua præcedens infamia, ita nec interrogatus potest dicere, fuisse Petrum, nisi sciat, adesse aliquam diffamationem quò ad Petrum.

7 Ex dictis autem soluta manent, quæ pro opposita sententia allata sunt. Vnde ad 1. resp. non obstante licita interrogatione iudicis; interrogatum non reticere iniustè, quando nulla præcessit diffa-

diffamatio delinquentis, quia interrogatio tendit solum ad habendam notitiam delinquentis; supposito, quod adsit aliqua diffamatio, quæ nota sit interrogato, licet iudici ignota. Vnde intra hos terminos coarctari debet interrogatio, vt iusta sit. Et quia obligatio respõdendi, & manifestandi delinquentem correspõdet interrogationi solum quatenus iustæ, ideo interrogatus tunc solũ obligatur ratione obedientiæ, & iustitiæ legalis. vnde in hoc solum casu iniustè reticeret.

8 Ad secundum respond. Interrogationem, & inquisitionem in generali ordinari ad reperiendum malefactorem in particulari, quando secundum rectum ordinem iudiciarium reperiri potest. Secus autem, quando nulla laborat infamia; Vnde fit inquisitio sub hac tacita conditione; & ideo qui iuridicè interrogatur, solum tenetur manifestare existente tali conditione. Nec sequitur, quod inquisitio frustretur suo fine, nam solum intendit reperire delinquentem in particulari, quando iustè manifestari potest.

9 Dubium tamen remanet. An possit manifestare delinquentem, quando nulla præcessit infamia. Resp. non posse, sed peccare mortaliter, non secus, ac peccaret iudex, si inquireret de aliquo in particulari, de quo nulla præcederet infamia. Quia illa ratio, quæ prohibet iudicem inquirere in particulari nulla præcedente infamia, prohibet etiam eum, qui iuridicè interrogatur, manifestare; nam eodem pacto delinquens habet ius conseruandi propriam famam contra iudicem, qui potest legitimè inquirere, ac contra testes, qui possunt legitimè respondere; vnde eadem læsio proximi proueniret ab eo, qui interrogatur, ac ab ipso iudice, si in particulari interrogaret.



An, si Regulares non doceant Curiam Ordinariorum de electione conseruatoris, vitietur electio, & conueniri debeant coram Ordinario. Quæst. 178.

S V M M A.

1 *Regulares eligentes conseruatores, debent electionem notificare curiæ.*
2 *Electio conseruatoris subsistit, etiam si non notificetur curiæ.*
2 *Non entis nullæ sunt qualitates.*
2 *Notificatio electionis conseruatoris non pertinet ad formam, & substantiam electionis.*
3 *Casus genitiuus dicit saltem possessionem.*
3 *Vel saltem pertinentiam ad id, à quo regitur.*
4 *Regulares debent conueniri coram Conseruatore, etiam si non notificauerint Curiæ electionem.*
4 *Regulares extra monasterium degentes in quibus causis conueniendi coram Ordinario.*
5 *Conseruatores statim, ac eliguntur habent iurisdictionem à Sede Apostolica.*
6 *Regulares conueniendi coram Ordinario, quando non elegerunt conseruatorem.*
7 *Declaratio Sacræ Congregationis circa Conseruatores, quomodo accipienda.*
8 *An notificatio electionis Conseruatoris sit conditio, sine qua non possit procedere.*
8 *Quod lex non dicit, nec nos debemus dicere.*

1 GRegorius XV. *in sua Constitutione*, quæ incipit, *Ex certis, & rationabilibus*. sub *die*

die 20. *mensis Septembris* 1621. in qua statuit quò ad Conseruatores Regularium, decernit inter alia, §. 5. quod *Regulares, ac personæ huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra sex menses à die publicationis in vrbe præsentis Constitutionis inchoandos debeant sibi eligere, seu assumere Conseruatores iuxta formam superius propositam, eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso, quandiu Conseruatores secundum formam præsentis Constitutionis nō elegerint coram eisdem Ordinarijs conueniātur*. Dubitatur modo, an si fiat electio Conseruatoris, & talis electionis non exhibeatur documentum penes acta Curiæ Ordinarij, subsistat electio, & an coram electo Conseruatore, an verò coram Ordinario conuentio fieri debeat.

2 Quod autem spectat ad electionem Conseruatoris absque dubio valida censenda est. nam docere Curiam Ordinarij, quod sit electus Conseruator, non pertinet ad substantiam, & formam electionis, & ideo si omittatur, electio non vitiatur. Quando enim Pontifex in dicta Constitutione præcipit, quod Conseruatoris electio notificetur Curiæ Ordinarij, supponit, quod electio sit iam facta, cum non possit notificari, quamdiu non est facta, siquidem non entis nullæ sunt qualitates *l. Eius, qui in prouincia.* vel. *Quoniam. ff. Si cert. pet.* & *l. Pomponius.* §. *fin. ff.* De acquiren. possess. & Cap. *Bonæ*. De elect. & Cap. *Ad dissoluendum*. De *dispensat. impub.* Tum quia Pontifex ponit, vt duo distincta, & diuersa Eligere, & Electionis documentum dare. ibi. *Debeant sibi eligere, seu assumere Conseruatorem iuxta formam superius propositam, eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur*. Tum quia, quando Pontifex præcipit, vt dictum documentum curiæ exhibeant, loquitur de electione facta iuxta formam superius ab ipso præscriptam; nā in illo §. 15. statuit, vt eligantur Conseruatores iuxta formam superius propositam, eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes acta curiæ &c. Non ergo ibi Pontifex tradit formam eligendi Conseruatores, cum dicat electionem esse faciendam iuxta formam à se superius propositam, nempe in §. 2. & proinde talis notificatio non pertinet ad formam, & substantiam electionis.

3 Accedit etiam, quod iubentur dare documentum suæ electionis, seu electionis à se factæ; supponitur ergo, quod quando documentum exhibent, sint in possessione electionis, atque adeo quod electio iam in se subsistat, vt possit verificari, quod iam illam celebrauerit, & ipsius, vt iam celebratæ, dent documentum. Casus enim genitiuus, quando non dicit dominium, dicit saltem possessionem, vt desumitur ex *l.* 1. *init.* iuncto §. *Ait Prætor*. & §. *sequenti. ff.* Nautæ. *Caup. Stabul.* & *l.* 2. *init.* & §. *In hac. ff.* Vi *bon. rapt.* & tradunt Bart. *in Rubr. ff.* De *oper. noui. nunc. nu.* 5. ver. *Sed circa vnum.* Francis. Niconitius. *ibid. num.* 146. citans Alex. Rom. Socin. & Barbat. Crotus *in dict. Rubr. nu.* 30. citans Comens. Menoch. *De recuper. possess. Remed.* 1. *nu.* 51. Curt. iun. *in dict. Rubr.* Beroius *Consil.* 50. *num.* 3. *lib.* 3. Afflict. *Decis.* 239. *num.* 5. Angel. *in l. Lex Cornelia*. §. *Demum. ff.* De *iur.* Corn. *Consil.* 242. *vol.* 2. Vel saltem dicit, quod id, quod ponitur in genitiuo aliquo modo pertinet ad id, à quo casus genitiuus regitur. per ea, quæ notat Corneus modo *citat.* & *Consil.* 24. *vol.* 4. Vnde semper dictus casus importat aliquid, quod ad aliud pertineat, & proinde in se subsistat. Et ideo, cum debeant electores Conseruatoris dare documentum electionis, quando datur huiusmodi documentum, debet electio, tanquam completa pertinere ad electores, & esse sub ipsorum possessione.

4 Cum ergo electio subsistat, sequitur, quod Regulares conueniri debeāt coram Conseruatore, etiam si nondum documentum exhibuerint Curiæ Ordinarij de electione, quamuis Maceratensis contrarium videatur sentire *Resolut. variar. lib.* 1. *Resolut.* 15. *num.* 4. & *Resol.*

ſol. 94. *num.* 6. vbi malè allegat Concilium Tridentin. *ſeſſ.* 7. *Cap.* 14. *De reformatione*. nam ibi diſponit tantum de Regularibus extra monaſterium degentibus, non autem de cœteris, quod in cauſis ciuilibus, mercedum, & miſerabiliũ perſonarum conueniantur coram Ordinario, etiam ſi habeant Conſeruatorem à Sede Apoſtolica deputatum; & etiam in alijs cauſis, ſi non habeant dictum iudicem. Ita enim habet. *In ciuilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum Clerici ſæculares, aut Regulares extra Monaſterium degentes quomodolibet exempti, etiamſi certum iudicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant: in alijs verò, ſi ipſum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinarijs tanquam in hoc ab ipſa Sede delegatis conueniri, & iure medio adſoluendum debitum cogi, & compelli poſſint &c.* Vnde neque in hoc decreto Concilij, neque ſub Cõſtitutione Innocentij IV. de qua hic Concilium, comprehendi Regulares, ſi intra clauſtra degant, notant Alderete *in Allegat. pro omnimoda Regular. exempt. par.* 1. *cap.* 7. *num.* 2. Nouar. *in Lucerna Regular. verbo.* Cauſa. *nu.* 3 & 4. Barboſa *ad citat. ſeſſ.* 7. *Cap.* 14. *de reformat. Concil. Trident. num.* 7. & proinde conueniendos eſſe coram Superioribus ſuis, aut conſeruatoribus. & ita deciſum à Sacra Congregatione, refert Narbona *l.* 59. *gloſ.* 1. *num.* 230. *tit.* 4. *lib.* 2. *Recopil.* apud Barboſam *citatum*.

5 Ratio autem eſt, quia ſtatim ac Conſeruatores ſunt electi, habent auctoritatem, & iuriſdictionem ab Apoſtolica Sede iuxta Conſtitutione, & priuilegia Iulij II. quæ incipit. *Aliàs venerabilem*. ſub *die* 29. *Martij* 1507. quæ eſt ſecunda huius Pontificis *apud Confettum*. *§. Quodque Fratres*. ibi. *Et quod tales in Conſeruatores taliter per eos electi, ex nunc per nos deputati cenſeantur &c.* & Clementis VII. quæ incipit. *Conqueſtionem dilectorum.* ſub *die* 19. *Martij* 1524. & eſt prima huius Pontificis *apud Confettum*. & Pij V. quæ incipit. *Ad hoc nos*. *§. Et vt Fratres.* ſub *die* 23. *Septembris* 1571. & eſt tertia huius Pontificis *apud dictum Cõfettum*. Et notant idem Confet. *De priuil. Mendicant. Tit.* 4. *Cap.* 9. Moneta *De conſeruat. cap.* 10. *num.* 377. ergo cum electio ipſorum ſit facta, antequam exhibeatur Curiæ Ordinarij documentum talis electionis, poterunt Conſeruatores procedere, quia iudex poteſt procedere ſtatim, ac habet iuriſdictionem; nec erunt Regulares coram Ordinario conueniendi; quia Ordinarius ſubintrat ſolum in defectum Conſeruatoris. argum. *ex Concil. Trident. ſeſſ.* 7. *cap.* 14. *De reformat.* vbi degentes extra monaſterium ſolum coram Ordinario debent conueniri, quando non habent iudicem Conſeruatorem. ſtante autem electione valida, non adeſt defectus Conſeruatoris.

6 Quod etiam colligitur ex præfata Conſtitutione Gregorij XV. nam quando in §. 5. decernit, quod Regulares conueniantur coram Ordinario, quandiu non elegerint Conſeruatorem, ita habet. *Alioquin eo termino elapſo, quandiu conſeruatores ſecundum formam præſentis Conſtitutionis non elegerint, coram eiſdem Ordinarijs conueniantur*. Vbi notandum eſt, quod Pontifex ſolum dicit, *Quandiu non elegerint*, non autem addit, *Et electionis documentum exhibuerint;* vnde ſolum deficiente electione conueniri debent coram Ordinario. hoc enim documentum faciendum Curiæ non pertinet ad ſubſtantiam electionis, vt ex ipſa conſtitutione ſupra *num.* 2. & 3. oſtenſum eſt.

7 Nec obſtat declaratio Sacræ Congregationis *iuſſu Gregorij XIII. edita*. apud Confet. *in Compend. Priuileg. tit.* 4. *Cap.* 9. & apud Quarantam *in Compend. Bullarij. verbo*. Priuilegia Regularium *§. Inſuper ſciendum*. Quod Regulares omnes in Ciuitatibus Italiæ exiſtentes ſibi Conſeruatores eligerent, coram quibus conuenirentur, ac ſemel electos nonniſi in capitulis prouincialibus mutarent, eorumdemque nomina intra menſem à die electionis Epiſcopis, & locorum Ordinarijs indicarent, alioquin coram ipſis Ordinarijs cõueniri poſſent. Nam non decernitur, quod poſſint conueniri coram Ordinarijs, niſi ipſis indicent intra menſem nomina Conſeruatorum, alioquin ſi indicarent tantum in

fine

fine mensis, possent conueniri coram Ordinarijs ante indicationem non obstate, quod elegissent Conseruatores, quod non est admittendum, cum non possit dici, quod non seruauerint prædictum decretum. Sed solum decernitur, quod possint conueniri coram Ordinarijs, nisi eligant Conseruatores. Et hoc decretum ita explicandum est per Constitutionem præfatā Gregorij XV. §. 5. vbi, vt dictum est, decernit, quod conueniantur coram Ordinarijs, quandiu non elegerint Conseruatores iuxta præscriptam formam; non verò addit, *Etquandiu Curiæ non notificauerint*.

8 Neque etiam dici potest; quod exhibitio documenti electionis sit conditio requisita, qua non existente non possint Conseruatores exercere suum munus. Nam quod lex nō dicit, nec nos dicere debemus, nec est præsumendum. *l. Dissentientis*. C. De *repud*. & Cap. *Illa. Ne sede vacante*. In nulla autem Constitutione Summorum Pontificum dicitur, quod notificatio electionis Conseruatorum facienda curiæ Ordinarij sit conditio, sine qua Conseruatores electi non possint exercere suum munus; imo in præfata Constitutione Gregorij XV. solum decernitur, vt visum est, quod Regulares conueniantur coram Ordinarijs, quandiu non elegerint Cōseruat;ores non autem quandiu non notificauerint electos. Nec talis notificatio requiritur, nisi, vt omnibus, quorum interest, constet de electione Conseruatorum, vt notat Moneta *De conseruatorib. cap*. 7. *num*. 52. & ad tollendas fraudes, quæ possent fieri, vt notat Peirin. *De priuileg. ad Constit. V. Gregorij* XV. §. 5. *num*. 31.



An Conseruatores Regulares sint iudices Ordinarij, an verò delegati. Quęstio 179.

S V M M A.

1 *Conseruatores sunt iudices delegati.*
2 *Iurisdictio Conseruatorum re integra expirat morte delegantis.*
3 *Iurisdictio Conseruatorum an ęquiparanda ordinarię.*
4 *Quis sit delegatus ad vniuersitatem causarum.*
5 *Conseruatores Regularium de iure nouo sunt iudices Ordinarij.*
5 *Declaratio S. Congregationis, quod iurisdictio Conseruatorum sit ordinaria.*
6 *Iurisdictio perpetua est ordinaria.*
7 *Potens tribuere iurisdictionem ordinariam, eam dat, si committat vniuersitatem negociorum.*
8 *Iurisdictio, quę est à lege, est ordinaria, nisi aliàs constituat delegationem.*
9 *Conseruatores de iure nouo possunt suas vices alteri committere.*
10 *An semper ad iurisdictionem ordinariam requiratur territorium.*

---

1 QVod Conseruatores non sint iudices Ordinarij, sed delegati, tenet communis opinio, quam tradunt Glos. 2. *in Cap*. 1. De *offic. deleg. in* 6. Archidiacon. *ibid. num*. 1. Io. Andr. *num*. 2. Franc. *num*. 3. Butrius *num*. 4. Geminian. *num*. 5. Ancharan. *num*. 2. & *Consil*. 132. *num*. 2. Ias. *Consil*. 145. *lib*. 4. Ruin.

Ruin. *Consil.* 3. *num.* 1. *lib.* 4. Euerar. *loco à Rubrica. num.* 5. Mandos. *in Praxi sgnat. grat.* verbo. *Conseruatoria.* ver. *Conseruatores dicuntur*. Tholosan. *lib.* 47. *syntag. iur. cap.* 32. *num* 23. Io. Neuizan. *Consil.* 35. *num.* 9 Puschus *lib.* 2. *de Visit. cap.* 23. *num.* 3. D. Antonin. 3. *par. sum. tit.* 9. *cap.* 4. §. 2. Nauar *Consil.* 3. *nu.* 1. De *offic. Delegati*. Confet. *in Compend. Priuileg. tit.* 4. *cap.* 7. *init.* Azor. *par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 34. *init.* Moneta *de Conseruat. cap.* 7. *num.* 36. Macerat. *Variar. resol. lib.* 1. *Resolut.* 16. *num.* 4.

2 Hoc autẽ desumitur ex eo, quod materia Cõseruatorum ponitur à Summo Pontifice sub titulo, & Rubrica, De *officio delegati*, imo quod Conseruator sit delegatus, habetur ex Cap. 1. *De offic. delegati. in* 6. iurisdictio autem, & officium Conseruatorum quò ad nõ incœpta expirat per mortem concedentis, vt expresse statuitur. Cap. *fin.* §. *Officium autem*. *De offic. delegati in* 6.

3 Imo iurisdictionem Conseruatorum neque æquiparandam esse iurisdictioni ordinariæ, tradunt quamplures Francus *in Cap. Cum causam. num.* 17. De *appellat.* Ancharan. *Cap. fin. num.* 2. ver. *Quinto not.* De *officio deleg. in* 6. Menoch. *lib.* 1. *De arbitr. quæst.* 67. *nu.* 63. Io. Neuizan. *Consil.* 35. *num.* 13. Quia Conseruatores non sunt delegati ad vniuersitatem causarum vnius territorij, sed tantum ad causas vnius generis personarũ; quæ commissio, licet generalis, non repræsentat iurisdictionem ordinariam. quia hoc tantum præstat territorium, argum. ex *l. fin. C.* Vbi, *& apud quem*.

Attamen hoc non obstante, iurisdictionem Conseruatorum æquiparandam esse ordinariæ, tradunt Aufer. *in Addit. ad Capel. Tholosan. Decis.* 38. Geminian. *in Cap. fin.* §. *Officium autem. nu.* 2. *init.* De *offic. deleg. in* 6. Franc. *ibid.* Nauar. *Consil.* 3. *num.* 2. *&* 3. De *offic. deleg.* Io. Bapt. Cost. *tract. de re integr. dist.* 64. *num.* 3. Confet. *in Compend. Priuileg. Mend can. tit.* 4. *cap.* 7. *init.* & ver. *Praeterea Conseruator.* Moneta *de Conseruatorib. cap.* 7. *num.* 37. Quia nimirum Conseruatores sunt delegati ad vniuersitatem causarum. Is enim dicitur delegatus ad vniuersitatem causarum, cui sub vno vniuersali verbo commissæ sunt causæ. *l.* 1. *ff.* Quis, *& à quo appell.* vt si committantur causæ omnes mercatorum, aut Clericorum ciuitatis. vt notat Glos. *in citat. l.* Ias. *in l. A iudice. num.* 8. *C.* De *iudic.* Bald. & Salicet. *ibid.* Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 31. *nu.* 4. Castrens. *l.* 2. *nu.* 3. *ff.* De *offic. eius &c.* Socin. sen. *in l. More. num.* 41. *ff.* De *iurisd. om. iud.* item Ias. *num.* 8. Franc. *in Cap. Cum causam. nu.* 27. De *appellat.* Curt. iun. *Consil.* 2. *nu.* 6. Huiusmodi autem sunt Conseruatores Regularium, quia sunt delegati ad omnes causas talis religionis in determinato territorio.

5 Sed licet hæc locum habeant stando in iure veteri, de iure tamen nouo, & speciali sunt iudices ordinarij, vt notat etiam Peirin. *De priuileg. Ad Constit.* 5. *Gregor. XV. nu.* 2. & ita habetur etiam ex declaratione S. Congregat. *in nouis Declarat. ex Biblioth. Card. Bellarm. Ad Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 5. quæ talis est. *Conseruatores sunt iudices Ordinarij: sed illis committuntur causæ, vt Sedis Apostolicæ delegatis*. Quod ideo additum est à S. Congregatione. quia procedunt vt iudices Ordinarij in causis Regularium, procedunt verò vt delegati, quando fit eis aliqua specialis commissio.

6 Quod autem sint iudices Ordinarij, habetur ex Constit. Gregorij XIII. *edita viij. Kal. Iun. anno* 1572. quæ incipit. *Aequum reputantes*. & est prima huius Pontificis *in Bullario*. nam §. 5. decernit, quod dicti Conseruatores habeant perpetuam potestatem, & iurisdictionẽ. Quando autem iurisdictio est perpetua, est ordinaria, quia iurisdictio illa est ordinaria, quæ non expirat morte concedentis. *l. Et quia. ff.* De *iurisd. om. iud.* & Cap. 2. *De offic. legati in* 6. etiam re integra, quia quantum est ex sui natura perpetua est. è contra verò delegata expirat re integra morte concedentis. Cap. *Quamuis.* De *offic. delegati. in* 6.

7 Deinde, quando cõmittitur vniuersitas negociorum per habentem potestatem dandi iurisdictionem ordina-

riam, censetur concessa iurisdictio ordinaria; nisi in concessione exprimatur, quod committitur iurisdictio delegata, seu nisi exprimatur, quod fiat delegatio, vt notant Bart. *tract. de iurisd. §. quæst.* 5. *num.* 9. Bald. *Consil.* 90. *vol.* 1. Alexan. *in l. Prætor. ff.* De *iurisd. om. iud.* Maranta *in Speculo.par.* 4. *dist.* 5. *tit. An sit iudic. ordinar. num.* 2. Conseruatoribus autem est commissa vniuersitas negociorum ab eo, qui potest dare iurisdictionem ordinariam absque vlla expressione, vt constat ex citata Constitutione Gregorij XIII. & ex Constitutione Gregorij XV. De conseruatoribus edita sub *die* 20. *Septemb.* 1621. & incipit, *Ex certis, & rationabilibus*.

8 Rursus iurisdictio, quæ est à lege, est ordinaria, nisi aliàs lex constituat delegationem. Cap. *A iudicibus.* 2. *quæst.* 6. ibi. *Ordinarij verò sunt, qui ab Apostolico, vt Ecclesiastici, vel ab Imperatore, vt sæculares legitimam potestatem accipiunt*. & *l. Et quia. ff.* De *iurisd. om. iud.* Conseruatores autem Regularium accipiunt iurisdictionem à lege, quia Summi Pontifices eam tribuunt per suas Constitutiones, vt constat ex præfatis Constitutionibus Gregorianis nempe Gregorij XIII. & Gregorij XV. in quibus decernitur, quam iurisdictionem habeant, & quando procedere possint.

9 Quod amplius ex eo confirmatur. quia licet secundum ius antiquum, & commune non possint Conseruatores suas vices alteri committere. Cap. *fin.* De *iudice deleg.* secundum tamen ius nouum, & speciale possunt committere, vt docent Moneta *De conseruat. cap.* 7. *quæst.* 2. *num.* 58. Sorbus *in Compend. priuileg. Tit. Conseruator.* ver. *Itè Conseruator.* Rodriquez *to.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 65. *ar.* 10. Passarel. *in Notat. adpriuileg. not.* 32. Confet. *in Cõpen. Priuileg. Mendicant. Tit.* 4. *cap.* 7. ver. *Possunt insuper*. Peirin. *De priuileg. Ad Constit. v. Gregor. XV §.* 2. *num.* 5. & habetur ex Constit. Clementis VII. quæ incipit. *Conquestionem dilectorum*. edita sub *die* 19. *Martij* 1524. ita enim habet §. 2. *Discretioni vestræ per hæc scripta mandamus, quatenus vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis Conseruatores, & iudices &c.* Ex quibus constat, quod possint suas vices alteri committere. Neque quò ad hoc per supradictam Constitutionem Gregorij XV. aliquid est innouatum. Imo supponit Pontifex, quod possit fieri subrogatio, nam §. 2. dictæ Constit. habet. *Vt iudices Conseruatores huiusmodi siue principales, siue subrogati eligi, nominari, aut deputari non possint &c.* Hæc autem mutatio ex iure nouo non alia ratione est introducta, nisi quia mutata est iurisdictio ipsorum de delegata in ordinariam.

10 Neque obstat, quod Conseruatores non habeant territorium, quia ad iurisdictionem ordinariam non semper requiritur territorium. nam potest iudex ordinarius creari etiam absque territorio. vt notant Felin. *in Cap. Post cessionem. init.* De *probat.* Maranta *in Speculo. par.* 4. *Dist.* 5. *Tit. An sit iudicium ordinar. num.* 2. Geminian. *in Cap. Ordinarij.* De *officio Ordinar. in* 6. Merolla *tom.* 3. *Theol. moral. disp.* 7. *cap.* 3. *dub.* 2. *nu.* 59.

An pecunia Ecclesiæ, quæ pertinet ad bona ipsius, & destinata pro immobilibus, possit conuerti in censum vitalitium. Quæst, 180.

S V M M A.

1 *Affirmatiua opinio.*
1 *Euidens vtilitas attenditur tempore contractus.*
2 *Pecunia de proprietate Ecclesiæ destinata pro immobilibus non potest conuerti in censum vitalitium.*

2 *Cen-*

1 *Census vitalitius an computetur inter immobilia.*
2 *Quæ sunt in continuo periculo non computantur inter immobilia.*
3 *Census breui duraturus computatur inter mobilia.*
4 *Census redimibilis non computatur inter immobilia.*
5 *Census vitalitius tendit ad alienationem.*
5 *Res iudicanda ex fine.*
6 *Qualitas adueniens qualificat rem, & ponit in alia specie.*
7 *Finis prohibitionis alienandi res Ecclesiæ.*
7 *Aliquo prohibito sunt etiam prohibita omnia, quibus peruenitur ad ipsum.*
8 *Fundatio census vitalitij continet in virtute alienationem.*
9 *Cur pecunia de proprietate Ecclesiæ non possit alienari sine facultate Apostolica.*
10 *Census vitalitius de pecunia Ecclesiæ est damnosus ipsi.*

1 SVppono ex dictis supra *quæst.* 173. *num.* 7. huiusmodi pecuniam computari inter bona Ecclesiæ, & cum sit in proprietate ipsius, & non de fructibus, non esse sub illius dispositione, ad quem pertinet disponere de fructibus; quo supposito, dubitatur; an cum sit destinata pro rebus immobilibus conuerti possit in emptionem census vitalitij. Et partem affirmatiuam tenet Bordonus *in Consil. Regular. Resol.* 27. *num.* 56. Primo. quia emptio pro Ecclesia non prohibetur, sed tãtum alienatio bonorum Ecclesiæ: fundatio autem census vitalitij non est alienatio, sed emptio iuris exigendi fructus super re fructifera. Secundò, quia pecunia non est de ijs, quæ prohibentur alienari, cum non sit res immobilis, nec res mobilis pretiosa, siquidem non potest ita inseruire, vt seruando seruetur, & non habet alium vsum, nisi per sui consumptionem. Tertiò, Licet census vitalitius extinguatur morte contrahentis, adhuc tamen est vtilis Ecclesiæ, quia euidens vtilitas attenditur tempore contractus per Glos. *in Cap. Ad aures.* ver. *Tūc.* De *reb. Eccles. non alienan.* Genuen. *in praxi Neapolit. cap.* 89. *num.* 3. Bonac. *disp.* 2. *De alienat. rer. eccles. quæst. vnica punct.* 3. *num.* 2 imo adest etiam vtilitas pro tempore futuro, quia durante censu percipiuntur fructus.

2 Tenendum tamen est, quod non possit conuerti in censum vitalitium. Quod ex eo primò desumitur, quia cum sit destinata pro rebus immobilibus, & non sit sub dispositione libera tanquam de proprietate Ecclesiæ non potest conuerti, nisi in bona immobilia. Census autem vitalitius non computatur inter bona immobilia, sed inter mobilia, quia, quæ sunt in continuo periculo, vt amittantur, censentur bona mobilia, vt tradunt Angel. *in l. Non solet. ff. De petit. hæredit.* Bald. *in Cap. Contingit.* De *dolo, & contumat.* Corneus *Consil.* 173. *vol.* 3. Census autem vitalitij sunt in continuo periculo amissionis, sicuti est vita illius, super qua duraturi sunt.

3 Accedit etiam; quod census breui duraturus enumeratur inter bona mobilia per ea, quæ tradunt Barbat. *Consil.* 22. *lib.* 3. Menoch. *De arbitr. lib.* 2. *centur.* 3. *casu* 233. *num.* 2. Federic. de Senis. *Consil.* 12. *num.* 5. Feder. Martin. *De iure cens. cap.* 1. *num.* 101. *qui alios citat.* Duard. *De censib. in proem. constit. Pij V. quæst.* 10. *n.* 40. Census autem vitalitius est breui duraturus, nec est de sui natura perpetuus, sed sequitur vitam, super qua fundatur, quæ sicut non est stabilis, nec immobilis, ita nec, quæ in ipsa fundantur, sed temporalia sunt, & mobilia.

4 Et rursus ex alio capite hoc ipsum constat. Census nanq redimibilis non computatur inter immobilia bona, sed inter mobilia, vt tradunt Anton. Gomez *De censib. cap.* 3. *num.* 4. Matienzo *l.* 2. *glos.* 1. *num.* 83. *tit.* 9. *lib.* 5. *nouæ Recopil.* Garzias *De benef. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 95. *in fine.* Molina *lib.* 2. *de primogenit. cap.* 10. *num.* 3. quia nimirum non habent statum stabilem, sed temporanea sunt. Talis autem est census vitalitius, quia temporaneus est, sicut & vita hominis, nec habet statum stabilem.

5 Sed, & ex alio capite non potest dicta pecunia conuerti in censum vitalitium,

litium, quia nimirum fundatio talis census tendit ad alienationem, nam respicit alienationem, quæ fit posita conditione mortis. Vnde de præsenti, licet sit emptio iuris percipiẽdi fructus ex re fructifera: est tamen etiã alienatio pro tempore futuro, & posita tali conditione, qua tempus determinandum est. Cum ergo res iudicanda sit ex euentu, & fine, ad quem ordinatur *l. Sed & si quid.* §. 1. *ff.* De *vsufruct.* & Cap. *Fraternitatis.* §. *fin.* De *frigid. & malef.* fundatio census vitalitij non tàm est dicenda emptio, quàm alienatio pecuniæ, & proinde prohibita.


6 Rursus quia res quælibet considerari debet cum sua qualitate, si quidem qualitas adueniens qualificat diuersum ens, & in noua specie reponit §. *Præterea.* Instit. *De inut. stipulatione*, & Cap. *Cum Martha.* §. *Quæsiuisti.* De *celebrat. missar.* & Cap. *Statutum.* De *elect. in 6.* & notant Hyppolit. *Singul.* §. 20. alios citans. Menoch. *De recuper. posses. Remed. 6. num.* 8. Surd. *Consi.* 321, *num.* 12. Gomez §. *Personam.* Instit. *De actionib.* dicta quoque fundatio census debet considerari non præcisè, vt emptio quædam, neque vt emptio cuiuscunque census, sed talis census, nempe vitalitij; quod est esse emptionem iuris extinguibilis ad tempus in fauorem venditoris: & continet reuersionem iuris acquisiti per emptionem ad ipsum venditorem, quod sanè est alienatio, quia dicit translationem iuris ipsius Ecclesiæ finita vita, super qua fundatur census; & de hac translatione fit pactum de præsenti, quando instituitur census.

7 Denique prohibitio alienandi res ecclesiasticas eò tendit, vt res suæ Ecclesiæ conseruentur, & quibus ipsæ Ecclesiæ, monasteria, & pia lora reguntur illustranturque, & eorum ministri sibi alimentum vendicant, vt habetur ex Extrauag. *Ambitiosæ.* De *rebus Eccles. non alienan.* Per fundationem autem census vitalitij non conseruantur res suæ Ecclesiæ, sed constituuntur in statu, vt infra certum tempus debeat remanere necessariò priuata; ergo fundatio census vitalitij ex pecunia de proprietate Ecclesiæ erit prohibita. Quia, quando aliquid est prohibitum, sunt etiam prohibita omnia, quæ conducunt ad ipsum. *l. Oratio. ff.* De *sponsal.* & *l. Pupillus.* §. *Sed si per interpositum. ff.* De *auctor. tut.* & *l. fin.* C. De *reb. alien. non alienan.* & Cap. *Præterea.* De *offic. deleg.* & Cap. *Cum quid prohibetur.* De *reg. iur. in 6.* Fundatio namque census vitalitij eò tendit, vt Ecclesia remaneat priuata & censu, & pecunia.

8 Ex dictis autem soluta manent, quæ pro se affert Bordon. Ad primum namque respondet ex dictis, quod licet fundatio census vitalitij sit quædam emptio, est tamen emptio qualificata, quæ cõtinet etiã alienationem, quia continet pactum, quod ius acquisitum per emptionem transferatur postmortem illius, super cuius vita fundatur, ad venditorem. Aut saltem ordinatur ad alienationẽ, & ideo comprehenditur sub prohibitione Paulinæ, *Ambitiosæ.*

9 Ad 2. Eo ipso, quod pecunia est de proprietate Ecclesiæ, non potest alienari sine facultate summi Pontificis, quia non est sub libera dispositione illorum, qui præsunt Ecclesiæ; & quia, cum sit destinata ad res fructiferas comparandas pro seruitio Ecclesiæ computatur inter bona immobilia.

10 Ad 3. fundationem census vitalitij, licèt de præsenti sit ex vno capite vtilis Ecclesiæ: ex alio tamen capite etiã de præsenti est damnosa; tum quia absolutè tendit ad priuationem intra certum tempus necessariò futuram. Tum quia de præsenti Ecclesia exponitur periculo amittendi & capitale, & fructus ad breuissimum tempus, nam vita hominis est in continuo periculo. Vnde bona certa Ecclesiæ commutantur in spem incertam fructuum percipiendorum ex tali censu.



An

An reliquiæ Sanctorum possint alienari sine facultate Pontificia. Quæst. 181.

S V M M A.

1 *Opinio affirmans.*
2 *Reliquia Sanctorum continentur sub rebus probibitis alienari.*
3 *Paulina* Ambitiosæ *probibet alienari non solum bona, sed etiam res Ecclesia.*
3 *Vbi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere.*
4 *Quid veniat nomine rei*
4 *Lex in fauorabilibus extenditur ad omnia comprebensa sub aliqua significatione verborum.*
4 *Imo etiam in pœnalibus*
5 *Fauore Ecclesia extenditur etiã constitutio pœnalis.*
5 *Fauore publica vtilitatis lex extenditur ad casum non comprebensum sub verbis.*
6 *Lex trabitur ad omnia, in quibus locum babet ratio legis, licet ratio esset amplior verbis.*
7 *Identitas rationis non extendit legem, sed comprebendit casum.*
7 *Verba legis se babent vt corpus, ratio verò vt anima.*
7 *Ratio, & mens legislatoris coincidunt.*
8 *Religiosus babens reliquias notabiles, an possit illas donare, & si donat, an teneat donatio.*

1 Difficultas procedit de reliquijs Sanctorum, quæ sunt de iure alicuius Ecclesiæ, & quæ sunt in tanta quantitate, quę faciat ipsas notabiles, aut saltem ratione qualitatis sint tales, vt esset frustulum, quantumuis minimum, crucis Domini nostri, spina coronæ ipsius, aut quid simile. Quod autem possint alienari sine solemnitate tanquam non comprehensæ sub rebus, quæ prohibentur alienari, tenet Bordon. *in Consil. Regular. Resol.* 27. *n.* 62. & probabile putat Bonacina *citand.* & Diana *par.* 4. *tract.* 4. *Resol.* 223. ver. *Notandum est*. quia in Paulina *Ambitiosæ*. De *reb. Eccl. non alienan.* prohibetur solũ alienatio rerum pretio æstimabilium. reliquiæ autem Sanctorum non sunt pretio æstimabiles. Deinde licet sint pretiosæ quò ad excellentiam, & venerabilitatem, non tamen sunt pretiosæ quò ad magnum pretium.

2 At contineri sub rebus prohibitis alienari tenent Bonacina *tract. de alienat. rer. eccles. disp.* 2. *quæst. vn. pun.* 2. *num.* 31. *§. Probabile.* & *de contract. disp.* 3. *quæst.* 8. *punt.* 4. *num.* 17. Riccius *Decis.* 63. *num.* 6. testãs de stylo Romanę Curię. Palaus *par.* 2. *oper. moral. tract.* 12. *De reuer. deb. Eccles. &c. disp. vnica. punt.* 15. *§.* 1. *n.* 8. Peregrin. *in Compend. priuileg. Cler. Reg. verbo*, Alienatio bonor. *in schol. dub.* 4. *in vltima edit.* Et hanc opinionem ita certam puto, vt existimem oppositam non posse vt probabilem substineri.

3 Ratio autem est. Quia in Paulina, *Ambitiosæ*. De *reb. Eccles. non alienan.* prohibetur alienatio non solum bonorũ Ecclesiæ, sed etiam rerum. ibi. *Omnium rerum, & bonorum ecclesiasticorum alienationem &c. hac perpetuò valitura constitutione præsenti fieri prohibemus.* Vnde ponit tanquam duo distincta res, & bona, vt exprimeret, quod constitutio procedit non solum de bonis, sed etiam de quocunque alio, quod non possit venire appellatione bonorum; nec distinguit de rebus, quæ sint pretio æstimabiles; vnde nec nos distinguere debemus. *l. Nõ distinguemus. ff.* De *recept. arbit.* & *l. Præses. ff.* De *offic. præsid.* & *l.* 1. *§. Generaliter. ff.* De *legat. præst.* & Cap. *Solitæ*. De *maior. & obedient.* & Cap. *Quia circa*. De *priuileg.* & Clemen. *fin.* De *rescrip.*

4 Quin cum Rei appellatione veniat quicquid quocunque modo est aliquid *l. Si quis cum totum. init. ff.* De *except. rei iudicat.* & *l. Si defensor. §. Qui interrogatus. ff.* De *interrogat. act. & l. De pupillo. §. Qui nunciat. ff.* De *noui oper. nunciat.* sub dicta dispositione, quatenus prohibet, res Ecclesiæ alienari comprehenduntur etiam reliquiæ Sanctorū; præsertim quia edita est in fauorem Ecclesiæ ad illi conseruanda bona, & res ipsius; & ideo tanquam lex fauorabilis extendenda est: nā in fauorabilibus lex extenditur ad omnia, quæ sub aliqua significatione verborum siue naturali, siue ciuili comprehenduntur, vt docent communiter Castrēs. *in l. Qui se patris* C. Vnde *liberi.* Bald. & Salicet. *ibi.* Cancer. *par. 2. Variar. resol. cap. 1. num. 186.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 2. n. 5.* Salas *disp. 21. De legib. sect. 3.* Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. disp. 5. num. 3.* Bonac. *disp. 1. de legib. quæst. 1. punt. 8. n. 9.* Quod adeo verum est, vt etiam in pœnalibus fiat extensio ad casum, qui sub larga significatione verborum comprehēditur. *l. Senatusconsul. ff.* De *ritu nup.* iuncta *l. penul.* C. De *interd. matrim.* & *l. Iust. ff.* De *verbor. significat.* & notant Doctores *in l. Si verò. §. De viro. ff.* Soluto *matrimonio.* & Alexan. *in l. 3. §. Si procurator. in fine. ff.* Quod *quisque iuris*.

5 Quod à fortiori procedit, quia sumus in casu, in quo agitur de fauore Ecclesiæ, in quo extenditur etiam constitutio pœnalis, vt notant Glos. *in Cap. Sciant cuncti. in fine.* De *elect. in 6.* Dominic. *ibid.* Abbas *in Cap. Nihil.* De *elect.* Dec. *Consil. 496. num. 16.* Et in quo agitur de eiusdem Ecclesiæ publica vtilitate, si quidem lex respicit cōseruationem rerum ipsius. Quando autem agitur de fauore publicæ vtilitatis, lex extenditur etiam ad casum non comprehensum sub verbis *l. Cætero. §. penul. ff.* De *legat.* & *l. Hoc modo. ff.* De *condit. & demonstrat. &* notat Bart. *in l. Quemadmodum.* C. De *agricolis, & cens. & col.*

6 Et militat etiam eadem ratio in reliquijs Sanctorum, quæ respicitur à lege in prohibitione alienationis mobilium pretiosorum, ne videlicet Ecclesia suis ornamentis priuetur, quibus illustratur. Vnde habet locum etiam lex ipsa, quia tanquam anima ipsius trahit legem ad omnia in quibus ipsa locum habet. *l. Illud. ff.* Ad *leg. Aquil.* & *l. Si postulauerit. §. 2. ff.* Ad *leg. Iul. De adult.* & *l. Nautæ. §. fin. ff.* Nautæ *caupon. &c.* Quod valet etiam si ratio legis esset amplior, quàm sint verba legis *l. Regula §. fin. ff.* De *iuris, & facti ignor* & *l. 2. §. Si mater.* ver. *Quid si curatores.* & ver. *Quid si decesserint. ff.* Ad *Tertul.* & *l. Cum pater. §. Dulcissimis. ff.* De *legatis 2.* Et hoc ponunt tanquam regulam fundamentalem. Abbas *in Cap. Sicut circa. in fine.* De *testib.* Cardin. *in Clement. 1.* De *elect.* Imola *in Cap. pro humani.* De *homicid. in 6.* Dominic. & Franc. *ibid.* Bar. & Bald. *in dict. leg. Regula.* Cotta *in Memorabil.* ver. *Ratio generalis.* Villagut *in Rubr. De extens. leg. pœn. resp. mera pœna. num. 22.* Euerar. *Loco à ratione legis ampla ad extens. leg.* Tusch. *littera P. conclus. 892.* alios referens.

7 Identitas namque rationis facit, vt non verè lex extendatur, sed comprehendat casum, ad quem dicitur extendi. *l. Illud.* C. De *sacrosanct. Eccles.* & *l. His solis.* ver. *Satis etiam.* C. De *reuocan. donat.* & notant. Glos. *in Cap. 1. verbo. Italiæ.* De *tempor. Ordinat. in 6.* Cinus *in l. Iura. ff.* De *legib.* Bald. *in l. De quibus. eodem tit. & in Auth. Post fratres.* C. De *legit. hared.* Dec. *Consil. 372. num. 7.* Crot. *Consil. 26. num. 12.* Surdus *Decis. 276. num. 8.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancel. in proem. §. 7. n. 105.* Gutierez *lib. 3. pract. quæst. 17. num. 84. & sequent.* Tiraquel. *l. Si vnquam. verbo. Libertis. n. 45. & 46.* C. *De reuocan. donat.* Comparantur enim verba legis ad rationem tanquam corpus ad suam animam. *l. Cum oratio. ff.* De *bonis damnat.* Et ratio ipsa est mens legislatoris Dinus *in Cap. fin. in fine.* De *reg. iur. in 6.* Cinus *in l. Sed dubium.* C. De *legib.* Bart. & Bal. *ibid.* Imola *in l. Cum mulier. ff.* Soluto *matrim.* Cuman. Castrens. Alexan. & alij *ibid.* Cardin. Florent. *in Cap. Si quando. in fine.* De *rescriptis.* Tiraquel. *tract. Cessante causa. par. 1. num. 133.* vbi alios citat, & desumitur ex *l. Sicut oportet. §. Aliud autem.* ibi. *Mens legislatoris &c. ff.* De *excusat.*

eufat. tu'. Quia nimirum mens legislatoris debet esse rationabilis, & ideo debet esse informata ipsa ratione legis. Quare extensio comprehensiua legis, seu eius latitudo nõ debet attendi secundum ipsa verba, sed secundum ipsam rationem: nam attendenda est secundum legem viuam, & animatam, & secundum mentem legislatoris. Ex quibus omnibus concluditur, quod reliquiæ sanctorum comprehenduntur sub prohibitione alienationis rerum Ecclesiasticarum.

8 Ex his colligitur; quod si aliquis particularis religiosus habeat reliquias notabiles, & authenticas, aut quæ authenticari possint, non poterit eas alienare per donationem extra religionem. Quia cum quicquid acquirit monachus, acquirat religioni, sunt dictæ reliquiæ de iure religionis, atque adeo sunt mobilia pretiosa ecclesiastica, & consequenter cadunt sub dispositione de rebus Ecclesiæ non alienandis. Et proinde nulla esset donatio, & qui eas acciperet, teneretur ad restitutionem, quia in dicta Paulina *Ambitiosa.* De *reb. eccles. non alienan.* annullatur omnis alienatio rerum ecclesiasticarum: & imponit pœnã excommunicationis latæ sententiæ ijs, qui alienauerint, & res alienatas receperint. Hoc tamen limitandum est, nisi huiusmodi reliquiæ essent traditæ religioso ad hunc effectum, vt alijs eas daret, aut quia ita esset mens dantis, aut quia nomine alicuius fuissent postulatæ &c.



An Clerici Regulares Theatini possint alienare mobilia pretiosa inconsulto Summo Pontifice, aut Sac. Congregatione. Quæst. 182.

SVMMA

1 *Clerici Regulares Theatini possunt alienare absque alia licentia bona immobilia.*
2 *Opinio affirmans.*
3 *Clerici Regulares Theatini non possunt alienare inconsulto Pontifice &c. mobilia pretiosa.*
3 *Praxis interpretatur legem.*
3 *Obseruantia subsequuta constituit ius.*
4 *Mobilia pretiosa non sunt contra institutum Theatinorum.*
4 *Ratio potius attendenda, quàm verba.*
4 *Ratio ampliat, & limitat legem.*
5 *Vbi est diuersa ratio, non potest fieri ampliatio legis.*
6 *Specialis dispositio in aliquo casu facit, quod sit in contrarium ius commune.*
7 *Casus omissus in noua dispositione intelligitur relictus iuri antiquo.*
8 *Quando inclusio vnius fit exclusio alterius.*
9 *Mobilia quantumuis pretiosa, non veniunt appellatione immobilium.*

1 STante prohibitione de aliẽnãdis bonis immobilibus Ecclesiast. & mobilibus pretiosis S. Congregatio declarauit *anno* 1625. sub die, quod sub dicta prohibitione quò ad immobilia non comprehendantur Clerici Regulares Theatini, quandiu retinebunt institutum non possidendi bona immobilia. Ita enim se habet Declaratio. *S. Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, Religio-*

Religionem Clericorum Regularium Theatinorum, quandiu Institutum propositum retineat, quò ad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis. Cæsmas Cardinalis de Torres. Prosper *Fagnanus S. Congregat. Secret.* Difficultas autem est an stante dicta declaratione possint alienare absque facultate Apostolica bona mobilia pretiosa.

2 Et quod possint alienare, tenet Nouar. *in Sum. Bullar.* Tit. *De alienat. rer. Regular. prohib. num.* 29. & hanc opinionem confirmat, & ad opposita respondet Diana *par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 6. ver. *Sed ex his*. qui tamen postea nihil resoluit, concludens resolutionem dubij relinquere S. Congregationi. Fundamentum huius sententiæ est, quia bona mobilia pretiosa computantur inter immobilia, vt notat Palaus *par.* 2. *oper. moral. tract.* 12. *disp. vnica, punct.* 15. *num.* 13. vnde tanquam bona immobilia prohibentur alienari. Concessa ergo alienatione immobilium, erit etiam concessa alienatio mobilium pretiosorum.

3 Hæc tamen opinio reijcienda omnino est, quam reijcit Peregrin. *in Compendio Priuileg. verbo*, Alienatio. *init. schol.* & tenendum, quod Clerici Regulares Theatini non possint alienare mobilia pretiosa absque facultate Sedis Apostolicæ, sed solum immobilia. Et ita supradictam declarationem S. Congregationis interpretatur praxis, & consuetudo, quæ est optima legis interpres. Cap. *Dilectus*. *De consuetudine*. & Clemen. *Exiui. Item quia*. De *verbor. significat.* & *l. Minimè*, & *l. Interpretatione. ff.* De *legib.* Imo obseruantia subsequuta, quod non alienentur mobilia pretiosa sine facultate Sedis Apostolicæ constituit ius. *l. De quibus. ff.* De *legit.* & *l. Nulli. ff.* Quod *cuiusque vniuer. &c.* & *l. Obseruare*. §. 5. *ff.* De *offic. Proconsul.*

4 Ratio autem est; quia finis talis declarationis, seu concessionis est, vt conseruetur institutum non possidendi bona immobilia, & ideo conditionata est, & limitata ad tempus, nempe quandiu Clerici Regulares Theatini retinuerint institutum non possidendi bona immobilia. Et proinde concessit, posse illa alienare tanquam contraria instituto. ergo concessio non se extendit ad mobilia pretiosa: quia lex non extenditur vltra finem, & mentem legislatoris, præsertim quando nec verba ipsa vlterius extenduntur. Cum enim ratio potius attendenda sit. *l. Siue. §. Aliud. ff.* De *excusat. tutor.* & *l. Cum pater. §. Dulcissimis. ff.* De *legat.* 2. & proinde lex per rationem amplietur, & limitetur. *l. Vnum ex familia. §. fin. ff.* De *legat.* 2. & *l. Si is, qui animo. ff.* De *acquir. possess.* & inter alios notant Ias. *in l. Id quod. num.* 7. *ff.* De *legat.* 1. Surd. *Consil.* 67. *num.* 20. Rota *Decis.* 10. *num.* 2. *par.* 1. *Recent. apud Farinac.* Et ratio prædictæ concessionis non habeat locum in bonis mobilibus pretiosis, cum non sint contra institutum, imo secundum ipsum, si quidem dicti Clerici Regular. profitentur cultum Ecclesiarum pretiosum, nec etiā habebit locum dicta concessio, cum neque etiam secundum verba ad ipsa se extendat, si quidem de immobilibus tantum loquitur.

5 Deinde cum verba dictæ declarationis non comprehendant mobilia pretiosa, sed solum immobilia, non potest extendi ad ipsa, nisi vel extensione comprehensiua ex identitate rationis, quæ necessaria est, vt fiat talis extensio, vt dicebatur *quæst. præcedenti, num.* 6. & 7. vel extensione ampliatiua ob similitudinem, vel maioritatem rationis: vnde adhuc debet interuenire ratio similis, vel maior in casu, ad quem lex extenditur. nam si adesset diuersa ratio, aut contraria non posset fieri extensio quia vbi est diuersa, debet etiam esse diuersa iuris dispositio. *l. Seruus. ff.* De *statu liber.* & *l. Si ita. ff.* De *manumis. testamen.* & *l. Inter stipulantem §. Sacram. ff.* De *verbor. significat.* In casu autem nostro militat contraria ratio, quia ratio, ob quam concessa est alienatio immobilium, est, quia repugnant instituto, mobilia autem pretiosa non repugnant, sed sunt secundum ipsum.

6 Quod etiam confirmatur. Nam in dicta declaratione specialiter conceditur

ditur alienatio immobilium, quæ in specie nominantur, ergo quò ad mobilia pretiosa remanet in suo robore ius commune, & prohibitio alienandi præsertim cum in ipsis sit diuersa, & contraria ratio, vt constat ex dictis. Tum quia specialis dispositio in vno casu facit, quod in alijs casibus sit in contrarium ius commune, vt notant Abbas *Consil.* 79 *lib.* 1. Imola *Consil.* 139. *in fine*. Roman. *Consil.* 86. *num.* 12. Bald. *Consil.* 382. *num.* 7. ver. *Cum igitur. lib.* 5. Corneus *Consil.* 81. *num.* 9. *lib.* 2. Angel. *Consil.* 183. *in fine*. Ancharan. *Consil.* 203. *in fine*.

7 Tum quia in noua dispositione casus omissus intelligitur relictus iuri antiquo *l. Si verò. §. De viro. ff.* Soluto *matrimonio*. & *l. Commodissimè ff.* De liber. & *Posth.* Vnde cum in dicta declaratione S. Congregationis sit tantum dispositum de bonis immobilibus, & non de mobilibus pretiosis, hæc relicta sunt dispositioni præcedenti, atque adeo sub prohibitione alienationis.

8 Tum quia inclusio vnius est exclusio alterius. *l. Cum prœter. ff.* De iudic. & *l. Cum maritus. ff.* De *procuratorib.* & *l. Quamuis. C.* De *pignorib.* & Cap. *Nonne* De *præsumptionibus*. Quod licet non valeat, quando est eadē ratio in excluso, quæ in incluso, vt notant Menoch. *Consil.* 197. *num.* 83. ver. *Sed obstat primo.* Thomas de Thomasetis in *Florib. leg. Reg.* 148 & alij. quia stante identitate rationis non inclusum non censetur quid diuersum, sed idem cum incluso; adhuc tamen habet locum in casu nostro, nam quò ad Clericos Regulares Theatinos est diuersa ratio de bonis immobilibus, & mobilibus pretiosis, quia immobilia repugnant cum ipsorum instituto, non autem mobilia pretiosa. Et ideo cum in Declaratione S. Congregationis includantur sola immobilia, erunt exclusa mobilia pretiosa.

9 Nec subsistit, quod pro opposita opinione allatum est, quia mobilia, quantumuis pretiosa, continentur sub appellatione rerum mobilium vt notant Glos. *in Cap. Is, cui.* De *elect. in* 6. & *in Cap.* 1. De *cler. ægrot. in* 6. Tiraquel. *tract. De retract. Consanguin.* §. 1. *Glos.* 7. *num.* 99. Menoch. *Consil.* 407. *num.* 7. quia omnia illa mobilia bona sunt, quæ de loco ad locum moueri possunt. *l. A Diuo Pio. §. In venditione. ff.* De *re iudic.* & *l. Mouentium. ff.* De *verbor. significat.* vbi Doctores Bart. Alciat. Rebuf. Vnde non possunt computari inter bona immobilia, quia, quæ sunt de vna specie, non possunt computari inter ea, quæ sunt de specie opposita, quia habent repugnantiam, vt sub opposita specie contineantur. Bona autem mobilia, & immobilia sunt species bonorum oppositæ.

An Prælati Regulares possint dispensare pro foro externo super irregularitate, infamia, & alijs inhabilitatibus professuros in religione. Quæst. 183.

SVMMA.

1 *Priuilegium Regularium dispensandi professuros super irregularitate, & alijs inhabilitatibus, & absoluendi à reseruatis Sedi Apostolicæ, & à censuris etiam per sententiam latis &c.*
2 *Etiam pro foro externo.*
2 *Non est plena facultas, quæ potest esse maior.*
2 *Seu cui aliquid iuris desit.*
2 *Dictio*, Totaliter, *quid significet*
3 *Dictio*, Penitus, *non admittit limitationem.*
3 *Facultas Regularium restituendi professuros in pristinum statum.*
4 *Priuilegium Regularium dispensandi super irregularitate &c. non se extendit vltra professuros.*
5 *Dispensati, & habilitati virtute dicti priuilegij super inhabilitatibus &c. possunt promoueri ad dignitates.*
6 *Etiam generalatus.*
6 *Quis dicatur restitutus in pristinum statū.*
6 *Quid operetur restitutio in pristinum statū.*

Am

1 Amplissimum priuilegium quò ad hoc concessit Pius V. Clericis Regularibus Theatinis *in Bulla*, quæ incipit. *Ad immarcescibilem* sub *data VII. Idus Februarij. anno* 1567. & est 31. *eiusdem Pontificis tom.* 2. *Bullar. veteris*. Continet autem priuilegium. quod etiam Prælati locorum possint absoluere professuros in sua religione ab omnibus reseruatis Sedi Apostolicæ preterquam à contentis in Bulla cœnæ, & absoluere ab omnibus censuris, etiam per sententiam latis sine tamen præiudicio alterius, & dispensare super omni irregularitate quomodolibet contracta, præterquam ex homicidio voluntario, & super omni inhabilitate; & omnem notam, ac infamiam abolere, & restituere in pristinum statum. Verba priuilegij sunt hæc in *eadem Bulla* §.16. *Et insuper eidem Congregationi Clericorum Regularium, tàm Romæ, quàm Venetijs, & Neapoli, ac aliàs vbique locorum degentium, ac illius nunc, & pro tempore existentibus Clericis præfatis, vt ipsi, & eorum singuli, qui Præpositi fuerint, quorumcunque, qui Congregationem huiusmodi ingressi iuxta illorum ritum professionem per eosdem Clericos Regulares emitti solitam, solemniter emittere voluerint in eorum, & cuiuslibet ipsorum professionis emissionis, seu alio anteriori die quocunque eorum confessionibus per dictos Præpositos, aut eorum aliquem diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, ac quacunque per eos hactenus quomodolibet contracta irregularitate, & peccatis alijs quantumcunque grauibus, & enormibus, per ipsorum, & eorum singulos vsque ad dictam diem quomodolibet perpetratis, commissis, & incursis: etiam si talia forent, de quibus hic specialis, & expressa mentio habenda, & propterea dicta Sedes meritò consulenda esset. Nec non priuationis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & quibusuis alijs ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis in eos à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus profitendos ipsos tunc quomodolibet innodatos, & vt tales declaratos, & publicatos esse reperiri contigerit, sine tamen alicuius præiudicio, in quibuscunque etiam prædictæ Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, præterquam tamen contentis in bulla in die Cœnæ Domini legi consueta; huiusmodi Apostolica auctoritate prædicta aliàs in superius dicta forma plenè absoluere, & totaliter liberare, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere; ac cum ipsis, & eorum quolibet super irregularitate per ipsos, & eorum quemlibet inde, etiam, quia sententijs, censuris, & pœnis prædicti ligati missas forsan, ac alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium, celebrauerint, aut aliàs in eis se immiscuerint per pridem vsque tunc, ac etiam ex quocunque eorum defectu, & impedimento, non tamen ex homicidio voluntario proueniente, ac aliàs quomodolibet contracta. Quodque his præmissis, & alijs non obstantibus, in suis, quos antea susceperint etiam præsbiteratus sacris ordinibus; & quando in illis, aut aliquo, vel aliquibus eorum adhuc non fuerint tunc promoti, ad illos omnes etiam sacros, & præsbiteratus ordines huiusmodi aliàs tamen ritè promoueri, & in eis promoti etiam in altaris ministerio in dictis, & alijs quibusuis Ecclesijs, atque locis ministrare liberè, & licitè, valeant dispensare; & ab illis, & illorum quolibet omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam ex præmissis circa eos quomodolibet insurgentem, & per ipsos contractas penitus abolere. Nec non eos, & quemlibet ipsorum in pristinum, & eum, & in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum, & aliàs iuxta supradictam formam restituere.* Quare Regulares omnes, qui communicant in dicto priuilegio poterunt vti eadem facultate cum ijs, qui professuri sunt in eorum religione.

2 Quod autem dicta facultas concessa sit etiam pro foro externo, constat ex tenore verborum; nam Pontifex loquitur de delictis, censuris, irregularitate, inhabilitate, infamia publicis, & quæ consequuntur ex sententijs, & de ijs respectu quarum præcessit publicatio; atque adeo de deductis ad forum externum, & quò ad hæc concedit facultatem,

cultatem, & ipsam non restringit ad forum conscientiæ, sed dicit, quod possint plenè absoluere, & totaliter liberare; non absoluerent autem plenè, nec totaliter liberarent, si non absoluerentur etiam pro foro externo. nam plenè absoluere dicit plenam facultatem, & plena non esset, si posset esse maior, nempe pro foro etiam externo. Cap. *Benè quidem. Dist. 91.* & Cap. *Apostolicæ. De præbend. in 6.* & notant Bald. *Cons. 296. n. 3. lib. 4.* & *Cons. 379. ver. Item dicitur.* Gozadin. *Cons. 47. n. 7.* Ruin. *Cons. 100. vol. 3.* Socin. iun. *Cons. 1. n. 17. lib. 4* *Rolan. Cons 85. n. 53. vol. 4* Surd. *Cons. 515. n. 5. vol. 4.* Menoch. *Cons. 19. n. 12.* Peregrin. *De fideicom. art. 3. num. 95.* Gratian. *Decis. March. 239. n. 5.* Tusch. *Littera P. conclus 297. num. 14.* Glos. *in Clem. 1.* De *re iud.* Nec item esset plena facultas, si aliquid iuris deesset, vt tradunt Bald. *in l. Fœminæ. §. Illud, C.* De *secundis nupt.* per illum. tex. Imola *in l. Huiusmodi. §. Aedes. ff.* De *legat. 1.* Ias. *ibid. n. 5.* Quod etiam significat particula, *Totaliter liberare*, quia dictio, *Totaliter*, vniuersalis est, & significat absolutè, & in totum, vt notant Roland. *Consil. 98. num. 15.* Maluasia. *Consil. 50. num. 24.* Vulpel. *De præposit. & aduerb significat.* verbo. *Tantum.* ver. *Totaliter.* Atque significat quandam plenitudinem. Cap. *Abbate.* De *sent. & re iudic. in 6.* & notat Menoch. *Consil. 191. num. 13.*

3 Quod insuper ex eo colligitur. nam facultas concessa est ad penitus abolendam omnem infamiæ, & inhabilitatis maculam, non aboleretur autem penitus, nisi aboleretur etiam quò ad forum externum; dictio namque, *Penitus*, nullam admittit limitationem, aut exceptionem. *l. Ambiguitatem. C.* De *vsufruc.* & *§. Ist & aliud.* Instit. *De donat.* & tradunt Glos. *in Cap. fin.* De *offic. deleg. in 6.* Felin. *in Cap. Ex parte 1. eodem Tit.* Petrus Ancharan *quæst. familiar. 35. num. 3.* Dec. *Consil. 401. num. 3. vol. 2.* Angel. de Perus. *Consil. 31. num. 9.* ver. *Quod verbum.* Alexan. *Consil. 13. num. 6. & 7. lib. 2.* Curt. *Consil. 32. num. 20.* Rolan. *Consil. 27. n. 20. vol. 4.* Alexan. *in l. Qui vsufruc. ff.* De *verbor. obligat.* Ias. *in Authent. Qui rem. n. 22. C.* De *sacrosanc. Eccles.* Menoch. De *recuper. posses. remed. 14. num. 5.* Seraph. *Decis. 325. num. 17.* Marta *De iurisd. par. 4. Centur. 1. Casu 85. num. 19.* Tiraquel. *l. Si vnquam. verbo* Reuertatur. *num. 88. C.* De *reuocan. dona.* Quod præsertim verum est, quia prædicta facultas est ad restituendum in pristinum statum ibi, *Nec non eos, & quemlibet ipsorũ in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erãt, statum, & aliàs iuxta supradictam formam restituere.* Cum ergo antea fuerit liber à prædictis omnibus etiã quò ad forum externum, facultas concessa ad restituẽdum in pristinum statum erit etiam quò ad forum externum.

4 Est tamen aduertendum, quod Prælati non posunt vti hac facultate, nisi cum ijs, qui professuri sunt, aliàs nulliter operarentur. ita enim requirit Pontifex. dum ait. *Qui Congregationem huiusmodi ingressi iuxta illorum ritum professionem per eosdem Clericos Regulares emitti solitam solemniter emittere voluerint, in eorum, & cuiuslibet ipsorum professionis emissionis, seu alio anteriori die quocunque &c.* Vnde necesse est, quod, antequam cum ipsis adhibeatur huiusmodi facultas, sint iã Capitulariter admissi ad professionem, quia non possunt velle emittere professionem. nisi sint ad ipsam admissi. & proinde debent esse proximè accingendi, si quidem tale priuilegium est concessum in fauorem professionis. Et hoc pertinet ad formam, cum qua dicta facultas adhibenda est; nam subdit Pontifex., *in superiorib. dicta forma &c.* & rursus *Iuxta supradictam formam restituere*; & ideo nisi seruetur dicta forma, quicquid circa ipsos quomodocunque actum fuerit, erit nullum.

5 Ex quibus colligitur, quod ij, qui gauisi sunt beneficio huius priuilegij, non solum poterunt promoueri ad ordines, sed etiam ad omnes dignitates religionis, si aliàs incapaces fuerint, vel ratione infamiæ, vel ratione illegitimitatis, vel ex alio capite. Facultas enim dicti priuilegij est ad abolendam omnem notam, & maculam infamiæ, & inhabilitatis, & ad restituendum in pristinum statum; vt constat

conſtat ex vltimis verbis allati priuilegij. non aboleretur autem omnis infamia, & inhabilitas, niſi redderetur capax cuiuſcunque dignitatis, nam ſi non eſſet capax, remaneret aliquod impedimentum, vnde non eſſet abolita omnis macula, & nota; nam adhuc notaretur vt incapax talis dignitatis, nec eſſet penitus abolita, quia vt *num*.3. dicebatur, dictio, *Penitus*, nullam admittit reſtrictionem.

6 Et hoc locum habet etiam quò ad dignitatem Generalatus, & etiam quò ad aliàs extra religionem. quia priuilegium concedit facultatem, non ſolum abolendi penitus omnem notam, & maculam cuiuſcunque inhabilitatis, & infamiæ, ſed etiam reſtituendi in priſtinum ſtatum; per talem autem reſtitutionem acquiritur illa habilitas, quam quiſque aliàs habuiſſet nullo præexiſtente impedimento. Neque enim, quis cenſetur reſtitutus in priſtinum ſtatum, niſi obtinuerit plenam reſtitutionem. Cap. *Venerabilis*. vbi Abbas. De *offic. delegati*. & *l. Cum indulgentia*. & *l. fin*. C. De *ſent. paſ. & reſt. &* notant Bar. *in l. Quod ſi minor*. §. *Reſtitutio*. *ff*. De *minorib*. Aret. §. *Rurſus*. ver. *Quartò præmitte*. Inſtit. *De action*. Paris. *Conſil*. 96. *num*. 112. *lib*. 1. Menoch. *De recuper. poſſ. in prælud. num*. 4. Socin. Sen. *Conſ*. 262. *lib*. 2. Reſtitutio nãque in priſtinum ſtatum operatur, quod reſtitutus talis habeatur, qualis eſſet, ſi nullum habuiſſet impedimentum per ea, quæ tradunt Bald. *in l. Si cum dotem*. §. *Vxor*. *ff*. Soluto *matrimonio*. & *l. Imperialis* ver. *Nota*. C. De *nupt*. Bart. *in l. Et qui*. §. *Si in metallum*. *ff*. De *muner. & honorib*.

An priuilegium habilitandi, abolendi infamiam, & reſtituendi in priſtinum ſtatum tollendi irregularitates conceſſum à Pio V. pro profeſſuris ſuffragetur iam profeſſis, ſi antea eo vſi non ſint. Quæſt. 184.

S V M M A.

1 *Priuilegium Pij V. abſoluendi, & diſpenſandi &c. eſt pro vnica viee.*
1 *Conceſſum pro tempore determinato poſt illud cenſetur denegatum.*
2 *An tranſacto Iubileo poſſit quis diſpenſari in votis.*
4 *Profeſſus poteſt frui priuilegio Pij V. ſi ante profeſſionem non eſt vſus.*
4 *Per profeſſionem acquirit ius ad beneficiũ dicti priuilegij.*
5 *Finis dicti priuilegij.*
5 *Durante fine priuilegij, durat etiam priuilegium.*
6 *Quando requiritur cauſa pro aliquo tempore, ſufficit, ſi pro illo extiterit.*
7 *Cur Pius V. coarctet tempus pro vſu priuilegij abſoluendi, & diſpenſandi profeſſuros.*
8 *Quem effectum habeat dictũ priuilegium, ſi adhibeatur poſt emiſſam profeſſionem.*

1 QVod priuilegium conceſſum à Pio V. Clericis Regularibus Theatinis in fauorem eorum, qui profitentur in eorum Congregatione, vt poſſint abſolui ab omnibus reſeruatis, præterquàm à contentis in Bulla cœnæ; & ab omnibus cenſuris quomodocunque contractis, & vt poſſit ab ipſis omnis irregularitas quomodolibet contracta, præterquàm ex homicidio voluntario, & omnis nota infamiæ, & inhabilitatis aboleri, & in priſtinum ſtatum reſti-

restituti, de quo *quæst. præcedenti*, sit concessum pro vnica vice, constat ex ipsius tenore. Siquidem est concessum intuitu professionis emittendæ, & pro tempore determinato, nempe pro ipso die professionis, aut alio antecedenti. Quando enim conceditur aliquid pro aliquo determinato tempore, post illud tempus habetur pro denegato, vt notant Anchar. *Consil.* 70. *n.* 8. Geminian. *Consil.* 15. *num.* 18. *&* 19. & tempus illud limitat concessionem, vt sit pro vna vice; quando concessum non potest haberi pro illo tempore pluribus vicibus. Vnde etiam Pontifex in concessione dicti priuilegij limitat facultatem ad peccata commissa vsque ad illum diem, & ad censuras, inhabilitates, irregularitates &c. contractas vsque ad illam diem. Modo autem dubitatur, an si ex inconsideratione, aut ignorantia priuilegium non reducatur ad praxim ante professionem, possit emissa professione professus adhuc frui beneficio priuilegij.

2 Et negatiuè videtur respondendum iuxta eorum doctrinam, qui volunt, quod transacto Iubileo non possit quis amplius dispensari in votis, in quibus poterat dispensari in virtute Iubilei, etiam si lucratus fuerit Iubileum, quia talis facultas nō solum concessa est pro votis emissis ante Iubileū, sed etiā pro ipso tempore Iubilei, quo trāsacto expirat. Hoc autem tradunt Regius *in suis Resolut. casu* 21. citans Beiam, & Graffiun. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *De voto. cap.* 16. *num.* 14. *&* 15. Bonac. *disp.* 4. *de legib. quæst.* 2. *punct.* 7. *§.* 3. *num.* 14. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 10. *num.* 302. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 9. Lauor *par.* 1. *De iubileo. cap.* 14. *num.* 94. Pollachus *De iubileo. sect.* 42. *num.* 69.

3 Quia tamen alij tenent, quod transacto iubileo possit, qui illud lucratus est, dispensari in votis, in quibus vel obliuione non fuit dispensatus, vel quia noluit dispensari, vt Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 11. *num.* 4. Sayr. *lib.* 6. *Clauis Reg. cap.* 12. *num.* 17. Sà. *verbo.* Indulgentia. *num.* 14. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 15. *num.* 17. citans Stunicam *quæst.* 5. *de voto. num.* 37. & rursum idem Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 54. *num.* 39. Portel. *in dub. Regular. verbo.* Indulgentia pro iubileo. *num.* 18. Bossius *sect.* 2. *De iubileo. Casu* 47. *num.* 1 Sanctarel. *De iubil. cap.* 8. *dub.* 3. Alphonsus *de Leone De potest. confessar. tempore iubil. par.* 2. *num.* 201. Diana *par.* 2. *tr.* 16. *Resolut.* 9. ver. *Sed ego.* & *par.* 5. *tract.* 11. *de indulgent. Resolut.* 40. Zerola *lib.* 2. *De iubil. cap.* 12. *dub.* 10. Fernan. *par.* 3. *Exam. theol. moral. cap.* 8. *§.* 8. *num.* 6. Quia nimirum, dum lucratus est iubileum, acquisiuit priuilegium, atque adeo ius, vt possit dispensari, quod priuilegium non est alligatum tempori, sicut est alligatum iubileum.

4 Ideo secundum doctrinam horum Doctorum dicendum est, quod professus possit frui dicto priuilegio post professionem, si ante professionem eo vsus non est. Ratio est, quia est concessum intuitu professionis, & in fauorem ipsius, & finis concessionis est, vt profitens sit in religione liber ab omni censura, irregularitate, inhabilitate, & infamia &c. ergo eo ipso, quod profitetur, acquirit ius ad huiusmodi gratiam concessam profitentibus, & ideo potest illo frui quandocunque libuerit; tunc enim ius acquiritur ad aliquid, quod est concessum sub conditione alicuius operis, quando illud opus executioni mandatur. Quod magis constat ex priuilegio eiusdem Pij V. concesso Benedictinis *Idibus Iunij*. 1571. & est *Bulla ipsius* 139. *in Bullario Veteri*. vbi exprimit, quod etiam post emissam professionem possint Prælati vti cum subditis dicta facultate.

5 Quod etiam ex eo constat; Nam huiusmodi priuilegium non est concessum, vt tollatur aliquod impedimentum, quod obstet professioni, cum nullum ex ipsis, quæ per prædictam facultatem tolluntur, impediat professionem, sed vt professus sit expeditus ad officia, & munera religionis. Cum ergo finis duret etiam post professionem, debet etiam durare priuilegium concessum, sicut cessat cessante causa, argum. ex contrario

ſenſu Cap. *Magna. in fine*. De voto. & Cap. *Cum ceſſante*. De appellat. & *l. Adigere*. §. *Quamuis. ff.* De iurepatronat.

6 Et quamuis cauſa impulſiua conceſſionis talis priuilegij, & vſus illius, & conditio neceſſariò requiſita ſit emiſsio profeſsionis, ſufficit tamen, quod fuerit emiſſa; nec emiſsio requiritur de præſenti, quando exercenda eſt dicta facultas. Quia, quando requiritur cauſa pro certo aliquo tempore, ſufficit, ſi dicto tempore cauſa extiterit, nec requiritur, quod perſeueret, vt duret effectus ab ipſa dependens. *l. Si quis heredem. C.* De *inſtit. & ſubſtit.* & notant Tiraquel. *tract. Ceſſante cauſa. Limit.* 4. & Rota *Deciſ.* 733. *num.* 8. *apud Farinac. part.* 2. *Recentior.*

7 Nec obſtat, quod Pontifex in conceſsione dicat, *In eorum, & cuiuslibet ipſorum profeſſionis emiſſionis, ſeu alio anteriori die quocunque*. Quia non coarctat tempus, quaſi nolit, poſt diem profeſſionis priuilegium habere locum; ſed quia vult, quod vſus priuilegij vſque ad tempus profeſsionis differatur, quia nimirum intendit, quod priuilegium ſit conceſſum ſolum pro ijs, qui profeſſuri ſunt; quia autem non ſunt profeſſuri, niſi ſint admiſsi ad profeſsionem capitularet, ideo vult, quod expectetur dies profeſsionis, aut alius anterior, in quo habeantur pro profeſſuris & ideo eſt determinatum tempus, non ad excludendum ſubſequens; ſed ad excludendum anterius. & tempus, quod expectandum eſt, non autem tempus, in quo finiatur facultas conceſſa.

8 Eſt tamen aduertendum, quod dictum priuilegium, ſi adhibeatur poſt emiſſam profeſſionem, non poteſt habere aliquem effectum quò ad cenſuras, irregularitates, inhabilitates &c. contractas poſt profeſſionem, quia eſt conceſſum tantum pro contractis vſque ad diē profeſſionis, hoc enim Pontifex explicat. dum inquit, *Vſque ad dictam diem, quomodolibet perpetratis, commiſſis, & incurſis*. Quod etiam docent Doctores de commutatione votorum, quos *num.* 2. citaui, vt nimirum fieri poſsit transacto iubileo ſolum quò ad vota emiſſa antequam expiraret tempus iubilei. Si tamen dicta diſpenſatio, & abſolutio fieret aliquot diebus ante profeſsionem, & poſtea contingeret caſus nouus, adhuc haberet locum priuilegium, quia extenditur vſque ad diem profeſsionis.

An Prælati Regulares diſpenſare poſsint ſuper irregularitatibus proprios ſubditos in foro externo. Quæſt. 185.

S V M M A.

1 *Regulares poſſunt vti cum proprijs ſubditis priuilegio abſoluendi, & diſpenſandi ſuper irregularitate ex delicto occulto &c. quod Tridētinum tribuit Epiſcopis.*
2 *Hoc ipſum conceditur Prælatis Regularibus à Pio V.*
3 *Prælati Regulares poſſunt diſpenſare ſuos ſubditos in irregularitate & ſuper qua poſſunt diſpenſare Epiſcopi*
3 *Prælati Regulares habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem.*
3 *Epiſcopus in quibus irregularitatibus, & inhabilitatibus poſſit diſpenſare.*
4 *Quod Prælati Regulares non poſſint diſpenſare ſuper irregularitate &c. Qui teneāt.*
5 *Prælati Regulares poſſunt diſpenſare in infamia, & irregularitate pro foro externo.*
6 *Priuilegium Sixti IV. pro dicta facultate diſpenſandi.*
7 *Priuilegium Pij V. concedens eandem facultatem.*
8 *Dicta facultas quò ad homicidium eſt ſolum pro foro conſcientiæ.*
8 *Dictio*, Tantum, *eſt reſtrictiua, & excludit cætera.*
8 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
9 *Aliud priuilegium Martini V.*
9 *Tridentinum non derogat priuilegijs, niſi expreſsè reuocet.*
10 *Dictum priuilegium modo non valet quò ad contenta in Bulla cœnæ.*

Quod

1 QVod ſpectat ad forum cõſcientiæ, quamuis plures doceant, vt Suarez *tom.*4. *De relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*12. *n.*12. Ledeſma *par.*2. *ſum. tract.*1. *cap.*6. *dub.*3. *poſt* 20. *Concluſionem*. Sanchez *lib.*8. *de matrim. diſp.*2. *num.*13. Sigiſmundus à Bononia *De elect. par.*2. *dub.* 60. Alter. *tom.*2. *de Cenſur. diſp.*8. *cap.*3. Garzias *par.*7. *De beneſ. cap.* 11. *num.*13. & 18. Campanil. *in Diaer. iur. Rubr.*7. *cap.* 5. *num.*5. Lezana *tom.*1. *quæſt. Regular. cap.*10. *num.*35. Non poſſe Prælatos Regulares vti cum ſuis ſubditis facultate conceſſa Epiſcopis à Tridentino diſpenſandi in omnibus ſuſpenſionibus, & irregularitatib. ex delicto occulto, præterquàm ex homicidio voluntario, & abſoluere à caſibus occultis reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, vt habetur *Seſs.*24. *Cap.*6. *De reformatione*. Attamen alij quoque docent, hoc idem Priuilegium conuenire etiam Prælatis Regularibus quò ad proprios ſubditos, ne Religioſi ſint deterioris conditionis, quàm ſint ſæculares. Et quia habent iuriſdictionem quaſi epiſcopalem quò ad proprios ſubditos, & priuilegiũ eſt fauorabile, & ideo extendendum, quia in fauorabilibus tales Prælati veniunt nomine Epiſcopi in ijs, quæ ſpectant ad iuriſdictionem quò ad ſubditos. Nec obſtat declaratio S. Cõgregationis, quæ in oppoſitum ſolet circumferri, tum quia de illa non conſtat authenticè; tum quia non loquitur de Prælatis omnino exemptis, & habentibus proprium territorium, ſed qui non ſunt plenè exempti. Et hanc partem tenent Rodriquez *tom.*1. *quæſt. Regular. quæſt.*61. *art.*9. Beia *par.*4. *Caſu* 37. *init.* Bartholom. à S. Fauſto *lib.*3. *Theſauri Relig. quæſt.* 125. Portel *in dub. Regular. verbo.* Prælati. *num.*36.

2 Quod ſi dubium eſſet, remanet certum ex priuilegio Pij V. *ſub die* 21. *Iulij.* 1571. in *Conſtit.* 132. *eiuſdem Pontificis in Bullario veteri*, in quo concedit, quod poſſint Prælati Regulares cũ ſuis ſubditis, quod poſſunt Epiſcopi cum proprijs. ita enim habet §.3. eiuſdem Bullæ. *Et inſuper, quia Sacrum œcumenicum generale Tridentinum Cõcilium conceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ ſeu cõſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ.*24 *cap.*6. *habetur, ne prior conuentualis, & ſuperiores Prælati, totius Ordinis tàm in dicta prouincia, quàm extra eam cuilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut ſæculares exiſtant, eiſdem priori conuentuali, & ſuperioribus Prælatis, vt ipſi per ſeipſos idem omninò poſſint in fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & Laicos ſibi ſubiectos, tàm quò ad abſoluendi, & diſpenſandi huiuſmodi, quàm alias quaſcunque facultates eadem auctoritate, & tenore eam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiã declaramus*. & ita notant inter alios Sigiſmundus à Bononia *De electione. par.*2. *dub.*60. Henriquez *lib.*7. *cap.*25. Beia *par.*4. *caſu* 37. Trullench *lib.*1. *in Decal. cap.*3. *dub.*4. *n.*5. Marchin. *De ſacram. Ordinis tract.*1. *par.*9. *difficul.*1. *num.*9. Sorbus *in compen. priuileg. Tit.* Abſolutio. *in Reſolut. in mater. abſolut. quò ad fratres, & ſæcul.* ver. *Pius V. in ſuo &c.* Molin. *tract.*3. *de iuſt. & iure diſp.*61. *num.*4. & 5. Io. à Cruce *De ſtatu relig. lib.*1. *cap.*6. *dub.*16. Sayr. *lib.*7. *De cenſur. cap.*7. *num.*23. Barboſa. *De poteſt Epiſcopi par.*2. *allegat.*39. *num.*18. alios citans Tambur. *De iur. abbat. tom.*2. *diſp.*17. *quæſt.*8. *num.*2. Lezana *tom.*1 *quæſt. Regular. cap.*18. *n.*31. Vnde omnes communicantes participant in hoc priuilegio. Quod nedum fuit reuocatum à Gregorio XIII. ſed etiam confirmatum in ſpecie Congregationi S. Bernardi Hiſpaniæ, vt habetur in *Compend. Priuileg. dicti Ordin.* verbo. *Abſolutio quò ad Fratres.* §.11.

3 An autem poſſint Prælati Regulares diſpenſare ſuos ſubditos in infamia iuris, & alijs irregularitatibus, in quibus poſſunt diſpenſare quò ad forum conſcientiæ, dubitant Doctores; Sed ex dictis duabus *quæſt. præcedentibus* conſtat, quod poſſint diſpenſare, ſi cõtractæ ſint, antequam profiteretur. vnde dubium remanet ſolum de contractis poſt pro-

fessionem. In quo hoc quoque certum est, quod possunt dispensare suos subditos in ijs omnibus, in quibus dispensare possunt Episcopi proprios subditos, vt notant Henriquez *lib.14.cap.19. num.2.* Miranda *tom.2. Manual.quæst.9.art.3.* & *quæst.31.art.1.* Sayr.*lib.7.De censur.cap.11 num.15.* Nauar.*cap.22.Manua.num.204.* Auila *par.7. De censur. disp.4.dub.6.* Barbosa *De potest. Episc.par.2.allegat.43.n.31.* Sigismun. à Bonon. *de elect. dub.83. n.3.* Tamburin. *De iure Abbat. tom.2.disp.17 quæst.7.num.7.* Lezana *tom.1.quæst. Regular.cap.10. num.35.* & communiter, quia nimirum habent potestatem quasi Episcopalem in suos subditos, vt desumitur ex Cap. *Abbatis.* De *priuileg.in 6.* & tradũt Doctores *in Clemen.1.* De *reb.Eccles. non alienan.* verbo.*Proprij*. Episcopus autem potest dispensare in ijs, quæ consurgunt ex adulterio, & alijs criminibus minoribus, vt declarauit Alexan. III. Cap. *At si clerici.§. De adulterijs.* De *iudicijs*.

4 Quod autem spectat ad alias irregularitates ex delictis maioribus adulterio, & infamiam, negant posse dispensare pro foro externo Rodriquez *tom.1. Quæst.Regular. quæst.24.ar.6.* Miranda *tom.2. Manualis. quæst.8. ar.5. conclus.1.* Sigismundus à Bononia *De elect.par.2. cap.4. dub.87.num.7.* Vecchius *in praxi Nouitiorum.disp 9.dub.22.num.15.* Lauor. *in varijs Lucubrat. tit.14. cap.16.num.72.* Llamas *p.4.Methodi. cap.3. §.8.* Panor.*in Cap. Simoniacè n.6.* De *Simonia.* Nauar. *in Manual. cap.22. num.204.* Sayrus *lib.7. de censur. cap. 11. num. 15.* Tamburin. *De iure Abbat. tom.2. disp.17. quæst.7. num.6.* Portel. *in dub. regularib.verbo.* Dispensare. *num. 6.* Hieronim. Rodriquez *in Compend. quæst Regular. Resol.52. n.9.* Diana *par.5. tract.14. Resol.91.* Nullam tamen afferunt rationem. & hoc solum procedit de iure communi seclusis priuilegijs.

5 Itaque tenendum est, quod inuigore priuilegiorum possint Prælati regulares in foro externo dispensare proprios subditos in infamia iuris, & omnibus irregularitatibus ex delicto contractis post emissam professionem præterquam ex homicidio voluntario, ex mutilatione membrorum. Ita tenent loquentes de irregularitate ex infamia Naldus *in Sum. verbo.* Infamia. *num.1.* ver. *Hic addendum.* Peirin. *De subdito religioso. quæst.1. cap.27.* ver. *Quod licet.* & *tom.3.priuileg.in additam. Ad Constit.Sixti IV.cap.2.num.1.* Lezana *in Summa.verbo.* Infamia. *num.27.* & loquens de alijs irregularitatib. *verbo.* Irregularitas. *per discursum.* Bordon. *in Consil. regularib. Resol.11. num.50.*

6 Quia autem hoc totum dependet ex priuilegijs, ideo videndum est, quomodo in ipsis concedatur. Hoc ergo concessum fuit à Sixto IV. *in Bulla Maris magni,* quæ incipit. D*um attenta.* Generali Carmelitarum. Ita enim habet. *Nec non cum ijs, qui ex quauis causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante irregulares ipsi ad quoscunque etiã sacros ordines promoueri, & in illis altaris ministerio ministrare, & tàm ipsi irregulares, quàm defectum natalium patientes prædicti ad quascunque administrationes, & Officia dicti Ordinis eligi, recipi, & assumi, illaque genere, & exercere liberè, & licitè valeant &c.* Et idem Sixtus IV. simile priuilegium concessit fratribus Minoribus *in Bulla Maris magis,* quæ incipit. *Regimini vniuersalis Ecclesiæ.* Pridie *Kal. Septemb. anno* 1474. quæ est *6. eiusdem Pontificis tom.1. Bullar. veter.* Ita enim habet. *Et vt dicti ordinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio, & ad Apostolicam Sedem recurrendi subtrahatur propè necessitas, Magistro, & Prioribus Prouincialibus, & conuentualibus, ac eorum Vicarijs defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incæstu, & quouis alio nefario coitu prouenientem, patientibus, nec non cumbis, qui ex quauis causa præterquàm homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, dispensandi eum dicti Ordinis Prædicatorum professoribus, postquam dictum Ordinem professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstantibus irregulares ipsi ad quoscunque*

etiam

etiam sacros ordines promoueri, & in illis, etiam in altaris ministerio ministrare, & tàm ipsi irregulares, quàm defectu natalium patientium prædicti ad quascunque administrationes, & officia eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant, motu, ac scientia, ac auctoritate prædictis, concedimus per præsentes. Et similia priuilegia concessit Iulius II. Generali Ordinis Minorum, vt in *Compend. priuileg. ipsor. Tit. Dispensatio. §. 21.* & Paulus III. Societati Iesu, vt in *Compend. Priuileg. ipsor. tit. Dispensatio. §. 5.* Ex quibus constat, quod huiusmodi dispensatio fit pro foro externo, & solum remanet exclusa irregularitas ex bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione membrorum.

7 Et quod omne dubium tollit, adest aliud priuilegium concessum à Pio V. Monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis in *Bulla*, quæ incipit. *Dum ad Congregationem*. sub *Idibus Iunij. anno* 1571. quæ est 129. *eiusdem Pontificis tom. 2. Bullarij veteris*, in quo expressè conceditur facultas dispensandi, rehabilitandi, & tollendi omnem maculam infamiæ pro foro externo. Ita enim habet §. 1. *Motu proprio, non ad ipsorum Abbatum, & Prælatorum, seu alicuius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed ex certa scientia, & de mera liberalitate nostra, Apostolicæque potestatis plenitudine omnibus, & singulis modernis, & pro tempore existentibus Abbatibus, & Prælatis Congregationis huiusmodi quoscunque illius pro tempore existentes Monachos, conuersos, commissos, & oblatos tàm professos, quàm Nouitios, in ea tamen perseuerantes, à quibusuis criminibus, reatibus, culpis, censuris, & pœnis per eos, & eorum quemlibet, tàm ante, quàm post illorum in Congregationem huiusmodi, ac monasteria sub illius obedientia existentia ingressum, seu professionem Regularem per eos emissam, ex quauis causa, & ob quamuis excessum, & delictum publicum, vel occultum casu, seu data opera quomodolibet ab eis, & singulis, etiam si homicidium voluntarium, seu membri mutilatio, non tamen post ingressum huiusmodi pro tempore subsequutum, seu subsequuta fuerit, incursis & in futurum incurrendis; etiam si de casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, vel de comprehensis in Bulla, quæ die Cœnæ Domini singulis annis legi consueuit, fuerint, plenariè toties, quoties opus fuerit iniuncta sibi pro modo culpæ pœnitentia salutari, quo ad reatum homicidij tantum in foro conscientiæ tantum, absoluendi, & liberandi, ac in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, & fuerant, statum redintegrandi, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam inde quomodolibet insurgentem ab eis, & eorum quolibet prorsus abolendi; secumque, quod præmissis non obstantibus non promoti ad omnes, etiam sacros, & præsbiteratus ordinem promoueri, atque monasterijs eiusdem Congregationis in Abbates, Priores, & Prælatos præfici; nec non ad quascunque alias dictæ Congregationis prælaturas eligi, & assumi, munusque benedictionis suscipere; & tàm illi, quàm qui iam ante, vel post præmissa, sint, vel fuerint promoti, præfecti, & electi, etiamsi munus benedictionis huiusmodi scienter susceperint, irregularitatibus, inhabilitatibus, reatibus, censuris, & pœnis huiusmodi, vel alijs quibuscunque criminibus irretiti, & innodati scienter missas, & alia diuina officia celebrassent, simulue, seu aliàs munere benedictionis huiusmodi quomodolibet vsi essent, in altaris ministerio ministrare, & dicto munere vti, nec non omnes, & quoscunque prælaturas, obedientias, administrationes, & officia ordinis, & Congregationis huiusmodi retinere, recipere, gerere, & exercere liberè, & licitè possint, & vaant, nullamque de præmissis in quibusuis priuilegijs, facultatibus, dispensationibus, & concessionibus, etiam gratiam, vel iustitiam, seu mixtim concernentibus, etiam per Sedem Apostolicam sibi pro tempore concessis mentionem facere teneantur, misericorditer in Domino dispensandi licentiam, & facultatem liberam Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò cōcedimus, & elargimur.* Quod sanè priuilegium amplissimum est, præsertim cum sit concessum post Concilium Tridentinum, & derogationem priuilegiorum factam à Pio IV. quæ obstabant statutis dicti Concilij.

8 Circa quod priuilegium notandũ est, quod quando absolutio, & dispensatio restringitur ad forum conscientiæ, restringitur etiam ad solum homicidiũ voluntarium, &c. *Quò ad reatum homicidij tantum, in foro conscientiæ tantum.* Dictio enim, *Tantum*, restrictiua est, & excludit cœtera. *l. Iulianus. ff.* De *petit. hæredit.* & *l. His solis. ff.* De *condict. in debitis.* & *l. Aduersus. C. Si aduer. rem iud.* & notant Paris. *Consil. 7. num. 13. lib. 2.* Corn. *Consil. 199. n. 3. vol. 1.* Menoch. *Consil. 362. num. 36.* Vincent. de Franch. *Decis. 123. n. 4. par. 1.* Caputaquen. *Decis. 47. n. 4.* Seraph. *Decis. 237. n. 2.* Rota apud *Farinac. Decis. 740. num. 4.* & *Decis. 600. n. 7. par. 2. Diuer.* Vnde cum restringat homicidium solum ad forum conscientiæ, remanent cœtera, de quibus in priuilegio, exclusa à tali restrictione, atque adeo facultas quò ad ipsa nedum est quò ad forum conscientiæ, sed etiam quò ad forum externum, præsertim quia exceptio firmat regulam in contrarium. *l. Quæsitum. §. Denique. ff.* De *fun. instruct.* & notant Glosa, & Doctores *in Rubr.* De *regul. iur. in 6.*

9 Eandem facultatem habere Prælatos Regulares ex priuilegio Martini V. concesso Abbati Monasterij S. Benedicti Vallisoleti, vt habetur *in Compend. Priuileg. Mendican. verbo.* Absolutio *ordin. quò ad* Fratres. §. 4. & communicato alijs Religionibus, vt *ibid. verbo.* Communicatio *priuileg.* §. 34. notat. Tamburinus *De iure Abbat. tom. 2. disp. 17. quæst. 6. num. 2.* Nec obstare, quod Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 6. De reformat.* auferat hanc facultatem Episcopis, quia non per hoc aufert facultatem, quæ conuenit Regularibus ex priuilegio; quia tunc solum censetur ablata facultas, quæ conuenit Regularibus ex priuilegio, quando expresse reuocantur priuilegia, vt docent Rodriquez *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 8. ar. 6.* & *quæst. 24. ar. 12.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 18. in fine.* Miranda *to. 2. Manual. quæst. 8. ar. 10. conclus. 2.* Io. à Cruce *lib. 1. de statu relig. cap. 6. dub. 19. conclus. 2.* Sigismun. à Bononia. *De elect. dub. 71. num. 6.* Vecchius *in Praxi. Nouitior. disp. 9. dub. 16. num. 2.* Homobonus *De casib. reseru. par. 2. cap. 3.* Garzias *par. 7. de Benef. cap. 11. n. 32.* Molina *tract. 3. de iust. & iu re. disp. 79. num. 8.* Reginal. *lib. 30. Praxis fori pœnit. tract. 2. num. 91.* Bonac. *disp. 7. de censur. quæst. 4. p. vlt. num. 11.* Samuel. *De elect. canon. tract. 2. disp. 6. controuer. 12. num. 7.*

10 Est tamen aduertendum, quod prædicto priuilegio, quatenus dat facultatem absoluendi à contentis in Bulla Cœnæ Domini, obstat ipsa Bulla Cœnæ publicata ab Vrbano VIII. nam in reuocatione facultatum absoluendi à reseruatis in dicta Bulla ponuntur clausulæ vniuersales, quæ reuocant facultates concessas etiam in specie absoluendi à prædictis casibus. Ita enim habet. *A prædictis sententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus &c. absolui possit, etiã prætextu quarumuis facultatum, & indultorũ, quibuscunque ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, ac militiarum Regularibus &c. in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.* Quod obiter adnotasse sufficiat, cum hæc materia sit alterius loci.

* * *



An

An Prælati Regulares poſsint diſpenſare cum ſuis ſubditis in vera, aut interpretatiua bigamia. Quæſt. 186.

S V M M A.

1 *Epiſcopus poteſt diſpenſare in bigamia ſimilitudinaria, nec hoc eſt ſublatum per Trident,*
2 *Prælati Regulares poſſunt diſpenſare ſuos ſubditos in bigamia ſimilitudinaria.*
3 *Poſſunt Epiſcopi diſpenſare in vera, & interpretatiua bigamia quò ad ordines minores*
3 *Poſſunt Prælati Regulares quò ad minores ordines diſpenſare in vera bigamia*
4 *An poſſint diſpenſare quò ad ordines ſacros.*
4 *In generali conceſſione non veniunt, quæ quis veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus, & reſeruata principi*
5 *An poteſtas generalis diſpenſandi in irregularitatibus ſe extendat ad bigamiam*
7 *Priuilegium Pauli III ſe extendens ad conceſſionem diſpenſandi in bigamia*
8 *Aliud priuilegium Pij V.*
9 *Dictio*, Quibuſuis, *comprehendit omnia, & habet ſignificationem diſtributiuam*
10 *Dictio*, Quocunque, *comprehendit, quæ aliàs non comprehenderemur, & requirunt ſpecialem mentionem.*
10 *Verba vniuerſalia comprehendunt magna, quantumuis grauia*
11 *Dictio*, Quomodolibet, *comprehendit quemcumque modum.*
12 *Eſt eadem cũ dictione*, Quomodocunque.
12 *Excludit reſtrictionem.*
13 *Exceptio irregularitatis, & homicidij voluntarij firmat facultatem diſpenſandi in bigamia.*
14 *Et quia illam non expreſſit in exceptione, cum potuerit exprimere.*
15 *An priuilegia ſe extendant ad diſpenſandum in bigamia in ordine ad dignitates.*
15 *Diſpenſatio non extenditur vltra caſum expreſſum.*
15 *Facultas diſpenſandi eſt gratia, & latè interpretanda.*

1 IN bigamia ſimilitudinaria, quæ contingit, quando quis habens votum ſolemne caſtitatis ducit vxorem, poſſe Epiſcopum diſpenſare, ſi contraxerit cũ virgine contra Maiolum *lib.1. De irregularitate. cap.33. num.7.* docent communiter Gloſ. *in Cap.1.* verbo. *Diſpenſatiuè.* & *in Cap.2.* verbo. *Inſubdiaconatu.* Qui *cler. vel vouen.* & *in Cap. Nuper.* verbo. *Diſpenſari.* De *bigamis.* Gomez *in tract. Breuium. num.20. & 21.* Couarruu. *in Clement. Si furioſus. par.1. §.2. num.2.* Nauar. *in Manuali. Cap.27. num.197. in fine.* Borgas. *De irreguralit. par.5. tit. de bigamis. num.9.* Cuchus *lib.4. Inſtit. maior. tit.12. num.188.* Selua *De benefic. par.4. quæſt.7. num.*8. ver. 13. & 14. Philiar. *tom.1. De offic. Sacerd. par.1. lib.4. cap.7. in fine.* Sanchez *lib.7. de de matrim. diſp.86. num.20.* Miranda *tom.2. Manual. quæſt.8. ar.2. concluſ.3.* Valent. *tom.4. diſp.7. quæſt.19. punt.3. in 1. ſpecie irregularit. in fine.* Riccius *in Praxi. par.2. Reſol.220. num.1.* Suarez *De cenſur. diſp.49. ſect. vlt. num. vlt.* & *tom.4. De relig. tract.8. lib.2. cap.22. num.11.* Sigiſmun. à Bonon. *De elect. dub.71.* Tamburin. *De iure Abbat. tom.2. diſp.17. quæſt.3. num.4.* Samuel. *de Elect. can. tr.2. diſp.6. controuer.12. num.4.* Et deſumitur ex Cap. *Sane Sacerdotes.* De *cler. coniug.* & ex Cap. 1. *Qui Clerici. vel vouentes.* vbi conceditur Epiſcopis, poſſe diſpenſare cum Sacerdote, & Clerico, qui vxorem duxit. Neque hæc facultas eſt ſublata per Trident. *Seſſ.24. cap.6. de reformatione,* vbi licet concedatur facultas diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto taxatiuè præter quàm ex homicidio voluntario, non tamen tollitur facultas diſpenſandi in irregularitatibus publicis, quæ aliàs de iure illis competebat. Quando tamen talis bigamia oritur ex eo, quod habens votum ſolemne caſtitatis contraxit cum vidua, aut corrupta, non poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt contra Palat. *in 4. diſt.27. diſp.4. col.15.* docent *citati* Doctores. & habetur ex Cap. *Nuper.* & Cap. *fin.* De *bigamis.*

Hinc

2 Hinc Prælati quoque Regulares possunt cum suis subditis dispensare in huiusmodi bigamia similitudinaria, vt docent Suarez *tom.*4. *De relig. tract.*8. *lib.*2.*cap.*22. Sigismun. à Bononia *De elect. dub.*71. *num.*2. Nauar. *in Manual. Cap.*27. *num.*197. *in fine*. Zerola *in Praxi. par.*2. *verbo.* Bigami. *ver.*3. Io. à Cruce *lib.*1. *De statu Religionis. cap.*6. *dub.*17. *Conclus.*1. Llamas *par.*1. *Meth. cap.*12. §.2. Rodriquez *tom.*1. *quæst. Regul. quæst.*24. *ar.*2. Auila *De censur. par.*7. *disp.*8. *dub.*4. *Conclus.*5. Bonac. *disp.*7. *De censur. quæst.*2. *punt.*5. *num.*15. Peirin. *De priuileg. ad Const t.*2. *Iulij II.* §.29. *num.*120. Portel. *in dub. Regularib. verbo.* Dispensare. *num.*4. Suarez De ceusur. *disp.*49. *sect.*6. *in fine*. Lezana *verbo*. Bigamus. *num.*6. Bordon. *in Consil. Regular. Resol.*11. *num.*34. Rodriquez *in Compen. quæst. Regular. Resolut.*16. *num.*13. Tamburin. *De iure Abbat. tom.*2. *disp.*17. *quæst.*3. *num.*4. Barbosa *De potest. Episc. par.*2. *allegat.*49. *num.*31. Possunt enim Prælati Regulares cum suis subditis totum id, quod possunt Episcopi cum proprijs ex declaratione Pij V. *in sua Constit.*132. §.3. *tom.*2. *Bullarij veteris*, de qua supra *quæst.*185. *num.*1.

3 Quod autem spectat ad Bigamiam veram, seu interpretatiuam, cum Prælati Regulares possint circa proprios subditos, quicquid potest Episcopus, vt modo dicebatur, poterunt de iure communi dispensare quò ad primam tonsuram, & ordines minores. quamuis enim plures doceant, quod non possit Episcopus neque quò ad minores ordines dispensare super hac bigamia, quos refert Barbosa *De potest. Episcopi par.*2. *allegat.*49. *num.*22. communior tamen sententia tenet, quod possit dispensare. ita D. Th. *in* 4. *d. st.*27. *quæst.*3. *ar.*3. Palud. *quæst.*4. *ar.*5. Duran. *quæst.*3. Angles *in Florib. par.*1. *quæst.*1. *de matrim. ar. vlt. difficul.*1. *concl.*2. Ledesma *de matrim. quæst.*66. *ar.*5. *conclus.*3. Borgas. *De irregularit. par.*5. *Tit. De bigamis. num.* 8. Sayr. *lib.*6. *de censur. cap.*6. *num.*11. Miranda *tom.*2. *Manual. quæst.*8. *ar.*2. *conclus.*2. Henriquez *lib.*12. *cap.*6. Azor. *par.*1. *lib.*5. *cap.*20. *quæst.*2. & *lib.*6. *cap.*4. *quæst.*8. & 11. Auila *De censur. par.*7. *disp.*7. *dub.*4. Sanchez *lib.*7. *de matrim. disp.*86. *n.*11. Bonac. *disp.*7. *de censur. quæst.*2. *punt.*5. *num.*15. Comit. *lib.*1. *Resp. moral. quæst.*106. *num.*5. & 6.

4 Quò ad alios autem Ordines, & dignitates certum est, non posse Prælatos regulares dispensare cum suis subditis de iure communi: vnde solum dubitatur, an possint dispensare ex vi priuilegiorum. Et negant Vecchius *in Praxi Nouit. disp.*9. *dub.*15. *num.*2. Tamburin. *De iure Abbat. tom.*2. *disp.*20. *quæst.*3. *n.*2. Nauar. *Consil.*84. *num.*1. *De regular. in nouis.* Rodriquez *tom.*1. *Sum. cap.*158. *conclus.* 7. Barbosa *De potest Episcopi par.*2. *allegat.* 49. *num.*30. Diana *par.*4. *tract.*2. *de irregular. Resol.*63. ver. *Sed ego*. Sigismundus à Bononia *De elect. par.*2. *dub.*71. *num.*2. Suarez *De censur. disp.*49. *in fine*. Sayr. *lib.* 6. *de censur. cap.*6. *in fine*. Samuel. *De elect. canon. tr.*2. *disp.*6. *controuer.*12. *n.*4. Horum fundamentum est, quia licet sit concessum Prælatis regularibus dispensare in irregularitatibus, uon tamen per hoc intelligitur concessum dispensare in bigamia. Quia in generali concessione non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus Cap. *In generali*. De *reg. iur. in* 6. Nec reseruat Principi Cap. *fin*. De *offic. Vicarij. in* 6. & notant Rolan. *Consil.*1. *n.*147. *lib.*2. Osasch. *Decis Pedemon.*29. *num.*5. Giouanig. *resp.*95. *num.*3. *lib.*1.

5 Vnde quod facultas generalis dispensandi in irregularitatibus non se extendat ad bigamiam, docent Nauar. *Consil.*38. *De homicid. in nouis*. Viual. *in Candelab. tit. de Irreguralit. num.*312. Rodriquez *tom.*1. *quæst. Regular. quæst.*24. *ar.*15. & *tom.*2. *quæst.*105. *ar.*1. *in fine*. Homobon. *par.*1. *De casib. reseruat. cap.*5. §. *Quintò obseruandum*. Miranda *tom.*2. *Manual. quæst.*18. *ar.*14. *conclus.*5.

6 His tamen non obstantibus tenēt, quod ex vi priuilegiorum possint Prælati Regulares dispensare cum suis subditis in bigamia vera, & interpretatiua, Auila *De censur. par.*7. *disp.*8. *dub.*4. *conclus.*8. Henriquez *lib.*2. *de matrim. cap.*6. *num.*11. *in Gloss. litera z.* & id extendunt ad quoscunque confessarios ex Priuile-

gio

gio Sixti V. Verum, vt constat ex Sorbo *in compend. Priuileg.* Tit. *Absolutio extraord. quò ad fratr. num.* 5. est viuæ vocis Oraculum, neque est authenticum, & ideo non suffragatur. Idem tenent Portel *in Dub. Regular. verbo.* Dispensare *num.* 4. & citat *Compend. Priuileg. Societ. Iesu.* verbo *Dispensare* §. 5. *&* 6. vbi dicitur, quod Generalis potest dispensare cum subditis in bigamia ex concessione Sixti IV. facta Carthusiensibus. Hieronim. Rodriquez *in Compen. quæst. regul. Resol.* 16. *num.* 14. Bordonus *in Consil. Regularib. Resol.* 11. *num.* 35. Lezana *in Sum. verbo.* Irregularitas. *num.* 72. Peirin. *De Prælato Religioso. quæst.* 2. *cap.* 5. §. 8. *num.* 99.

7 Et hæc opinio mihi sequenda videtur propter duo Priuilegia. Primum est Pauli III. Concessum Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præsidentibus Congregationis S. Benedicti Vallisoleti *in Bulla*, quæ *est* 12. *apud Rodriquez in Bullario.* Ita autem habet. *Nos igitur, qui singulorum salutem paterno zelamus affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis quod stante immemorabili consuetudine, etiam de cætero perpetuis futuris temporibus singulis annis prima die Lunæ Quadragesimæ huiusmodi omnes, & singulas vtriusque sexus personas ordinis, & Congregationis prædictorum Religiosas, ac eidem Ordini, & Congregationi oblatas, seu Donatas; nec non Eremitas sub cura vestra existentes intra septa vestrorum, seu ipsorum pro tempore absoluendorum Monasteriorum, siue aliorum Regularium locorum, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, sententijs, censuris, & pœnis per eos pro tempore quomodolibet incursis, etiam in Casibus dictæ Sedi quomodolibet reseruatis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi, absoluere; & eum eis super quibusuis irregularitatibus per eos pro tempore quauis occasione, vel causa contractis dispensare, prout hactenus, vt præfertur consueuistis, dicta auctoritate valeatis, plenam, & liberam eadem auctoritate tenore præsentium concedimus facultatem.* Vbi notanda sunt verba. *Quibusuis irregularitatibus*, & *Quauis occasione.* quæ ita vniuersalia sũt, vt omnia, & singula comprehendant.

8 Alterum priuilegium est concessum à Pio V. Clericis Regularibus Theanis pro profitentibus in ipsorum Religione. *in Bulla*, quæ incipit. *Ad immarcescibilem. VIII. Idus. Februar.* 1567. quæ est 31. *eiusdem Pontificis. tom.* 2. *Bullar. veter.* ita enim habet §. 16. *Ac cum ipsis, & eorum quolibet super irregularitate per ipsos, & eorum quemlibet inde, ac etiam qui sententijs, censuris, & pœnis prædictis ligati missas forsan, & alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium, celebrauerint, aut aliàs in eis se immiscuerint, per pridem vsque tunc, ac etiam ex quocunque eorum defectu, & impedimento, non tamen ex homicidio voluntario proueniente, ac aliàs quomodolibet contracta.* Vbi notandum est, quod loquitur de irregularitate etiam ex defectu, & vtitur dictione. *Quocunque*, & *quomodolibet.*

9 Ex his ergo priuilegijs desumitur, quod facultas dispensandi in irregularitatibus sit etiam pro bigamia; nam in Priuilegio Pauli III. adest dictio *Quibusuis irregularitatibus*, & *Quauis occasione.* Dictio enim *Quibusuis &c.* comprehendit omnia, vt notant Alexan. *Consil.* 30. *num* 14. *vol.* 5. Farinac. *par.* 4 *Praxis crimin. quæst* 93. *num.* 1. Seraph. *Decis.* 1022. *num.* 1. & cum eadem sit cum dictione *Quibuslibet*, habet significationem distributiuam, ita vt omnia, & singula comprehendat, vt notant Glos. *in l. Si pluribus. ff.* De *legat.* 2. Bald. *ibid. init.* ver. *Quæro secundo.* & *in l. Non distinguemus.* §. *Cum in plurib. ff.* De *arbitr.* Ias. *Consil.* 55. & *Consil.* 63. *lib.* 3.

10 Ponderãda est etiam dictio, *Quocunque*, quæ ita vniuersalis est, & distributiua, vt etiam comprehendat ea, quæ aliàs non comprehenderentur, vt notant Corneus. *Consil.* 183. *vol.* 2. Ruin. *Consi.* 52. *num.* 2. Honded. *Consil.* 76. *num.* 16. *lib.* 2. Seraph. *Decis.* 980. *num.* 8. & *Decis.* 325. *num.* 7. Ludouis. *Decis* 267. *num.* 5. Rota *Decis.* 782. *num.* 10. *par.* 1. *diuersor.* & etiam ea, quæ requirunt specialem mentionem, vt notat Intrigliol. *Decis. Siciliæ.* 3. *num.* 131. Et qui dicit,

Quod

Quodcunque, nihil excipere, tradit Narbona *De appellat à Vicar. ad Episcopi par.2. fundam.1. num.33.* Ratio autem est, quia verba ista vniuersalia comprehendunt omnia, quantumuis grauia, & magna, vt notant Alber. *in l. Item quæritur. §. Exercitus. ff. Locati.* Ias. *in l.1. circa finem. C.* De *iure emphiteu.* Gomez *in §.1. num.7.* Instit. *De actionib.* Craueta *Consil.* 290. ver. *Decimo in terminis*, & *Consil.* 294. vbi latè. Menoch. *Consil.* 744. *num.4.*

11 Rursus hoc etiam desumitur ex dictione, *Quomodolibet contracta*. Hæc enim dictio, *Quomodolibet*, includit, quẽcunque modum, qui includi potest, vt notant Paris. *Consil.* 58. *num.* 10. *vol.*1. & *Consil.* 142. *num.6. vol.4.* Gozad. *Consil.* 14. *num.*22. Roland. *Consil.2. n.23. vol.4.* Et ea omnia, quæ aliàs non comprehenderentur. *l.1. ff.* De *testamen. milit.* & notant Rolan. *Consil.5. num.47. vol.1.* Turret. *Consil.48. num.20. vol.1.* Surdus *Consil.73. num.64.* Gozadin. *Consil.1. num.9.* Curt. iun. *Consil.1. num.1.* Nata *Consil.435. num.19.* Socin. Sen. *in l. Quidam. num.5. ff.* De *reb. dub.* Alexan. *Consil.155. num.3. vol.2.* Ruin. *Consil.* 68. *num.* 10. *vol.4.* Grat. *Consil.* 163. *num.19. vol.2.* Ita vt omnem pœnitus modum includat. vt in Clement. 2. *ver.* Ne *igitur*. De *sent. excommunicat.* vbi Glos. & Cap. *Indemnitatib.* ver. *Si quæ verò*. De *elect. in 6.* & notant Menoch. *Remed.6. De recup. posses. num.* 15. Flamin. *De resignat. lib.9. quæst.25. num.4.* Mandos. *Regul.18. Cancellar. quæst.14. num.5.* & *in Glos. Facult. §. Et in ipsa.* verbo. *Quomodolibet*. Velascus *Consult.61. num.6.* Cened. *Singul.95. n.1.* Ex quibus fit, quod in dicta concessione concedatur facultas dispensandi quò ad omnem irregularitatem quocũque modo contractam, atque adeo quod non debeat excludi bigamia.

12 Imo dicta dictio, *Quomodolibet*, cum sit eadem cum dictione, *Quomodocunque*, iuxta Paris. *Consil.58. num.10. vol.1.* & Gozadin. *Consil.14. num.22.* & constat ex significatione, excludit restrictionem, quod aliàs pateretur dicta facultas, sicut excludit dictio, *Quomodocunque*, vt tradunt Glos. *in Clem.1.* De *re iudic.* Item Glos. *in l. Cum Pœna. ff.* De *arbitr.* Ias. *in l.1. §. Nunciatio. ff.* De *noui oper. nunciat.* & *in l.2. §. Prætor ait. ff.* Qui *satisd. cog.* Socin. *Consil.55. circa fin. vol.1.* Felin. *in Cap. Cum te. §. Illud.* ver. *Secunda declaratio*. De *rescriptis* Ruin. *Consil.* 109. *num.1. vol.2.* Alexan. *Consil.103. circa fin. vol.6.* & *in l. Si prætor. ff.* Ad *Trebell.* Rolan. *Consil.5. n.49. vol.1.* Gozadin. *Consil.1. num.19.* & ideo non finit, quod facultas restingatur ad irregularitates aliquas, & non extendatur ad bigamiam.

13 Denique cum exceptio firmet regulam in contrarium. *l. Quæsitum. §. Denique. ff.* De *fundo instruc.* & notant Glos & alij Doctores *in Rubr.* De *regul. iur. in 6.* & in dicta Concessione Pij V. excipiatur solum irregularitas ex homicidio voluntario, sequitur, quod facultas concessa sit pro omni alia irregularitate tàm ex delicto, quàm ex defectu.

14 Fundamentum verò oppositæ sententiæ *num.4.* allatum habet solum locum, quando in generali concessione non adsunt verba, quæ ipsam extendant etiam ad ea, quæ in generali concessione non veniunt. in prædictis autem priuilegijs adsunt verba ita extendentia, vt constat ex dictis. Et cum sit facta aliqua exceptio, si Pontifex noluisset concedere facultatem pro bigamia, illam quoque excepisset, quia, si voluisset, expresisset. Cap. *Ad audientiam* 2. De *decimis*. & Cap. 2. *De translat. Prælat.* & *l. Si Seruus. §. Prætor ait*. ver. *Non dixit. ff.* De *acquir. heredit.*

15 An autem dictum priuilegium se extendat ad dispensandum in bigamia non solum quò ad ordines, sed etiam quò ad dignitates religionis. Resp. quod licet dispensatio sit stricti iuris, nec extendatur vltra casum expressum Cap.1. & 2. *De filijs Præsbiterorum. in 6.* & Cap. *Non potest*. *De præbendis. in 6.* & *l. Ex facto. init. ff.* De *vulg. & pupil. subst.* Et proinde facultas dispensandi in bigamia in ordine ad ordines, non sit facultas dispensandi in ordine ad dignitates, vt notant Palud. *in 4. dist.27. quæst.4. ar.5.* Sayr. *lib.6. De censur. cap.6. num.14.* Peirin.

quæst.2.

quæst. 2. *De Prælato relig. cap.* 5. *num.* 99. Lezana *verbo*. Bigamus. *num.* 13. Attamen quia in priuilegijs prædictis conceditur facultas dispẽsandi absolutè in omni irregularitate, nec restringitur quò ad ordines; & facultas dispensandi non est dispensatio, sed est gratia quædam, & proinde latè interpretanda, vt docent Abbas *in Cap. fin. De simonia*. Felin. *ibid. num.* 7. Franc. *in Cap. Is, qui. De filijs presb. ieror. in* 6. Syluester *verbo*. Dispensatio. *num.* 9. Nauar. *Commen.* 4. *num.* 15. *De Regular.* Couaru. *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. §. 8. *n.* 6. Aula *par.* 7. *De censur. disp.* 3. *dub.* 7. Garzias. *De benefic. par.* 1. *cap.* 6. *num.* 73. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 2. *per totam*. Sayr. *l.* 6. *De censur. cap.* 11. *num.* 8. *in fine*. Suarez *lib.* 6. *De legib. cap.* 14. *num.* 8. & *cap.* 17. *num.* 11. Tamburin. *De iure Abbat. tom.* 2. *disp.* 17. *quæst.* 8. *n.* 4. ideo censendum est, quod ex vi dictorum priuilegiorum possint Prælati regulares dispensare in bigamia, etiam quò ad dignitates. Præsertim quia in allato priuilegio Pij. V. conceditur facultas abolendi quancunque notam, & inhabilitatem, ac restituendi in pristinum statum, in quo erant, antequam contraherent talem notam, aut inhabilitatem, quod non præstaretur, si remaneret inhabilitas quò ad dignitates.

An Regulares illegitimi possint dispensari à suis Prælatis quò ad Ordines, & Dignitates. Quæst. 187.

SVMMA.

1 *Priuilegia Regularium habilitandi illegitimos ad ordines, & dignitates.*
2 *Reuocata per Sixtum V.*
3 *Restituta per Gregorium XIV. sed cum certa forma adhibenda.*
4 *Prælati Regulares possunt dispensare cum illegitimis ad ordines, & dignitates, sed cum Capitulo Generali, vel intermedio.*
5 *Requiritur pro dispensatione rationabilis causa.*
6 *Priuilegium Gregorij XIV. dispensandi cum illegitimis*
7 *Dicto priuilegio Gregorij XIV. vti possunt omnes Regulares habentes communicationem priuilegiorum.*
8 *An possint legitimare ex vi confirmationis priuilegiorum.*

1 Plura extabant priuilegia, quorum vigore Prælati Regulares poterant habilitare ad ordines, & dignitates proprios subditos, quorum præcipuum erat, quod habetur in *Mari Magno Prædicatorum apud Confetum*, & est *Bulla* 1. *Sixti IV.* concessum à Gregorio XI. & confirmatum ab eodem Sixto IV. vbi sic habetur. *Et vt dictis Ordinis professoribus omnis vagandi occasio tollatur, & ad Apostolicam Sedem recurrendi subtrahatur propossé necessitas, Magistro, & Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac eorum Vicarijs defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem patientibus, nec non cum his, qui ex quauis causa præterquàm homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, dispensandi cum dictis Ordinis Prædicatorum professoribus, postquam ipsum ordinem professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstantibus irregulares ipsi ad quoscunque etiã sacros Ordines promoueri, & in illis etiam in altaris ministerio ministrare, & tàm ipsi irregulares, quàm defectum Natalium patientes prædicti ad quæcunque administrationes, & officia eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant, motu, & scientia, & auctoritate prædictis concedimus per præsentes.*

2 Hæc tamen omnia priuilegia reuocata sunt per Sixtum V. *in sua Constitutione*,

tutione, quæ incipit. *Cum de omnibus. Sexto Kal. Decembris.* 1587. & eſt 21. *tom.2. Bullarij veteris*. vbi. §.2. prohibet, illegitimos ex incœſtu, aut ſacrilegio recipi ad religionem. & §.2. decernit, alios illegitimos receptos eſſe perpetuò inhabiles ad dignitates, & honores ſui ordinis, niſi cum eis ſpecialiter ab Apoſtolica Sede diſpenſatum fuerit.

3 Verum Gregorius XIV. *in ſua conſtitutione*, Quæ incipit. *Circumſpecta Idib. Martij anno* 1591. moderatus eſt dictam Conſtitutionem Sixti V. & reduxit ad terminos iuris, & reſtituit priuilegia reuocata adhibenda tamen cum certa forma, vt exprimitur in §.4. *eiuſdem Bullæ*. ita enim habet. *Volumus autem, & ſtatuimus, licere Generali, aut Prouinciali ſingulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum eis conceſſorum, quæ dummodo vſu recepta, nec aliàs ſub vllis reuocationibus comprehenſa ſint, vt præfertur, in hac parte reualidamus, cum illegitimis, quos dictus Generalis, aut Prouincialis cum Generali, Prouinciali, ſeu intermedio Capitulo, & non aliàs, ſuffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, ac diſpenſationes huiuſmodi pro tempore ita factas, & indeſequuta quæcunque, vt antea valere, tenere perinde, ac ſi ſupradictæ Conſtitutiones non emanaſſent.*

4 In virtute ergo dicti priuilegij poſſunt Generales, & Prouinciales diſpenſare cum ſuis ſubditis illegitimis in ordine ad dignitates, ſed ſolum in Capitulis Generalibus, ſeu intermedijs, & Prouincialibus, nec alio modo, quia Pontifex ponit clauſulam, *Et non aliàs*. vnde diſpenſatio aliter facta, eſſet nulla. Et proinde non poſſe Prælatos Regulares diſpenſare ſine Capitulis prædictis, docent Miranda *tom.2. Manual. quæſt.2. ar.3.* Sigiſmundus à Bononia. *De electione par.2. dub.76.* Megal. *n Reſolut. Varijs. Reſol.91.* Peregrin. *in Compend. Priuileg. Cler. Reg. verbo.* Diſpenſatio. *in Schol. ver. Quarto nota.* Rodriquez *in Compen. quæſt. Regular. Reſol.52. num.40.* Portel. *in dub. Regular. verbo.* Diſpenſare. *num.2. & 3.* & *verbo.* Illegitimus. *num.9. & 10.* Lauor. *in Varijs Lucubrat. tit.4. De elect. cap.16. num.29.* Bordon. *in Conſil. Regular. Reſol.12. num.39.* Samuel. *De elect. canon. tr.2. diſp.6. controuer.18. n.2. & ſequent*. Requiritur enim à Pontifice tanquam forma, quod diſpenſatio fiat cum prædictis Capitulis. Quando autem deficit forma ſeruanda, actus eſt nullus. *l. Mauius. & l. Qui hæred. ff. De condit. & demonſtrat.*

5 Imo requiritur etiam, quod interueniat ſufficiens, & rationabilis cauſa diſpenſandi, aliàs diſpenſatio erit nulla, non ſolum quia omnis diſpenſatio, in lege ſuperioris ſine cauſa eſt nulla; ſed dentem, quia Pontifex illam expreſsè etiam, dum ait; *Suffragantibus meritis dignos iudicauerint*. & ita docent Rodriquez *tom.1. Quæſt. regular. quæſt.13. ar.14.* Miranda *tom.2. Manual. quæſt.2. ar.11.* Sigiſmund. à Bononia. *De elect. par.1. dub.78.* Lauor. *in Varijs Lucubrat. tit.4. De elect. cap.16. num.3.* Hieron. Rodriquez *in Compen. quæſt. Regular. Reſol. 59. num.49.* Bordon. *in Conſil. Regular. Reſol.12. num.45.* Samuel. *De elect. canon tr.2. diſp.6. controuer.21. num.1. & ſequent*. Imo cauſa diſpenſationis debet eſſe propria perſonalis, & fundata in meritis perſonalibus, ſi quidem Pontifex requirit, quod ſuffragantibus meritis digni iudicentur.

6 Rurſus idem Gregorius XIV. eodem anno, ſed poſt aliquot menſes *in ſua 17. Conſtit. tom.2. Bullarij veter.* quæ incipit. *Illius, qui pro greg s. Kal. Octobris. anno* 1591. amplius priuilegium conceſſit in fauorem Clericor. Regularium miniſtrantium infirmis, vt nimirum illorum Generalis, ac alij Superiores inferiores de illius licentia poſſint diſpenſare cum ſubditis profeſſis in ordine ad dignitates ſuper illegitimitate ex quocunque coitu damnato; nec requirit, quod id fiat cum aliquo Capitulo. Ita enim habet. §.29. eiuſdem Conſtit. *Ac dicto Præfecto Generali pro tempore exiſtenti, ſeu de illius licentia Præfectis inferioribus aliorum locorum, ſeu Prouincialibus*

libus dictæ Congregationis pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicarijs, ac Locatenentibus, vt cum eiuſdem Congregationis perſonis defectum natalium, etiam ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quouis alio nefario, & illicito, ac prohibito, & damnato coitu prouenientem, patientibus, poſtquam in dicta Congregatione vota emiſerint, vt defectu huiuſmodi non obſtante, ad quoſcunque ſacros, etiam præsbiteratus ordinem promoueri, & in illis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, nec non ad quaſcunque adminiſtrationes, perſonatus, præeminentias, & officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & aſſumi, illaque gerere, & exercere &c.

7 Hoc autem priuilegio vti poſſunt ij omnes, qui habent communicationem in priuilegijs aliarum religionũ, quæ cum ſit communis omnibus ferè religionibus, poterunt Prælati ipſarum iuxta prædictam formam cum ſuis illegitimis diſpenſare. Et ita in vigore prædicti priuilegij docent Sigiſmund. à Bonon. *De elect. par.* 2. *dub.* 76. *n.* 6. Portel *in Dub. Regular. verbo. Illegitimus. num.* 10. qui tamen non rectè putat, id procedere in terminis prioris Bullæ Gregorij XIV. vt conſtat ex dictis *num.* 4. Peirin. *De priuileg. Ad conſtit.* 2. *Iulij II.* §. 29. *num.* 96. Tamburin. *De iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 5. *quæſt.* 14. *num.* 10. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *de Dub.* Regular. *Reſol.* 102. Bordon. *in Conſil.* Regular. *Reſol.* 12. *num* 48. Lezana *tom.* 1. *quæſt.* Regular. *Cap.* 18. *num.* 60. & *in Sum. verbo.* Illegitimi Regulares. *num.* 17.

8 Addit inſuper Samuel. *De elect. canon. tr.* 2. *diſp.* 6. *controuer.* 18. *num.* 10. & 11. quod prælati Regulares poſſunt abſolutè diſpenſare cum illegitimis per ſe ipſos in virtute confirmationis priuilegiorum factæ Ex certa ſcientia, Motu proprio, De plenitudine poteſtatis, qualis eſt conceſſa Fratribus de obſeruãtia à Clemẽte VIII. *in Bulla*, quę incipit. R*atio paſtoralis. ſub die* 20. *Decẽb.* 1592. & iiſdẽ à Paulo V. *in Bulla* quę incipit *Iniũcti nobis ſub die* 1. *Decẽb.* 1609. & ab eodem Pontifice Patribus Ieſuitis, *in Bulla*, quæ incipit. *Quãtum* Religio. *Pridie Non. Sept.* 1600. quia tales clauſulæ reſtituunt priuilegia reuocata. Verum quid operentur, & quando dictæ clauſulæ, explicatum eſt ſupra *quæſt.* 107. *& ſequentib.* Deinde eſſet etiã videndum, an priuilegia reſtituta vni religioni per confirmationem cenſeantur reſtituta etiam cœteris, ita vt ſicut communicant in priuilegijs, ita etiam communicent in confirmatione, & reſtitutione eorumdem priuilegiorum, quod quidem non caret difficultate. Vnde ſtandum eſt in allatis priuilegijs.

An illegitimus poſſit admitti ad officia & dignitates in ea religione, in qua eius pater fuit, vel eſt Prælatus. Quæſt. 188.

S V M M A.

ſ Opinio negatiua.
1 *Illegitimus poteſt promoueri ad Eccleſiam filialem, cuius matrici pater præfuit.*
2 *Illegitimi nati, antequam Pater profiteretur, an poſſint diſpenſari ad dignitates, quas pater obtinuit in eadem religione.*
3 *Poſſe abſolutè diſpenſari, docent aliqui.*
4 *Illegitimi non poſſunt recipi ad religionem, in qua parentes profeſſi ſunt, ipſis viuentibus.*
5 *Illegitimi non poſſunt diſpenſari ad dignitates religionis, in qua parentes profeſſi ſunt.*
6 *Ratio, ob quam prohibentur acceptari in religionem facit, vt non poſſint acceptati diſpenſari ad dignitates, & munera eiuſdem religionis.*
7 *Facultas diſpenſandi cum illegitimis eſt acceſſoria ad facultatem recipiendi ipſos ad religionem.*
7 *Sublato principali corruit quoque acceſſorium.*
8 *Princeps non præſumitur approbare, quod eſt reprobatum à lege.*
8 *Mens principis præſumitur conformis legibus.*

Q *An*

1 IN hac difficultate variè opinati sunt Doctores, & primò Sigismundus à Bononia. *De elect. par.2. Dub.75.num.5.* docent absolutè, filios illegitimos religiosorum non posse dispensari ad dignitates in eodem monasterio, quas patres eorum obtinuerunt; posse tamen dispensari, vt easdem dignitates obtineant in eadem religione, sed in diuersis monasterijs; qui malè citat Rodriquez, nam absolutè docet, quod possint dispensari, subdens, fauere quasdam declarationes S. Congregationis apud Garziam *De benefic.par.7.cap.3. num.63.* quatenus ex ijs infert, quod illegitimus possit promoueri ad ecclesiā filialem, cuius matrici pater præfuit, & à qua tamquam mēbrum dependet, modo vtraque sit beneficium separatum; ecōtra autem, si habens vnam debeat in alia ministrare. Sententiam Sigismundi sequitur Samuel. *De elect.canon.tr.2.disp.6. controuer.17.num.12.*

2 Alij verò docent, quod illegitimus filius religiosi, si natus sit post quam pater emisit professionem, non potest dispensari ad dignitates in eadem religione, in qua Pater illas obtinet, vel obtinuit; secus autem, si natus sit, antequam pater emitteret professionem. Ita Miranda *tom.2. Manual. quæst.2. art.10.* Peirin. *tom.2. de Prælat. religioso quæst.2. cap.5. §.9. num.137. & 138.* Probant ex Cap. *Præsentium.* & Cap. *Cum decorem.* & Cap. *Ad abolendam.* De *filijs præsbiterorum.* & Trident. *sess.25.cap.15. De reformat.* vbi filij præsbiterorum prohibentur promoueri ad beneficia, etiam dissimilia, in Ecclesijs, in quibus eorum Patres beneficia obtinuerunt; quod licet disponatur de solis Clericis, & in odiosis nomine Clericorum nō veniant Regulares, quia tamen adest identitas rationis, nempe malum exemplum paternæ incontinentiæ, indecorum domus Dei, detestatio paternæ incontinentiæ, &c. ideo habet locum etiam eadem lex, non per extensionem, sed per comprehensionem.

3 Alij denique docent absolutè, quod possint dispensari, nec distingunt de his, vel illis illegitimis. Ita Rodriquez *tom.1. quæst.Regular. quæst.13.ar.7.* Lezana *tom.1.quæst.Regular.cap.18.n.60.* qui tamen, etiam oppositum probabile putat. & *in Sum.verbo.* Illegitimi Regulares, *num.17. in fine.* Limitat tamen postea Rodriquez, ne possint dispensari, quando illegitimi nati sunt ex Patribus, dum essent religiosi, aut Clerici sæculares, ad easdem dignitates in eodem monasterio, quas habuerunt Patres; quia, inquit, hoc fuisse prohibitum à Clemente VII. cuius prohibitionem, ait, extare apud Nauar, in Cap. *Si quando.* De *rescriptis.* nec talem prohibitionem fuisse reuocatam.

4 In hac autem difficultate certum est, quod illegitimi, quorum Patres siue ante natiuitatem, siue post professus fuerit, non possunt recipi ad religionem viuentibus ipsis Patribus. Cum enim Gregorius XIV. vt dictum est *Quæst. preced.num.3.* moderatus sit Constitutionem Sixti V. circa recipiendos illegitimos ad religionem, & habilitandos ad dignitates, in illa sua constitutione, quæ incipit *Circumspecta*. Idib. *Martij anno 1581.* & est 3. *ipsius, tom.2. Bullar. veter.* prohibet tamen, ne illegitimi recipi possint, quando in eadem religione pater ante, vel post eorum natiuitatem professus est. ita enim habet limitans concessionem §.3. *Dummodo tamen filius illegitimus in religione, in qua pater siue ante, siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso Patre viuente non admittatur, quod expressè prohibemus.* Et ita notant Sigismun. à Bononia. *de Elect. dub. 75.num.2.* Garzias *par.7. de benef. cap.3. num.15.* afferens declarationem S. Congregat. Samuel. *de elect. tr.2. disp.6. controuer.17. num.3.* Quicquid in contrariū afferant quò ad natos ante Patris ingressum, Rodriquez *tom.1.quest. Regular. quæst.13. ar.7.* Miranda *tom.2. Manual. quæst.1. ar.10.* qui non sunt audiendi, cum oppositum habeatur ex clarissimis verbis Constitutionis allatæ.

5 Ex hoc autem sequitur, quod in virtute priuilegij concessi à prædicto

Grego-

Gregorio XIV. in eadem Constitutione non poss nt dispensari illegitimi non secus, ac si dictum priuilegium dispensandi non emanasset. Ratio autem est, quia Pontifex concedit priuilegium pro ijs illegitimis, quos concedit admitti ad religionem; non autem pro ijs, quos prohibet admitti; quia voluntas, quod nō admittantur ad religionem, est etiam voluntas, quod non fruantur priuilegijs concessis pro ijs, qui possunt admitti. priuilegium autem non extēditur plus, quàm extendatur intentio, & voluntas concedentis. Quod autem mens, & intentio Pontificis non se extendat ad illegitimos prohibitos acceptari in religione, ex eo manifestè colligitur, quod non est præsumendum, quod Pontifex velit approbare per concessionem priuilegij factum à se prohibitum argum. à contrario sensu Cap. *Quod semel placuit.* De *reg. iur. in 6.*

6 Accedit etiam, quod ratio, quæ mouet Pontificem ad disponendum in odium huiusmodi illegitimorum, non potest mouere ad disponendum in eadem materia in fauorem ipsorum, & in eadem constitutione. Cum ergo moueatur ad eos excludendos à religione ob turpe exemplum, non potest moueri ad disponendum in fauorem ipsorum, quod possint dispensari super illegitimitate, quia hoc turpius esset, quàm si solum admitterētur ad religionem. ergo facultas dispensandi concessa à Pontifice non potest extendi ad dispensandum cum ipsis; quia ratio, quæ facit, vt coarctet suam concessionem quò ad acceptationem in religionem, debet à fortiori facere, quod coarctet etiam facultatem dispensandi cum ipsis, quia vbi est eadem ratio, ibi debet esse etiā eadem iuris dispositio. *l. Illud. ff.* Ad *leg. Aquil.* & *l. Si postulauerit. ff.* Ad *leg. Iul. de adulter.* & *l. Illud. C.* De *sacrosanct. Eccles.*

7 Denique facultas dispēsandi cum illegitimis est concessa accessoriè ad concessionem eos recipiendi in religionem, & ad professionem in ipsa. Vnde non potest cum ipsis dispensari, nisi sequuta professione, ergo non est concessa pro ijs, quibus prohibetur ingressus, & professio in religione; quibus enim prohibetur principale, prohibetur etiam accessorium, quia sublato principali corruit accessorium. *l. Qui liberis. ff.* De *vulg. & pupil. substit.* & *l. Cum principalis. ff.* De *regul. iur.* & Cap. 2. De *precario.* & Clement. I. De *p. aben.* & notant Bald. *Consil.* 275. *lib.* 5. Dec. *Consil.* 2. *in fine.* Menoch. *Consil.* 58. *num.* 13.

8 Neque etiam per subsequentia priuilegia dispensari possunt, quia per ipsa conceditur solum quod Prælati possint dispensare cum suis subditis illegitimis, non autem abrogatur Constitutio Gregorij XIV. quod prædicti illegitimi non possint recipi ad religionem. Vnde, cum adhuc remaneant exclusi ab ingressu religionis, remanent etiam exclusi à beneficio dispensationis; quia nunquam censetur Princeps approbare factum reprobatum à lege; quia mens ipsius semper præsumitur conformata legibus, vt notant Ias. *in l. Causam. num.* 6. C. De *translation.* Gozadin. *Consil.* 101. *n.* 10 Grāmat *Consil.* 34. *n.* 3. Decius *Consil.* 64. *num.* 7. & *Consil.* 580. *num.* 2. atque adeo nec concedere priuilegia in fauorem illius. Et quia stante lege, atque adeo ratione ipsius adhuc resistente contrariæ dispositioni, resistit etiam concessioni facultatis dispensandi, cum dispensatio sit magis indecens, quàm admissio ad religionem & ideo fa- cit, quod facultas dispensandi cum illegitimis non possit extendi ad ipsos.

Q 2 An

An dispensatio ad aliquid faciendum impediat effectus iuris positiui, qui aliàs subsequerentur ad factum ex iuris inductione. Quæst. 189.

SVMMA.

1 *Dispensatio impedit effectus irregularitatis, & alios huiusmodi, quos inducit ius commune.*
2 *Causa potens destruere aliquid, potest etiam ab ipso præseruare, si applicetur ad præseruandum.*
3 *Sublato antecedenti tollitur etiam, quod inde consequitur.*
4 *Sublata causa tolluntur omnes effectus ipsius.*
5 *Dispensatio preuentiua præseruat habilitatem contra inhabilitatem aliàs inducendam à iure.*
5 *Idem est esse habilem de iure communi, ac ex dispensatione*
5 *Priuilegium efficit habilem non secus, ac si de iure communi adesset habilitas eadem.*

1 POtest Clericus dispensari, vt eat ad bellum, vel vt exerceat officium iudicis, quæritur, an si occidat vel in bello, vel per sententiam, contrahat irregularitatem, an verò præseruetur ratione dispensationis, ita vt dispensatio impediat effectum irregularitatis. & eadem est etiam ratio de cœteris, quæ ex iure positiuo inducunt aliquem effectum irregularitatis, inhabilitatis &c. Et affirmatiuè respondendum, ita vt talis dispensatio habeat vim impediendi omnes effectus iuris positiui, qui alioquin prouenirent ex eo, pro quo quis dispensatur, iuxta doctrinam, quam tradunt Geminian. *in Cap. Quisquis. Dist.*84. Turrecrem. *ibid. ante num.*1. Præposit. *num.*1. Io. Andr. *in Cap. In generali. num.*3. ver. *Quadragesimus septimus*. De *reg. iur. in 6.* Auila *De censur. par.*7. *disp.*6. *dub.*2. *in Conclus.* Sayr. *lib.*6. *De censur. cap.*18. Suarez *lib.*6. *de legib. cap.*11. *num.*4. Molina *De iust. & iure tract.*2. *disp.*108. ver. *Est verò*. Couaruu. *in Clemen. Si furiosus. par.*2. *§.*3. Rota *in Ferrariensi Pensionis 21. Martij.*1627. *coram Virili, num.*5. vbi alios quoque citat. & *in Cæsaraugustana Pensionis.*18. *Iunij* 1610. *num.*13. *coram Lancelloto*.

2 Ratio autem est. Quia causa, quæ potest aliquid destruere, potest etiam ab ipso præseruare, si applicetur ad præseruandum. Eadem enim causa semper applicata producit eundem effectum, & ideo, si potest aliquid destruere, applicata ipsum impedit, ne producatur, vt constat in naturalibus, aqua namque, quæ potest extinguere ignem, impedit etiam, ne accendatur. Cum ergo dispensatio possit tollere irregularitates, inhabilitates &c. & ponere habilitatem quancunque de iure positiuo, poterit etiam præseruare ab ipsis, si applicetur ad præseruandum. Tunc autem applicatur, quando quis dispensatur, vt possit facere id, ratione cuius inducuntur à iure irregularitates, inhabilitates, & alij huiusmodi effectus; cum enim inducat tales effectus ex iure positiuo, dum conceditur, posse fieri, conceditur, posse fieri absque illo præiudicio, quod facientibus resultat ex iure positiuo. Tunc enim dispensatio extenditur ad relaxandum ius positiuum, quod inducit tales effectus, & proinde non habet vim ipsos inducendi; quod præsertim valet, si in dispensatione fiat mentio horum effectuum.

3 Rursus huiusmodi effectus inducuntur à iure, quia lex resistit actui, si non absolutè, saltem in ordine ad aliquid, à quo reijcit ratione talis actus, qui præcessit, vt bigamus à cleritatu, ergo cum dispensatio relaxet legem, impediet etiam effectus, qui stante tali lege inducuntur

cuntur

cuntur à iure; sublato enim antecedenti, tollitur etiam, quod inde consequitur. *l.* 1. §. *Huius*. *ff.* De *offic. eius*, *cui mandat. est iurisd.* & notant Glos. *in l. Vtique. ff.* De *rei vindicat.* Bald. *in l. Fos. C.* De *vsur.* Ias. *in l.* 2. *ff.* Si *quis caut.* Imola *in l.* Atheius. *§. fin. ff.* De *aqua pluu. arcen.* Alexan. *in l.* 1. *C.* De *iudic.* Menoch. *Consil.* 187. *num.* 12.

4 Quod denique ex eo confirmatur. Quia sublata causa, tolluntur omnes effectus, qui ab ea prouenire possunt. *l. Duobus*. §. *Exceptionibus*. & §. *Colonus. ff.* De *iure iur.* & *l. fin. in fine. C.* De *nuptijs*. & notant Castrens. *Consil.* 366. *lib.* 1. Geminian. *Consil.* 93. ver. *Ad hoc optimè facit*. Quia nimirum sublata causa, & radice, non adest, vnde proueniant tales effectus. In casu autem præsenti dispensatio tollit legem quò ad dispensatum, atque adeo causam, & radicem, vnde proueniant tales effectus iuris.

5 Ex quibus colligitur, quod sic dispensatus erit habilis ad omnia æqualiter, ac si esset talis de iure; & non secus, ac si nullam fuisset incursurus inhabilitatem, quia dispensatio præuentiua præseruat habilitatem, quam reperit, ab inhabilitate, quæ aliàs superueniret. Quod præsertim verum est, quia est idem, esse habilem de iure communi, ac ex dispensatione Principis, vt docent Ancharan. *Consil.* 40. *in* 1. *dub.* Dec. *Consil.* 542. *num.* 4. Rebuf. *in Concor. Rubr. De collat.* §. *Præfatique ordinarij*, verbo. *Idoneis*. Quod etiam operatur priuilegium, per quod quis efficitur habilis non secus, ac si esset talis de iure communi, vt notant Bald. *in l. Cum ex oratione. init. ff.* De *excusat. tut.* Roland. *Consil.* 79. *num.* 7. *lib.* 1. Quia cum ea, quæ à iure positiuo inducuntur, sint sub dispositione Principis, sicut est ipsum ius positiuum, potest vel ea impedire, ne superueniant, vel si superuenerint, penitus abolere.



Post quantum tempus reiectus in examine, vt inhabilis, possit rursus admitti vt de nouo examinetur.

Quæst. 190.

SVMMA.

1 *Examen est institutum ad explorandam sufficientiam, vel insufficientiam examinati.*
2 *An reprobatus ab examine possit appellare.*
3 *Quando reprobatus possit ad nouum examen admitti.*
4 *An appellatio ab examine habeat locum, quando fit in ordine ad Ecclesias Parochiales.*
5 *An secluso grauamine possit reprobatus iterum examinari.*
6 *Post quantum tempus possit admitti de nouo ad examen, & an annus censeatur tempus longum.*

1 Quia examẽ institutũ est ad explorandam sufficientiã examinati, ideo eo peracto tenẽtur examinatores declarare idoneitatẽ. Quod de examinatis in ordine ad beneficia habentia curã animarũ decernit Tridentinum. *Sess.* 24. *Cap.* 8. *de reformat.* ibi *Peracto deinde examine renuncietur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint*. & notant Garzias *par.* 9. *De benef. cap.* 2. *num.* 104. Salgad. *de protect. reg. tom.* 1. *par.* 3. *cap.* 9. *num.* 79. Barbosa. *De potest. Parochi cap.* 2. *n.* 84. & *in Trident. ad Cap.* 8. *de refor. sess.* 24. Eadem autem ratio est in omnibus alijs examinibus, quia examinatores funguntur officio iudicis circa idoneitatem exami-

examinandi, & ideo completo examine tenentur declarare idoneitatem, vel insufficientiam examinati.

2 Quando autem examinatus reprobatur ab examinatoribus, si se sentiat grauatum, potest appellare à grauamine, & reprobatione examinatorum, vt docent Gonzalez *ad Reg.8.Cancel.glos.9. §.1.in adnotat.contra nullit.num.*186.Massobrius *in Praxi habendi concursum. Requis.5. num.*5.Rota *Decis.*10.*par.*2.*diuer.* Ludouisius *Decis.fis.& Decis.*538.Et tūc reprobatus potest ad nouū examen admitti, quia examen est optimus modus probandi scientiam examinati,& an reiectus sit passus grauamen, vt notant Rota *Decis.*8. *in nouis.De probat.* & *Decis.*18. *num.*14. *De concess.præbend. in Nouis.* & in *Calagur. de Monila.*15. *Iunij* 1612. *coram Coccino.* Neque obstat Concil. Trident. *Sess.*7.*cap.*13. *De reformat.* ibi *Nullus appellationis &c.* nam loquitur de appellatione ad effectum vitandi examen, vt adnotauit Rota *Decis.*10.*par.*2.*Diuersorum.*

3 Est tamen aduertendum, quod hoc non procedit in examine in ordine ad Ecclesias Parochiales, quia in hoc non habet locum appellatio ex Concil. Trident. *sess.*24.*cap.*18. *De reformat.* vt notat Rota *in citata Decis.*10. *par.*2. *Diuersor.* & proinde non potest impediri per appellationem, quin fiat institutio, & ita etiam declarauit S. Congregatio *apud Garziam in Addit. ad Cap.*2.*par.*9.*de Benef. num.*245. & licet aliæ declarationes in oppositum circumferantur, debent tamen intelligi, sicut declarauit eadem S.Congregatio apud *citatum Garziam.* quod appellatio non habeat locum in Parochialibus ab electione Episcopi, habeat autem à reprobatione examinatorum ad effectum deuolutiuum, non autem suspensiuum. ita enim habet declaratio. *Congregatio Concilij censuit. Reprobato ab examinatoribus non dari appellationem ab electione Episcopi, qui elegit approbatum ab examinatoribus, sed à reprobatione examinatorum ad effectum deuolutiuum, non autem suspensiuum.* Et ita etiam notant Campanil. *in Diuers. iur Rubr.*11. *cap.*13. *num.*476. Massobr. *in Praxi.requisito* 5.*dub.*4. Garzias *De benef. in Addit. ad cap.*2.*par.*9.*num.*425. Barbosa *De offic. paroch, cap.*2. *num.* 138. Salgad. *De protect. reg. tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 13. *num.*199.

4 An autem secluso grauamine, & appellatione possit reprobatus iterum examinari. negatiuè respondendum est, vt docent etiam Garzias *De benefic. par.*9. *cap.*2.*num.*253. Massobr. *in Praxi habendi concursum.Requisito* 5.*dub.*14.*n.*2. & desumitur ex Rota *Decis.*505.*num.*4. *par.*2. *Recent.* & in *Calagur. Beneficij de Cencera.*8. *Februar.*1591.*coram Penna.* & in *Paduana coadiutoriæ.*6. *Nouembr.*1623. *coram Merlino.* Cum enim quis reprobatur in examine, habetur pro inhabili; vnde non est capax vlterioris examinis, nam examen ordinatur ad declarandam habilitatem, vnde solum habet locum in eo, qui habilis declarari potest; qui autem reprobatus est, quia præsumitur iustè reprobatus, non est capax nouæ approbationis, & declarationis in fauorem habilitatis; atque adeo nec examinis. Et hoc habet locum non solum in examine quò ad beneficia, sed etiam in quocunque alio examine, si quidem militat eadem ratio.

5 Poterit tamen admitti ad nouum examen post aliquod tempus, ex quo possit oriri præsumptio, quod fuerit factus habilis. Quantum autem debeat esse tempus elapsum ad effectum, vt præsumi possit de habilitate, vix aliqua regula certa definiri potest; vnde semper habenda est ratio de materia, in qua examinandus est, quia si est ampla, & requirit longum studium, non potest, nisi post longum tempus, admitti de nouo ad examen, ita vt sit proportionatum pro acquirenda congruenti doctrina in illa scientia; & etiam habenda est ratio ingenij reprobati. Solum aduerto, quod in quacunque materia, quæ requirat longum studium, vt esset Philosophia, Theologia, Ius canonicum, casus conscientiæ, integer annus habendus erit pro breui tempore ad effectum, vt possit præsumi habilitas de nouo acquisita.

Vnde

Vnde Rota *in Nepesina Canonicatus*. 25. *Frebruarij* 1625. *coram Merlino*, censuit, quindecim menses esse breue tempus, vt reprobatus in examine possit intermedio tempore ita eruditus fieri, vt possit in alio examine mereri approbationem.

An Decanatus erectus in dignitatem, sed sine cura, & præiudicio &c. habeat annexum ius præsidendi in Choro, Capitulo atque præcedendi in cæteris actibus, & functionibus absentibus maioribus dignitatibus. Quæst. 191.

S V M M A

1 *Erectio Decanatus in dignitatem cuiusdam Ecclesiæ.*
2 *Quæ veniant nomine dignitatis.*
3 *An dignitas sine cura sit etiam sine iurisdictione.*
4 *An Decanatus erectus in dignitatem habeat ius succedendi in actibus iurisdictionalibus post alias dignitates.*
4 *Decanatus est dignitas.*
4 *Quid sit dignitas ecclesiastica.*
5 *Decanus succedit in locum Archipræsbiteri.*
5 *Eadem potest, quæ potest ipse Archipræsbiter.*
5 *In Capitulo non se habet vt priuata persona.*
6 *Dictio*, Quibuscunque, *ob suam generalitatem trahitur etiam ad casus improprios.*
7 *Vna Dignitas succedit alteri in processionibus &c.*
7 *Prima dignitas non potest substituere in locum suum, sed succedit secunda, &c.*
8 *Quando Decanatus non sit dignitas.*
8 *Id expressum censetur, quod subintelligitur à iure, aut ab expresso ex rei natura consequitur.*
9 *Duplex cura quò ad forum pœnitentiale, & quò ad forum iudiciale.*
9 *Decanus sine cura quos actus non possit exercere.*
10 *Dictio*, Dumtaxat, *quænam excludat, & quam negatiuam inducat.*

1 CVm in quadam Cathedrali sit erectus Decanatus pro tertia dignitate, quarũ prima est Cantoria, & secunda Archidiaconatus, cum clausulis, *Sine cura* &c. *Sine alicuius præiudicio* quò ad ea, quæ non sunt expressa in Bulla erectionis. ita enim habet. *In dicta Ecclesia N. vnum Decanatum, qui in ea dignitas sine cura existat, auctoritate Apostolica tenore præsentium aliàs sine præiudicio erigimus &c. Ac quod dictum decanatum pro tempore obtinens stallum in choro, & vocem, & locum in Capitulo, & quibuscunque actibus capitularibus ipsius Ecclesiæ. N. immediatè post Cantorem, & Archidiaconum, quatenus ipse Archidiaconatus dignitas existeret, & ante omnes Canonicos dictæ Ecclesiæ N. habeat, ac omnibus, & singulis gratijs, & priuilegijs, & indultis, ac prærogatiuis, quibus alij dictæ Ecclesiæ Canonici, & dignitates aliàs huiusmodi inibi obtinentes, vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurũ, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeat, eadem auctoritate statuimus, & ordinamus &c. Sine alicuius quò ad distributiones quotidianas, & prouentus, & alia præsentibus non expressa dumtaxat præiudicio*. Dubitatur modo, an obtinens talem Decanatum in absentia Cantoris, & Archidiaconi debeat primus præsidere in Choro, & cœtera exercere, quæ præsidens exercet, celebrare loco Episcopi &c. & Præsidere in Capitulo, illud congregare &c. an verò id spectet ad seniorem canonicum non obstante dicta dignitate Decanatus.

2 Et quòd non spectet ad Decanum, videtur suaderi primò; quia de iure communi nomine dignitatum veniunt solũ Archipresbiteratus, & Archidiaconatus, alia

alia verò officia, personatus &c. non veniunt nomine dignitatum, nisi consuetudo sit in contrarium, vt notant Aretin. *Consil.*23. Tusch. *littera D. concl.*419. *num.*19. & loquens in specie de Decanatu. Rota *Decis.*173. *alias* 8. *De præbend. in Nouis.* Quare cum decanatus ex se non sit dignitas, non debet ei tribui aliqua præeminentia, quæ in specie non sit concessa. In erectione autem dicti Decanatus non est concessum, quod præsideat in Choro, Capitulo, &c.

3 Secundò, prædictus Decanatus est dignitas sine cura, vt dicitur in ipsa Bulla. ergo sine iurisdictione, atque adeo non dat facultatem exercendi actus iurisdictionales, quales sunt præsidere in Choro, Capitulo, Cōuocare Capitulū, & alij huiusmodi. Denique dignitas est de nouo erecta sine præiudicio aliorum, vt constat ex verbis Bullæ erectionis *n.*1. *allatis*. Cum ergo ab initio erectionis Cathedralis senior Canonicus sit in possessione præsidendi in choro, & exercendi huiusmodi actus iurisdictionales, non erit hoc ipsum concessum Decano in præiudicium illius.

4 His tamen non obstantibus resoluendum est, quod dictus Decanatus erectus in dignitatem habet annexā facultatem exercendi omnes illos actus, qui exercentur per dictas duas priores dignitates, quando contingit, eas abesse, Ratio autem est. quia est Dignitas, vt de Decanatu tenuit Rota *Decis.*17. *De præben. in nouis.* vbi etiam *Decis.* 4. *De elect.* & notant Decius *in Cap. Ad aures.* De *rescrip. in* 6. Archidiacon. *in Cap.*1. *num.*2. De *consuetudine in* 6. Zechius *De repub. Eccles. cap.*24. *num.*12. ver. *Decanus habet*. Manriquez. *De præcedent. quæst.*21. *num.*1. Azor. *par.*2. *lib.*3. *quæst.*2. & desumitur ex Cap. *Super specula*. Ne *clerici, vel Monachi*. & clarè habetur absque tergiuersatione ex Bulla erectionis prædicti Decanatus, Cum dicitur, *Vnum decanatum, qui in ea dignitas sine cura existat, auctoritate Apostolica tenore præsentium aliàs sine præiudicio erigimus*. Debet ergo secum afferre ea, quæ sunt dignitatis, atque adeo facultas exercendi actus iurisdictionales, quia dignitas ecclesiastica est administratio rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione, vt notant Ancharan. *in Clemen. Si dignitat. in.* De *præbend.* Cardin. *in Clemen.*2. ver. *Quid est, eodem tit.* De *præbend.* Boer. *Decis.*286. *num.*2. Aretin. *Consil.*23. *n.*1. Caualer. *Decis.*649. *num.*7. Zechius *De repub. Ecclesiast. cap.*24. *num.*12. ver. *Obseruandum*.

5 Et proinde Decanus succedit in locum Archipræsbiteri, vt notant Rochus Veronensis *lib. De Visitatione*. verbo. *Archipræsbiteros*. Zechius *De repub. ecclesiast. dicto Cap.* 24. *num.* 12. ver. *Decanus*. Et succedit etiam, quando non adest, in locum Archidiaconi, vt tenuit Rota *Decis.*533. *num.*15. & 16. *par.*2. *Recentior.* & sequitur Barbosa *De canon. & dignitat. cap.*7. *num.*4. Et eadem posse, quæ Archipræsbiter, notant Petrus Gregor. *lib.*15. *Syntag. iuris. cap.*21. *num.*12. & *De benefic. cap.*10. *n.*24. Rota *Decis.*17. *num.*1. ver. *Sedcaue*. De *concess. præbend.* Imo in specie quod non se habeat in Capitulo tanquam persona priuata, sed habere iurisdictionem & præesse, tenuit Puteus *Decis.* 209. *num.*2. *lib.*3. Rota *Decis.*533. *num.*4. *par.*2. *Recentior.* Vnde cum prædictus Decanatus sit erectus in dignitatem, debet habere omnia illa, quæ de iure conueniunt Decanatui.

6 Quod etiam exprimitur in ipsa Bulla erectionis, vbi tali Decano conceditur, vt post Cantorem, & Archidiaconum præcedat omnes alios canonicos, non solum in Choro, & in Capitulo, sed etiam in quibuscunque actibus capitularibus. vnde cum congregare Capitulum, præsidere, &c. sit de actibus Capitularibus, debebit in hoc præcedere alios canonicos, & tales actus exercere; quia dictio, *Quibuscunque*, comprehendit omnes actus, qui quocunque modo à Capitulo, vel repræsentante ipsum Capitulum, seu capite exercentur; quia dictio, *Quibuscunque*, propter suam generalitatem trahitur etiam ad casus improprios, vt notant Riminal. iun. *Consil.*450. *num.*35. *vol.*4. Roland. *Con-*

sil.

fil. 5. *num.* 44. *vol.* 1. Honded. *Consil.* 64. *num.* 4. *vol.* 1. Menoch. *Consil.* 335. *n.* 23. Marta. *De iurisdict. par.* 4. *Centur.* 2. *Casu* 130. *num.* 7. Gratian. *Decis. Marcb.* 24. *num.* 7. & *in Disceptation. forens. Cap.* 82. *num.* 32.

7 Et totum hoc confir. ex declarationibus S. Rituum Congregationis. nam declarauit, quod in diebus solemnibus Cantare missam; Deferre sanctissimum Sacramentum, Benedicere Candelas, Cineres, Palmas & alios huiusmodi actus exercere absente, vel impedito Episcopo, spectet ad primam Dignitatem; vel ea impedita ad secundam, & successiuè ad tertiam, vel quartam; & omnibus Dignitatibus absentibus, vel impeditis ad primum, vel secundum canonicum. Ita *die* 19. *Ianuarij* 1608. & in *vna Pisaurensi.* 21. *Martij.* 1609. & *in vna Aretina.* 30. *Ianuarij* 1610. & in *Lamacensi.* 11. *Nouemb.* 1614. Et idem etiā tenuit Rota *in vna Viterbiensi celebrationis missarū.* 11. *Decēbris* 1609. *coram Sacrato*. Vnde solum post omnes dignitates potest succedere primus canonicus in his functionibus. Hinc eadem S. Rituum Congregatio declarauit etiā, quod prima dignitas non potest substituere in locum suum aliquem ex canonicis, sed proxima dignitas debet succedere in eius vices, & in ijs muneribus, quæ ad ipsam spectant. Ita in *vna Adriensi. die* 4. *April.* 1615. & *in vna Ciuitatis castellanæ oppidi Arrignani. die* 22. *Ianuarij.* 1618. & *in alia Adriensi. die item* 22. *Ianuarij* 1617.

8 Atque ex dictis facilè solui possunt, quæ pro opposita parte allata sunt Ad 1. enim dicitur, quod Decanatus non est dignitas, quādo se habet per modum simplicis beneficij, vt notant Tusch. *Littera D. Conclus.* 41. *num.* 22. Pacian. *De probat. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 76. Moneta. *De conseruat. cap.* 5. *num.* 92. aliàs verò esse dignitatem, constat ex dictis *num.* 4. neque de hoc dubitari potest stante bulla erectionis. Vnde debet habere omnia illa iura, & omnes illas præeminentias, quæ conueniunt dignitati. Neque obstat, quod non sint expressa in specie, sicut nec quod succedat secundæ dignitati in exercendis illis actibus, qui ad ipsam spectant. quia sufficit, quod sit expresum talē Decanatum erigi in dignitatem cum præcedentia respectu omnium canonicorum. quia per hoc ipsum censentur expressa, & concessa, omnia iura, & præeminentiæ, quæ sunt propriæ dignitatum. quia id expressum censetur, quod subintelligitur à iure. *l. Licet Imperator. ff.* De *legat.* 1. & *l.* 1. *C.* De *testam. milit.* & quod sequitur ab expresso. *l. Si ita. §. Si filio. ff.* De *secundis tabulis*, & notat Bald. *in l. fin. num.* 9. *C.* De *bæredib. instit.* & *in l.* 1. *num.* 10. *C.* De *ijs, qui ante aper. tab.*

9 Ad 2. Ex eo, quod dictus Decanatus sit dignitas sine cura, non sequi, quod illi non conueniat exercere actus iurisdictionales; sed solum, quod non possit exercere illos actus, qui pertinent ad curam. Duplex enim est cura; alia quò ad forum pœnitentiale, qualis est in Parochis, & importat potestatem in ordine ad Sacramenta ministranda. Alia verò est cura in ordine ad forum iudiciale, & est potestas eijciendi, & recipiendi in Ecclesiam, corrigendi, & puniendi excessus, visitandi &c. vt notat Innocent. *in Cap. Cum satis. num.* 2. ver. *Largè dicitur*. De *offic. Archidiaconi*. Vnde Decanus, quia est sine cura, solum non poterit exercere actus harum potestatum; non autem sequitur, quod non possit exercere actus iurisdictionales, quos exercent aliæ dignitates, quæ sunt sine cura similiter in ordine ad forum iudiciale, quando sunt de gremio Capituli, vt notat Abbas in Cap. *Post electionem. num.* 9. ver. *Item puto*. De *concess. prebend.* nam non possunt in eos, qui sunt de Capitulo, exercere actus iudiciales.

10 Ad 3. resp. dictum Decanatum esse erectum absque præiudicio aliorum non quò ad ea, quæ sunt expressa in dicta erectione, sed quò ad distributiones, prouentus, & aliā, quæ non sunt expressa, vt constat ex verbis Bullæ, ibi. *Sine alicuius quò ad distributiones, & prouentus, & alia præsentibus non expressa dumtaxat*

taxat præiudicio. Vnde ſolum quò ad diſtributiones, & prouentus, & ſolum quò ad non expreſſa intendit alteri non præiudicare. in expreſſis verò intendit alteri præiudicare. Dictio namque, *Dumtaxat*, limitat, & reſtringit excluſionem præiudicij ad diſtributiones, & prouentus, & ad non expreſſa *l. Iulianus. ff.* De *petit. hæredit*, & notant Glos. *in Extrauag. Suſcepti regiminis Io.22.* verbo *Dumtaxat*. De *elect.* Gonzalez *Ad Reg.8. Cancel. Glos.43. num.24.* Gratian. *Decis. March.78. num.26.* Cened. *Sing. 18. num.6. in fine*; & ita reſtringit, vt concludat negationem rei taxatæ in alijs, vt docent Bar. *in l.Si quis*. §. *Cum Titio .ff.* De *adimen. legat.* Cardin. *in Clement.1.* De *ſequeſtr.poſſeſs.* & *in Cap. Contingit*. De *fide inſtrument.* Felin. *ibid.* & proinde in caſu noſtro concludit negationem excluſionis præiudicij in expreſſis. Præſertim quia exceptio firmat regulam in contrarium *l. Quæſitum*. §. *Denique.ff.* De *fun. inſtruct.* vnde, cum excipiantur ſolum prouentus, diſtributiones, & non expreſſa, quibus non præiudicatur, cœtera, quæ expreſſa ſunt, ſubiacebunt præiudicio, qualia ſunt omnia, quæ ab ipſa dignitate, & præcedentia trahuntur in conſequentiam. quia hæc habentur pro expreſſis, vt dictum eſt *num.8.*

***



An quando tantum nobiles admittendæ ſunt, poſſit Monialis denegare ſuffragium puellæ nobili ex priuilegio ex eo ſolum, quod non ſit nobilis origine. *Quæſt.192.*

S V M M A.

1 *In dubio quomodo verba accipienda.*
1 *Qui veniant appellatione nobilium*
2 *Nobilis ex priuilegio Principis Laici poteſt excludi, à Monaſterio, quando ſunt acceptandæ nobiles.*
2 *Priuilegium Principis laici non obligat Eccleſiaſticos.*
3 *Legitimatus à Laicis non poteſt ſuccedere in Emphyteuſi eccleſiaſtica, nec in feudo.*
4 *Legitimatus à Princ pe Laico non cenſetur talis quò ad ea, in quibus obſtat ius canonicum.*
5 *Legitimatus à Pontifice an poſſit ſuccedere in bonis ſitis in alterius ditione.*
6 *Puella nobilis ex priuilegio Papæ nō poteſt excludi à monaſterio, quando nobiles ſunt acceptandæ.*
6 *Nobilis ex priuilegio gaudet omnibus præeminentijs, quibus gaudent nobiles ex ſanguine.*
7 *Priuilegium vt lex obligat ſubditos priuilegiantis.*
8 *Nobilis ex priuilegio comprehenditur ſub ſtatuto loquente de nobilibus.*
8 *Valet argumentum à ſtatuto ad vltimam voluntatem.*
9 *Mens inſtitutoris præſumitur talis, qualis de iure debet eſſe.*
10 *Omnis nobilit s prouenit à Principe vt à fonte.*
10 *Paria ſunt, qualitatem ineſſe per naturam, & per priuilegium.*
11 *An legatum alicui, ſi ducat nobilem, debeatur ſi ducat nobilem ex priuilegio Prin cipis.*
12 *An nobiles ex priuilegio veniāt appellatione nobilium, quò ad receptionem in ordines militares.*

Vide-

1 Videtur affirmatiuè reſpõdendum. quia quando inſtituta ſunt alimenta pro puellis nobilibus admittendis in Monaſterium, videtur mens inſtitutoris reſpicere ad nobilitatem ſanguinis, & voluiſſe prouidere puellis nobilibus ex ſanguine,& pauperibus. In dubio namque verba accipienda ſunt ſecundum ſignificationem naturalem, & non ſecundum ciuilem *l. Ex ea parte*. §. *Inſulam*. *ff.* De *verborum obligatione*. Appellatione autem nobilis ſecundum naturalem ſignificationem venit ſolum nobilis ex ſanguine. Vnde Melchior Paleez *tract. de maior. quæſt.* 51. *num.* 4. Paſchal. *De virib. patriæ poteſt. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 43. docent, quod legatum relictum alicui ſub ea cõditione, quod nobilem ducat in matrimonium, non debetur, ſi duxerit nobilem ex priuilegio.

2 Verum cum diſtinctione procedendum eſt. Nam ſi puella ſit nobilis ex priuilegio Principis Laici, poteſt Monialis denegare ſuffragium, quando admittenda eſt puella nobilis ex eo præcisè, quod non ſit nobilis ex ſanguine. Ratio autem eſt, quia priuilegium principis Laici non iuuat apud Eccleſiaſticos, & in materia eccleſiaſtica. Cum enim priuilegium proueniat ab auctoritate, & poteſtate concedentis, non plus extenditur, quàm ſe extendat auctoritas, & poteſtas ipſius: vnde cum non ſe extendat ad perſonas eccleſiaſticas, nec ad res eccleſiaſticas, non habet vim in ordine ad actus eccleſiaſticos, & ideo nobilis ex priuilegio principis Laici quò ad ea, quæ ſubſunt diſpoſitioni eccleſiaſticæ eodem pacto ſe habet, ac ſi non eſſet nobilis; & ideo poteſt Monialis in acceptando ad religionem ſe gerere cum puella nobili ex tali priuilegio, ac ſi abſolutè non eſſet nobilis, & illi denegare ſuffragium, quando eſt admittenda ſolũ nobilis, quia acceptare ad religionem eſt actus eccleſiaſticus, nec tenentur Moniales ſeruare priuilegia principis Laici.

3 Hinc legitimatus à poteſtate Laica non poteſt ſuccedere in Emphyteuſim eccleſiaſticam, vt docent Cinus *in Authen. Ex complexu C.* De *ſecund. nupt.* Salicet. *ibid.* Alciat. *Conſ.* 254. Bald. *in l. Eam, quam*. C. De *fideicom.* & *Conſil.* 29. *lib.* 3. Dec. *in l. Generaliter. num.* 23. *C.* De *inſtit. & ſubſti*. Bec. *Conſil.* 101. *n.* 5. *lib.* 1. Nec etiam poteſt ſuccedere in feudum, quia nimirum legitimatio Principis Laici non ſe extendit defectu poteſtatis ad eccleſiaſtica, vt docent Ias. *Cõſ.* 70. *lib.* 3. *Ruin. Cõſ.* 64. *n.* 7. *lib.* 1. & *Cõſ.* 69. *n.* 13. & *Conſ.* 109. *nu.* 14. *lib.* 3. Io. Bapt. Fertet. *Conſil.* 105. *num.* 5. Brunus *Conſil.* 15. *in fine*. Boer. *quæſt.* 123. *in fine*.

4 Et ob eandem rationem legitimatus à Principe Laico non cenſetur verè legitimus in ordine ad ea, in quibus obſtat ius canonicum; quia Princeps Laicus non poteſt auferre impedimenta iuris canonici, vt docent Benedict. de Plumbino *in ſua diſputatione, Statuto Piſano. apud Menoch. citandum.* Alexan. *Conſil.* 2. *num.* 11. ver. *Deciditur hoc. lib.* 1. Curt. Sen. *Conſil.* 16. ver. *Et ponderaui ſemper.* & *Conſi.* 74. ver. *Me mouet.* Dec. *Conſil.* 275. *num.* 8. Zuchar. *in l. Poſthuma. num.* 24. & 25. C. De *bon. poſſeſ. contra tab.* Cephal. *Conſ.* 276. *num.* 6. *lib.* 2. Riminal. iun. *Conſil.* 46. *num.* 92. Couaruu. *in Epitome De ſponſalib. par.* 2. *cap.* 8. §. 8. *num.* 4. Menoch. *Conſil.* 266. *num.* 48.

5 Et ſimiliter, quia Pontifex non habet directam iuriſdictionem quò ad ciuilia in terriorio aliorum Principum, communior ſententia docet, quod legitimatus à Pontifice non poteſt ſuccedere in bonis ſitis in ditione aliorum Principum; vt in ſpecie docent Glos. *in Cap. Per venerabilem*. *Qui filij ſint legitimi*. Io. Andr. *ibid.* Butrius *num.* 11. Abbas *num.* 22. Angel. *Conſil.* 29. *num.* 6. Corneus *Conſil.* 1. *num.* 18. *lib.* 3. Socin. Sen. *Conſil.* 65. *num.* 7. *lib.* 3. Surdus *Conſil.* 1. *n.* 76. *lib.* 1. Menoch. *Conſil.* 1126. *n.* 43. Crotus *in l. Gallus*. §. *Et quid ſi tantum. num.* 176. *ff.* De *liberis, & poſth.* Purpurat. *Conſil.* 92. *num.* 20. Guillel. Benedict. *in Cap. Raynutius. verbo*. Et vxorem. *num.* 197. De *teſtam.* Couaruu. *in Epitome*. *De ſponſalib. par.* 2. *cap* 8. *num.* 18.

Thomas

Thomas Ferrar. *Caut.* 1. *num.* 1.

6 Si verò puella sit nobilis ex priuilegio Summi Pontificis, aut alterius nomine ipsius, non poterit Monialis denegare suffragium in ordine ad eam acceptandam ex eo præcisè, quod non sit nobilis ex sanguine, nisi interueniat aliud rationabile motiuum. Ratio autem est, quia nobilis ex priuilegio Principis gaudet omnibus priuilegijs, præeminentijs, & prærogatiuis, quibus gaudent nobiles ex sanguine, vt docent Paleez *De maior. par.* 1. *quæst.* 51. *num.* 32. Io. Garzias *De nobilit. glos.* 35. *num.* 3. & 48. & *glos.* 1. §. 1. *num.* 50. Mastril. *De Magistr. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 105. Merol. *tom.* 3. *theol. moral. disp.* 6. *cap.* 8 *num.* 263.

7 Cum ergo priuilegium Principis obliget subditos ad ipsum seruandum in fauorem priuilegiati, siquidem est quædam lex. Cap. *Priuilegium. Dist.* 1. & comparetur statuto tanquam lex priuata, vt notant Bald. *in l. Quæ ex relationib. C.* De *leg.* Alexan. *in l. Beneficium. ff. De Constit. princip.* aliàs esset frustatorium, & inefficax. Dat enim ius priuilegiato, & subintrat obligatio legis naturalis obligans ad seruandum priuilegium vnicuique, quatenus obligat ad seruandum vnicuique ius proprium. Sequitur, quod teneatur Monialis seruare priuilegium nobilitatis puellæ petenti admitti ad religionem, & ei suffragari non secus, ac si esset nobilis ex sanguine.

8 Quod amplius confir. Nobilis ex priuilegio comprehenditur sub statuto loquente de nobilibus, vt notãt Glos. *in l. Quid si nepotes. ff.* De *testam. tut.* Bart. *ibid.* Alexan. *Consi.* 82. *vol.* 1. Bon. de Curte *tract. de nobilit. par.* 3. *num.* 179. & 180. Garzias *De nobilit. glos.* 1. *num.* 10. Otalora *de nobilit. hisp. par.* 4. *princip. cap.* 1 *num.* 1. Azeuedo *lib.* 6. *tit.* 2. *num.* 50. Mastril. *De magist. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 107. Merol. *tom.* 3. *theol. moral. disp.* 6. *cap.* 8. *dub.* 39. *num.* 263. ergo etiam puella nobilis ex priuilegio comprehendetur sub dispositione testatoris, qui instituit, & tradidit alimenta Monasterio pro recipiendis puellis nobilibus. quia valet argumentum à statuto ad vltimam voluntatem, vt notant Socin. iun. *Consil.* 12. *num.* 19. *vol.* 4. Roman. *Consil.* 399. *num.* 4. ver. *Quarto probatur.* Curt. iun. *Consil.* 5. *num.* 18. Honded. *Consil.* 75. *num.* 21. *tom.* 1. Hyppolit. Rimal. *Consil.* 632. *n.* 9. *vol.* 5. Decian. *Consil.* 88. *num.* 5. *vol.* 3. Fusar. *De substit. quæst.* 351. *num.* 8. & *quæst.* 366. *n.* 3. Mantica *De coniect. vlt. volun. lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 5. Tusch. *littera A. Conclus.* 496. *num.* 4.

9 Hinc facilè soluitur, quod in oppositum *num.* 1. allatum est; Mens enim institutoris præsumitur esse talis, qualis, de iure debet esse, & proinde in sua dispositione comprehendisse nomine nobilium, quos sub tali nomine comprehendit lex. comprehendit autem, vt *num. præcedenti* dictum est etiam nobiles ex priuilegio. Neque verum est, quod simus in dubijs, sed saltem sumus in probabilibus. vnde non est attendenda sola significatio naturalis. Deinde sola significatio naturalis attenditur, quando sumus in ijs, quæ sunt stricti iuris, non autem in fauorabilibus, quæ amplianda sunt secundum omnem significationem verborum.

10 Denique Nobilium appellatione veniunt etiam nobilitati à principe secundum naturalem significationem, quia naturali significatione ij significantur, qui naturali modo participant nobilitatem. Cum ergo omnis nobilitas proueniat à Principe vt à fonte, ij sunt propriè nobiles, quos Princeps nobilitat. vt docent Castrens. *in l. Quoties. in fine. C.* Vbi *Senat.* Alber. *in l. Imperatores. ff.* De *Decurion.* Bald. *in l. Sacrilegij. C.* De *diuer. rescrip.* Tiraquel. *De nobilit. Cap.* 6. *num.* 1. Lopez *in l.* 3. *tit.* 21. *par.* 2. Azeuedo *l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *Recopilat. num.* 55. Gutierez *lib.* 4. *Pract. quæst.* 17. *num.* 132. Cabedo Lusitan. *Decis.* 78. *n.* 1. *par.* 2. Gamma Lusitan. *Decis.* 322. *num.* 5. Gardiola *De nobilit. hisp. cap.* 4. *n.* 5. ille erit propriè, & naturaliter nobilis, qui est talis ex priuilegio principis, quia paria sunt, qualitatem inesse per naturam, & per priuilegium, vt notat Bald. *in l. Cum ex ratione. ff.* De *excusat. tut.*

11 Quod autem additur, legatum reli-

relictum alicui, si ducat in vxorem nobilem fœminam, non deberi, si ducat nobilem ex priuilegio negandum est cum Gregorio Lopez *l.3.tit.21. par.2. glos. Con* *tillana*; quia cum nobilis ex priuilegio comprehendatur sub statuto disponente de nobilibus. comprehenditur etiam sub testamento, & voluntate vltima loquente, & disponente de nobili, vt constat ex dictis *num.*8.

12 Ex dictis colligitur. quid dicendum de doctrina, quam tradunt Menchaca. *De succes.creat.lib.*3.§.30.*num*256. *&* 290. Azeuedo *l.*1. *num.*59. *tit.*1. *lib.*6. *nouæ Recopil.* Io.Garzia *De nobilit glos.*1. §.1.*num.*50. Garzias Gironda *De priuileg. seu exempt. explicat.*829. nimirum, quod appellatione nobilium veniunt nobiles ex priuilegio in admissione ad Ordines militares. Hoc enim solum habet locum quò ad illos Ordines, qui subijciuntur Principi, qui concessit priuilegium nobilitatis, non autem quò ad Ordines non subiectos, quia hi non obligantur seruare priuilegia concessa à non superiore.

An Regularis inhabilitatus per sententiam ad omnia officia, & dignitates possit sequuta rehabilitatione, & admissione ad cæteras dignitates, eligi etiam in Generalem. Quæst. 193.

S V M M A.

1 *Dispensatio est stricti iuris*
1 *Dispensatus ad dignitates inferiores non censetur dispensatus ad superiores.*
2 *Inhabilis ad dignitates sequuta rehabilitatione potest admitti ad omnes etiam maiores.*
2 *Actus præsumitur factus secundum dispositionem iuris.*
3 *Inhabilis admissus ad dignitates indiscriminatim ab eo, qui potest rehabilitare, censetur facto ipso restitutus.*
3 *Factum praualet verbis.*
4 *Restituere est in pristinum statum reponere.*
5 *Bannitus restitutus recuperat omnia priuilegia, & officia.*
6 *Illegitimus sequuta legitimatione fit habilis ad omnia, etiam dignitates, non secus, ac si natus esset legitimus.*
6 *Legitimatio reponit in statu legitimorum.*

1 DIfficultas oritur in casu proposito ex eo, quod tàm sententia inhabilitationis, quàm rehabilitationis periit, & proinde non potest ex ipsius tenore deduci quomodo rehabilitatus sit. Et ideo solum argui potest ex eo, quod post sententiam admissus sit ad omnia officia, gradus & dignitates indiscriminatim. Stāte ergo, quod sit in possessione omnium honorum, & dignitatum suæ religionis, quæritur, an possit admitti ad Generalatum. Et negatiuè videtur respondendum; quia dispensatus ad dignitates inferiores non censetur dispensatus ad superiores, vt desumitur ex Cap. *Innotuit.* De *electione*; & tradunt Abbas *ibid. n.*4. Sorbus *in compendio Priuilegiorum* verbo. *Dispensatio.* ver. *Et ideo Fratres*, Hostiens. *in Sum.lib.*1.*Tit. De filijs præsbiterorum num.*8. Goffred.*lib.*1.*Sum. eodem Tit. De filijs præsbit. num* 9. Azor. *par.*2. *lib.*6. *cap.*3. *quæst.*8. *&* 9. Rodriquez *tom.*1. *quæst. Regular.quæst.*13.*ar.*10. ver. *Ex supradictis.* Bonacina *disp.*7.*de censur.quæst.* 2.*punt.*3. *num.*14. ver. *Aduertendum est.* Barbosa *De potestate Episcopi par.*2. *allegat.*45.*num.*5. Peirin. *tom.*1. *Priuileg. ad Constit.*2. *Iulij II.* §.29.*num.*99.& *in Formulario Prælat. littera I. Cap. unico.num.*2. Quia dispensatio est stricti iuris, nec extenditur vltra casum expressum. Cap. *Non potest.* De *prabend. in* 6. & *l. Ex facto initio. ff.* De *vulgari, & pupil.substit.*

2 Hoc tamen non obstante probabilissimum puto, quod possiit eligi etiam ad Generalatum, nisi aliud obstet, quia

non sumus in terminis dispensationis, ita vt facienda sit stricta interpretatio: sed in terminis rehabilitationis, & restitutionis in pristinum statum, quod colligitur ex eo, quod admissus sit indiscriminatim ad omnes dignitates, & gradus in vigore sententiæ rehabilitationis; & proinde ex tali admissione, & possessione præsumitur rehabilitatus, & restitutus in virtute talis sententiæ ad honores, & dignitates. Actus namque semper præsumitur factus secundum dispositionem iuris communis *l. Quæro. §. Inter locatorem. ff. Locati*, & notant Craueta *Consil. 91. num. 9.* Menoch. *lib. 3. Præsumpt. 14. num. 8.* Vnde, cum admissus fuerit modo ad vnam, modo ad aliam dignitatem, ita vt successiuè omnes obtinuerit, præsumitur restitutus & rehabilitatus, cum non potuerit admitti secundum dispositionem iuris communis, nisi præuia restitutione, & rehabilitatione.

3 Accedit etiam, quod cum admissus fuerit ad dictas dignitates ab ijs, qui ipsum restituere poterant si non præcessisset restitutio, facto ipso censeretur restitutus, nempe ipsa electione ad dignitates indiscriminatim. Factum enim præualet verbis. *l. Si tamen. §. Si ei, qui. ff. De ædilit. edict.* & Cap. *Dilecti filij. 2. De appellat.* & Cap. *Legebatur. De maior. & obed.* & notant Alexan. *Consil. 117. num. 2. vol. 5.* Dec. *Consil. 583. num. 4. & 5.* & *Consil. 586. num. 13.* Roman. *Consil. 291. num. 4.* Bald. *Consil. 400. ver. Nec refert vtrum. lib. 4.* Cephal. *Consil. 15. n. 15.* Nata *Consil. 341. num. 4. vol. 2.* Grat. *Consil. 47. num. 22. vol. 1.* Craueta *Consil. 776. num. 6.* Abbas *Consil. 116. num. 3. lib. 2.* Ias *Consil. 153. ver. Confirmantur prædicta. lib. 2.* Vnde cum Capitulum generale, & alij superiores se gesserint cum ipso tamquam cum habili ad honores, & dignitates, facto ipso declarauerunt, eum restituisse pristinæ habilitati, dato quod non præcessisset restitutio.

4 Stante autem restitutione, & rehabilitatione censendus est restitutus, & rehabilitatus ad omnes dignitates, etiam Generalatum. Restituere namque est in pristinum statum reponere. *l. Videamus. §. In Fauiana. ff. De vsuris, & fruct.* & *l. Quod si minor. §. Restitutio. ff. De minorib.* ita vt non intelligatur quis restitutus, nisi consequatur plenam restitutionem Cap. *Venerabilis.* De *offic. delegati.* & *l. 1. & l. Cum indulgentia*, & *l. fin. C. De sent. pass. & rest.* Abbas *in dict. Cap. Venerabilis.* Bart. *in l. Quod si minor.* & *in l. Ab hostibus. ff.* Ex *quibus caussis ma. &c.* & *in l. Qui proprio. ff.* De *procurat.* & *in l. Si quidem. C.* De *præd. min.* Aretin. *§. Rursus. ver. Quarto præmitte.* Instit. *De actionib.* Barbatia *Consil. 9. circa fin. lib. 1.* Socin. Senior *Consil. 262. lib. 2.* Dec. *Consil. 436. num. 3.* Tiraquel. *De retract. §. 1. glos. 14. num. 74.* & *§. 32. glos. 1. num. 69.* Paris. *Consil. 96. num. 112. lib. 1.* & *Consil. 105. num. 4. lib. 3.* Rosenthal. *De feud. cap. 2. quæst. 19. Littera A.* alios citans. A Ponte *De potestate proreg. tit. De prouis. § 2. num. 11.* Menoch. *De recuper. possess. in Prælud. num. 4.* Et ideo eodem pacto habilis censendus est, ac si nunquam per sententiam fuisset inhabilitatus.

5 Et confirmari potest ex doctrina Baldi *in l. Si cum dotem. §. Vxor. ff.* Soluto *matrimonio.* & *in l. Imperialis. ver. nota. C.* De *nupt.* Angel. *in Authent. De hered. & Falc. init.* Bart. *in l. Et qui. §. Si in metallum. ff.* De *munerib. & honorib.* & *in l. Quid ergo. §. Pœna. ver. Iuxta materiam istam. ff.* De *infam.* Nimirum, quod Bannitus restitutus recuperat omnia priuilegia, & officia, quæ prius habebat. ergo etiã in casu nostro Regularis restitutus recuperat omnes habilitates, quas prius habebat, & constituitur in eo statu, in quo erat, antequam inhabilitaretur, ita vt eodem modo se habeat, ac si nullam subijsset inhabilitatem.

6 Quod insuper ex alia doctrina confirmari potest. Docent enim communiter, quod illegitimus subsequente legitimatione fit habilis quò ad omnia, etiam dignitates, ac si ab initio legitimus natus fuisset. Ita Crott *in l. Gallus. §. Et quid si tamen. num. 161. ff.* De *liber. & posth.* Ruin. *Consil. 94. num. 13. lib. 3.* Alexan. *in Rubr. ff.* De *liber. & posth.* Ias. *& alij ibid.* Menoch. *Consil. 517. num. 4.* Couarruu. *De matrim. par. 2. cap. 8. § 2. num. 21. & 24.*

& 24. Molina *De iust. & iure. tract.* 2. *disp.* 172. ver. *Denique.* Sayr. *lib.* 5. *De censur. cap.* 10. *num.* 13. Henriquez *lib.* 11. *Sum. cap.* 20. *num.* 2. Suarez *disp.* 50. *de censur. sect.* 2. *num.* 2. & 6. & *sect.* 5. *n.* 10. Sanctarel. *quæst.* 22. *Variar. num.* 17. Peirin. *De Prælato Religioso. quæst.* 2. *cap.* 5. §. 19. *num.* 119. Glos. *in Cap. Tanta.* verbo. *Legitimi.* & *in Cap. Tenore.* verbo. *Legitimum.* Qui *filij sint legitimi.* & *in Cap. Innotuit.* verbo. *Coniugata.* De *electione.* Atque desumitur ex eodem Cap. *Tanta.* & Cap. *Conquestus*, *Qui filij sint legitimi.* Legitimatio namque reponit in statu legitimorum. Cum ergo restitutio quoque reponat in statu pristino, restitutus erit habilis ad omnes dignitates non secus, ac legitimatus.

An Episcopus possit extra Visitationem reuocare statuta facta in Visitatione à suo prædecessore pro locis exemptis. Quæst. 194.

SVMMA

1 *Affirmans opinio.*
2 *Episcopus an possit extra Visitationem reuocare statuta condita in actu Visitationis pro locis exemptis.*
2 *Episcopus in Visitatione exemptorum procedit, vt delegatus Sedis Apostolicæ.*
2 *Delegatus procedit auctoritate delegantis.*
3 *Inferior non potest reuocare legem superioris.*
3 *Illius est reuocare leges, cuius est condere.*
3 *Delegatus non potest reuocare auctoritate ordinaria, quæ vt delegatus statuit.*
3 *Per quas causas res nascitur, per easdem dissoluitur.*
4 *Consensus subditorum non potest præiudicare iuribus Apostolicæ Sedis.*
5 *Episcopus in actu visitationis potest sibi reseruare facultatem reformandi, & augendi decreta facta in Visitatione.*
5 *Quando actui aliquid deest, nõ est perfectus.*

1 Affirmatiuè respondent, atque adeo posse, vtcunque libuerit, ea reuocare Bellettus *in Disquisit. Cler. par.* 1. Tit. *De bonis Clericor.* §. 12. *num.* 7. Nouar. *in Pract. conclus. iur.* Tit. *De Visitatione. conclus.* 4. aliàs 122. Duran *Decis.* 281. *num.* 21. *par.* 2 Et asserunt, sic censuisse S. Congregationẽ Concilij in vna *Montis pietatis Rauennatensis. anno* 1617. quæ tamen declaratio non procedit in hoc casu, vt dicemus.

2 Quæ tamen responsio mihi probari non potest. Siquidem Episcopus in Visitatione locorum exemptorum non procedit auctoritate ordinaria, sed tanquam Apostolicæ Sedis delegatus, vt habetur ex Concilio Tridentino *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reformat.* Vnde talia statuta censentur facta auctoritate Apostolica, quia delegatus non procedit auctoritate propria, sed auctoritate delegantis. Cap. *Vt officium. init.* De *hæret. in* 6. & *l. Mandatam. ff.* De *officio eius.* ibi. *Qui mandatam iurisdictionem suscipit, proprium nihil habet, sed eius, qui mandauit, iurisdictione vtitur.* & *l.* 1. §. *Qui mandatam. eodem tit.* & *l. Traditio. ff.* De *acquir. rer. dom.* Et ideo talia statuta non habent vim obligandi ab ordinaria auctoritate Episcopi, sed à delegata, atque adeo ab Apostolica. Vnde censentur facta ab ipso Pontifice, cum auctoritate ipsius condita sint.

3 Cum ergo Episcopus extra actum visitationis non possit vti auctoritate delegata, si quidem ad solum actum visitationis delegata est, sequitur, quod non possit reuocare talia statuta condita à suo prædecessore in actu visitationis. Cũ enim inferior non possit abrogare legem superioris, aut retractare, quæ ab ipso gesta sunt Clemen. *Ne Romani.* De *elect.* quia nec voluntas, nec iurisdictio inferioris potest præualere contra voluntatem, & iurisdictionem superioris. Et quia illius est reuocare leges, & statuta, cuius est condere. *l.* 3. *ff.* De *re iud.* & notant Bart. *in l. Omnes populi. num.* 33. *ff.* De *iust. & iure.* Abbas in Cap. *At si clerici.*

§. *De adulterijs*, *num.*10. *De iudic.* Seraphin. *Decis.*190. *num.*2. Neque etiam poterit reuocare, aut retractare, quæ gesta sunt per auctoritatem, & iurisdictionem superioris delegatam; tum quia habent vim ab auctoritate superiori; tum quia manutenentur à voluntate Superioris delegantis, qua assistit iurisdictioni propriæ per delegatum exercitæ. Si quidem quælibet res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur Cap. 1. *De reg. iur.* & ideo ad reuocanda talia statuta requiritur iurisdictio Sedis Apostolicæ delegata.

4 Et hoc extendendum est etiam ad casum, in quo interueniret consensus illorum, pro quibus statuta condita sunt, quia talis consensus non operatur in Episcopo maiorem iurisdictionem, quàm aliàs habeat, nec facit, quod vtatur iurisdictione delegata, quæ sola sufficit pro reuocatione, quia cum delegati sit condere, est etiam delegati reuocare. Tum quia consensus subditorum non potest præiudicare iurisdictioni Sedis Apostolicæ; cuius vigore condita sunt statuta, quia non potest quis cedere iuri proprio in præiudicium superioris. Cap. *Cum tempore*, De *arbitris*. & Cap. *Cum olim*. §. *Nos igitur*. De *priuilegijs*.

5 Neque obstat responsio S. Congregationis in illa *Montis pietatis Rauennatens.* 1617. de qua *num.* 1. quia non dixit, quod Episcopus successor possit extra visitationem reuocare statuta prædecessoris facta in actu visitationis; sed solum, quod Episcopus in actu visitationis possit reseruare sibi facultatem reformandi, & augendi decreta extra visitationem facta in actu visitationis. Ita enim habet *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, auditis partibus, censuit licuisse Illustrissimo Archiepiscopo Rauennatensi reseruare sibi facultatem, decreta in ipsius Montis pietatis Visitatione edita suo arbitrio reformandi, & augendi etiam extra visitationem*. Hoc autem est quid longè diuersum; nam dum Episcopus sibi reseruat reformationem, & augmentum statutorum, prorogat actum visitationis, & transfert complementum illius ad tempus complementi statutorum. Cum enim statuta sint partim facta, & partim non facta, actus visitationis non dicitur perfectus. *l.* 2. *ff. De origine iuris.* ibi *Qui ipsi animaduertens aliquid deesse.* & notant Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancellar. Glos.* 63. *num.* 31. Rota *Decis.* 725. *num.* 7. *apud Farinac. par.* 2. *Recentior.* & ideo prosequens complementum statutorum vtitur potestate delegata, quia delegatio durat, quandiù durat actus visitationis.

An Capitulum Regularium sibi præiudicet, si taceat, quando superior aliquid facit non requisito illius consensu, quando debet requirere. Quæst. 195.

S V M M A.

1 *Tacens censetur consentire.*
2 *Capitulum tacendo an sibi præiudicet, dum superior facit, quod sine illius consensu facere non potest.*
2 *In præiudicialibus taciturnitas non inducit consensum.*
3 *Capitulum non potest exercere actus proprios, nisi capitulariter congregetur.*
3 *Taciturnitas non nocet Capitulo, nisi collegialiter congregetur.*
4 *Taciturnitas existente actu nullo non præiudicat.*
5 *Superior ministrans alimenta alicui contra ius prætensum à Capitulo, & sine illius consensu, non ei præiudicat.*
5 *Prælatus non potest se solo procedere in ijs, quæ sunt de iure Monasterij.*
5 *Lex resistens actui reclamat pro tacente.*

---

1 Videtur affirmatiuè respondendum, quia tacens censetur consentire, cum enim videat, quod agitur, & possit reclamare,

clamare, tacendo tacitè consentit. *l.2.* §. *Voluntatem*. *ff.* Soluto *matrimonio*, & *l.2.C.* De *acquiren. posses.* & *l.* *Si hypothecas*. *C.* De *remis. pignor.* & *l.* *Qui tacet*. *ff.* De *reg. iur.* & Cap. *Qui tacet*. De *reg. iur. in 6.*

2 Tenendum tamen est, quod nihil sibi Capitulum præiudicet tacendo, dum superior aliquid facit absque consensu ipsius, in quo tenetur illius consensum exquirere. Quia cum simus in præiudicialibus ex taciturnitate, & non resistentia non inducitur consensus. *l. Inuitū. ff.* De *seruit. vrb. præd.* & *l. In eo* §. *penult. ff.* De *ritu nupt.* & notant Bald. *Consil.* 129. *num.* 5. ver. *Item contractus. lib.* 1. Alexan. *Consil.* 84. *in fine. lib.* 7. Geminian. *Consil.* 55. ver. *Nec isto casu.* Menoch. *Consil.* 573. *num.* 12. Surd. *Decis.* 302. *num.* 3. & *Consil.* 349. *num.* 4. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 38. *num.* 20. & *cap.* 68. *num.* 16. Tusch. *littera T. conclus.* 3. *per totam*. Mascar. *De probat. conclus.* 1218. *num.* 51.

3 Accedit etiam, quod non potest taciturnitas imputari, & interpretari pro consensu, quia non potuit contradicere. Capitulum namque non potest exercere actus capitulares, nisi sit collegialiter congregatum, cum congregatio requiratur tanquam forma ad subsistentiam capituli: vnde, nisi congregetur à superiori, non potest protestari contra ipsum, & quoscunque alios illi præiudicium afferentes; & ideo taciturnitas illi non nocet iuxta ea, quæ tradunt Glos. & Doctores *in Cap. Cum omnes*. De *constitutionib.* vbi latè Felin. Dec. *Consil.* 437. *num.* 3. Paris. *Consil.* 90. *per totum*. *lib.* 4. Duran. *Decis.* 291. *num.* 95. *par.* 2.

4 Quod insuper confirmari potest. Tunc est necessaria resistentia, & potest taciturnitas imputari, nisi aliud obstet, quando actus gestus à superiore sine cōsensu Capituli potest præiudicare; quando autem non potest præiudicare, & illo non obstante ius proprium remanet saluum, tunc taciturnitas non præiudicat. Nunc autem sumus in casu, in quo actus gestus à superiore non potest præiudicare Capitulo, etiam si taceat, quia actus sic gestus est nullus, & habet resistentiam iuris, quia ius exigit, vt habeat consensum Capituli; & ita notant Glos. *in Cap. Plerumque.* 2. *quæst.* 7. & item Glos. *in l. Non dubium*. verbo. *Pro infectis*. *C.* De *legib.* Bar. *in l. Cum lex. num.* 3. *ff.* De *fideius.* vbi & cœteri Doctores. Mascard. *De probat. conclus.* 1153. *num.* 52. Rota apud *Duran. Decis.* 291. *num.* 43. *par.* 2.

5 Ex quibus colligitur, Superiorem quemdam Regularium, non præiudicasse iuribus Monasterij ex eo, quod subministrauerit alteri monasterio alimenta pro quodam regulari ad instantiam Generalis ex eo, quod super hoc non requisierit consensum Capituli Monasterij, non obstante quod Capitulum sciens, hoc ab ipso præstari, non contradixerit. Quia cum agatur de iure Monasterij, quod habet ad non subministranda alimenta, non potest actus solius superioris in hoc præiudicare Monasterio. Neque enim in ijs, quæ sunt de iure Monasterij potest Prælatus se solo procedere, sed debet procedere cum consensu Capituli. Cap. *Quod quibusdam*. De *fideius.* Cap. *Sine exceptione.* 12. *quæst.* 2. Cap. *Nouit.* Cap. *Quanto.* Cap. *Ea noscitur*. De *his, quæ fiunt à Prælatis*. Vnde, cum ius resistat, non est opus reclamatione capituli, quia lex resistens actioni pro Capitulo contradicit, siquidem semper loquitur. *l. Ariani*. *C.* De *hæreticis*.

An Prælati Regulares possint dispensare suos subditos super recitatione horarum Canonicarum. Quæst. 196.

SVMMA.

1 *Priuilegia Regularium dispensandi super recitatione horarum canonicarum.*
2 *Priuilegium amplissimum super dispensatione recitationis horarum canonicarum concessum Theatinis.*

---

1 EXtant diuersa priuilegia, per quæ poterant Prælati dispensare suos subditos super recitatione horarum canonicarum. sed quia fuerunt viuæ vocis oraculo concessa, ideo cum hæc sint sublata ab Vrbano VIII. nihil amplius prosunt. Extat etiam priuilegium à Paulo III. concessum Clericis Regularibus S. Pauli Decollati *in Bulla.* Dudum *felicis. VIII. Kal. Augusti. anno* 1535. & est *Constitutio 5. eiusdem. Pontificis tom.* 1. *Bullarij*, vt possit Prælatus dispensare cum infirmis, & occupatis circa infirmorum curam. Vnde. §. 8. ita habet. *Nec non, vt dictus superior vester pro tempore existens Clerici, & socij vestri, qui in infirmitate grauati, aut circa infirmorum in domibus vestris morantium curationem adeo impediti fuerint, vt congruum ei tempus ad diuinorum officiorum recitationem non superfit, vt infirmitate, aut circa infirmos occupatione huiusmodi durante certum Psalmorum per ipsum superiorem eis assignandorum numerum non minus septem, aut sex cum diuisione, & orationem Dominicam septies, ac symbolum Apostolorum bis, grauiter autem ægrotantibus orationem Dominicam semel, & salutationem angelicam septies in die recitando septem horis canonicis, & toti diuino officio satisfecisse censeantur. Et cum quibusuis clericis, & socijs vestris super præuentione, & postpositione temporis recitationis horarum canonicarum aliqua subsistente causa legitima dispensare.* Hoc tamen priuilegium quò ad inseruientes infirmis, si attentè inspiciatur, nihil concedit, quod aliàs non liceat. si enim cura infirmorum ita occupet, vt non relinquat congruum tempus pro recitatione, non adest obligatio recitandi horas canonicas, quia cura infirmorum tanquam maius bonum præponderat obligationi recitandi. Nisi fortè, cum simus in fauorabilibus, congruum tempus sumatur amplè pro illo, quod sufficiat, vt cum commoditate possit satisfieri obligationi. Sic etiam nihil concedit quò ad præuentionem, vel postpositionem temporis, quod aliàs non liceat, nam etiam sine peccato veniali ex causa legitima postponi, vel præueniri potest tempus recitationis. imo consuetudo hoc licitum fecit etiam nulla existente causa.

2 Amplissimum verò priuilegium quò ad hoc concessit Clemens VII. Clericis Regularibus Theatinis *sud die* 21. *Ianuarij anno* 1529. *Pontificatus sui anno VI.* quod incipit. *Exponi nobis* & seruatur in authentica forma in Archiuio S. Syluestri Montis Quirinalis. in quo dat facultatem Prælatis, vt non solum cum infirmis possint dispensare super recitatione horarum canonicarum; sed etiam cum inseruientibus infirmis, & occupatis in concionando, audiendis confessionibus, & in studijs sacræ theologiæ, & sacrorum canonum. Cum enim præmisisset petitionem his verbis. *Exponi nobis nuper fecistis, quod cum vos sub trium votorum substantialium emissione vitam clericalem piè ducere, ac prædicationi verbi Dei, audientiæ confessionum, sacræque theologiæ, & sacrorum canonum studijs ad vestrarum, & aliorum Christi fidelium animarum profectum, vacare, quemadmodum, vos decet, decreueritis, desideratis vobis in perpe-*

perpetuum concedi, vt superiores vestri Præpositi nuncupati pro tempore existentes cum Clericis, & socijs vestris, qui in supradictis pietatis operibus, aut studio litterarum sacrarum pro tempore occupabuntur, seu infirmitate; aut infirmorum curatione, & ministerio præpedientur, super recitatione diuinorum officiorum ad hoc, vt ipsi occupati, vel impediti certum Psalmorum per ipsos superiores eis assignandum numerum, non minus septem, aut sex cum diuisione, ac orationem dominicam septies, symbolum verò Apostolorum bis. grauiter autem ægrotantes orationem dominicam semel, & salutationem Angelicam septies in die recitando septē horis canonicis, & toti diuino officio satisfecisse censeantur &c. dispensare possint. Deinde subiungit concessionem, quæ talis est. *Nos igitur vobis piam vitam ducentibus, & vineam Domini excolere satagentibus nostrum libenter fauorem impertientes, gratijsque spiritualibus vos dignos censentes huiusmodi supplicationibus inclinati vobis in perpetuum, vt Superiores vestri Præpositi nuncupati pro tempore existentes cum Clericis, & socijs vestris, qui in supradictis pietatis operibus, aut studio litterarum sacrarum occupabuntur, seu infirmitate, aut infirmorum curatione, & ministerio pro tempore præpedientur. Super recitatione diuinorum officiorum ad hoc, vt ipsi occupati, vel impediti certum Psalmorum per ipsos superiores eis assignandorum numerum non minus septem, aut sex cum diuisione, ac orationem Dominicam septies, symbolum verò Apostolorum bis; grauiter autem ægrotantes orationem Dominicam semel, & salutationem Angelicam septies in die recitando septem horis canonicis, & toti diuino officio satisfecisse censeantur. & cum quibus Clericis, & Socijs in præueniendo, vel postponendo; vniēdo, diuidendo in communi, vel speciali horas canonicas, ac in breuiandis, vel protelandis lectionibus &c. dispensare possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.* Quod etiam de nouo concedit idem Pontifex *in Bulla*, quæ incipit, *Dudum pro parte vestra. sub die 7. Martij* 1533. & est. 38. *eiusdem Pontificis tom.* 1. *Bullar. veteris.* Hoc autem priuilegio vti possunt omnes Regulares, qui habent communicationem priuilegiorum.

3 Circa huiusmodi autem priuilegiū est notandum. Quod, vt habeat locum dispensatio in virtute ipsius, non est necesse, quod infirmitas sit talis, vt ex se excuset, iuxta Cap. *Clericus victus. Dist.* 91. & notant Abbas, & Innocent. *in Cap.* 1. *De celebrat. missar.* Nauar. *in Manuali Cap.* 25. *num.* 100. Azor *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 13. *quæst.* 1. Suarez *tom.* 2. *De relig. lib.* 4. *De orat. cap.* 28. *num.* 19. nam tunc non est opus dispensatione; sed sufficit, vt sit talis, vt sit incompatibilis cum recitatione diuini officij. Imo cum Pontifex distinguat inter grauem infirmitatem, pro qua concedit commutationem horarum canonicarum in recitationem orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ septies repetitæ, sequitur, quod facultas dispensandi, seu commutandi recitationem horarum canonicarum in recitationem septem, aut sex Psalmorum, & septies Orationis Dominicæ, & bis Symboli Apostolorum sit etiam pro ijs, qui non grauiter ægrotant.

4 Quod autem spectat ad occupatos in curæ infirmorum, in concionibus, in audiendis confessionibus, & in studijs sacrarum litterarum, cum huiusmodi occupatio possit esse talis, vt de se excuset, vt docent Nauar. *in Manuali Cap.* 25. *num.* 101. & *Cap.* 11. *De orat. num.* 34. Syluester *verbo.* Horæ canonicæ. *num.* 18. Aragon. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. *dub.* 4. *controuer.* 2. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 14. *causa* 2. Laiman. *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 1. ver. *Tertia est.* Reginal. *lib.* 18. *Praxis fori pœnit. num.* 187. Suarez *tom.* 2. *de religione. tract. De orat. lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 32. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 9. *quæstio* 8. & 9. Bonacina *De horis canon. disp.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 3. Lezana *tom.* 1. *quæst. regular. cap.* 12. *num.* 25. Basseus *in Florib. theol. pract. verbo.* Horæ canonicæ 6. *num.* 4. Palaus *par.* 2. *oper. moral. tract.* 7. *disp.* 2. *de Horis canon. punc.* 6. *num.* 2. & alij communiter. Sequitur, quod dictum priuilegium operetur, quando tales occupationes de se non sufficerent ad excusandum, quia tunc subintrat dispensatio, quando

quando lex aliàs obligat. quia ſi ex aliquo accidēti in caſu ſpeciali deſinit obligare, non habet locum diſpenſatio, quia, cum ſit relaxatio obligationis, quæ prouenit ex lege Cap. *Neceſſaria*. Cap. *Diſpenſationes*. Cap. *Tanta*. Cap. *Si qui*. 1. *quæſt*. 7. ſupponit, quod perſeueret obligatio legis.

5 Ex his ergo colligitur. Quod vt poſſit diſpenſari ſuper recitatione horarum canonicarum cum ijs, qui vacant curæ infirmorum, non eſt neceſſe, quod non ſuperſit congruum tempus pro recitatione, ſed ſufficere, ſi talis cura requirat quandam continuam aſſiduitatem, etiam ſi aliàs ſit compatibilis cum recitatione. Et hoc verum eſt, ſiue curam exerceat plurium infirmorum, ſiue etiam vnius tantum, dummodo requirat talem aſſiſtentiam, vt ſit rationabilis cauſa pro diſpenſatione.

6 Secundò colligitur. Occupatos in audiendis confeſſionibus poſſe diſpēſari in ijs diebus, in quibus aſſiduè huic officio pietatis vacant, vt cōtingit in diebus proximis ante Paſcha, aut alteram feſtiuitatem præcedentibus, in quibus adeſt concurſus magnus penitentium, aut tempore iubilei, aut quauis alia occaſione, quando in hoc exercitio inſumendus eſt totus fere dies, ita vt occupatio in tali munere ſit notabilis; tunc enim eſt cauſa rationabilis, & ſufficiens pro diſpenſatione; quia agitur de bono, & vtilitate plurium, quæ reſultat ex tali officio pietatis, & ideo agitur de publico commodo: vnde habet locum, quod ait Trident. *Seſſ*. 25. *cap*. 18. *De reformat*. leges eſſe relaxandas, vt communi vtilitati ſatisfiat, & quod ait D. Th 1. 2. *quæſt*. 95. *art*. 4. quod ad fidelitatem diſpenſatoris pertinet, vt in diſpēſando reſpiciat ad commune bonum. Vnde confeſſarij extraordinarij Monialium poterunt frui beneficio huius priuilegij, cum totum fere diem inſumant in audiendis illarum confeſſionibus.

7 Colligitur tertiò. Concionatores, qui quotidie in quadrageſima concionantur, poſſe diſpenſari ſuper recitatione horarum canonicarum, dummodo tamen non ita memoriter teneant conciones, vt ſine vllo fere ſtudio concionentur. Vt enim concionari ſit cauſa ſufficiens pro diſpenſatione, debet interuenire ſtudium, quod occupet concionantem, nam Pontifex concedit priuilegium pro occupatis. Non dicitur autem occupatus, qui ſolum detinetur à munere concionandi pro illo tempore, in quo concionatur, aut alio exiguo tēpore in ſtudendo, cum ſuperſit vacua à tali occupatione non ſolum maior pars diei, ſed etiam totus fere dies. Hinc etiam qui aliquo die pluries concionaretur, ſed cum ſtudio, poſſet pro illo die diſpenſari, quia eſſet verè occupatus in tali munere, nam totus fere dies in ipſo inſumeretur partim in ſtudio, & partim in concionando. & regulariter omnes concionatores pro illis diebus, in quibus per totum fere diem occupātur in ordine ad concionandum.

8 Quod verò ſpectat ad Lectores colligitur quartò. Lectores Theologiæ, Sacræ ſcripturæ. Sacrorum Canonum, Caſuum conſcientiæ poſſe diſpenſari, quando actualiter legunt pro ijs diebus, in quibus ita occupati ſunt in ſtudio pro lectione, vt continuò illi vacent per totum fere diem, aut ſaltem per maiorem partem. Nam ſi occupatio eſſet talis, vt non relinqueret tempus opportunum pro recitatione diuini officij, non opus eſſet diſpenſatione, ſed ex natura rei ceſſaret obligatio, vt notat Palaus *par*. 2. *oper. moral. tract*. 7. *de orat. diſp*. 2. *de Horis canon. punct*. 6. *num*. 2. Quod, etiam extenditur ad ſcholaſticos Theologiæ, Sacræ ſcripturæ, Canonum, Caſuum conſcientiæ pro illis diebus, in quibus plus ſolito occupantur ſtudio, vel ob publicas diſputationes ſubſtinendas, vel ob examen ſubeundum; vel ex alio capite, nam etiam hi verè occupantur in ſtudio ſacrarum litterarum. Non tamen hoc priuilegium extenditur ad Lectores Philoſophiæ, Mathematicæ, aut aliarum ſcientiarum, quæ non ſint ſacræ, nec ad Magiſtros grammaticæ, quia eſt tantum conceſſum pro occupatis in ſtudio ſacrarum litterarum.

9 Deni-

9 Denique colligitur. Omnes Regulares, qui quocunque modo occupantur in studio sacrarum litterarum, posse frui beneficio dicti priuilegij, etiam si non esset stud'um necessar.um, quia non requirit Pontifex, vt occupatio sit necessaria, sed absolutè concedit priuilegium pro occupatis. Si enim voluisset concedere solum pro occupatis occupatione necessaria, & quæ differri non possit, id expressisset. *l. vnica*. §. *Sin autem*. C. De *cad.ic. tollen.* & *l. Si Seruus*. §. *Prætor ait.* ver. *Non dixi. ff.* De *acquir. hæred.* & Cap. *Ad audientiam*. 2. De *decimis*. & Cap. 2. *De transact. Prælat.* Hinc poterunt frui priuilegio prædicto ij, qui studijs vacant, & scribunt, vt aliquid typis edant, dummodo concernat sacras litteras, & per totum fere diem in hoc studio occupentur. Qui student in ordine ad consultandum apud S. Congregationes, quæ Romæ habentur, & in quibus agitur de ijs, quæ concernunt sacras litteras, vt sunt ea, quæ pertinent ad sacros ritus, Beatificationem, & Canonizationem sanctorum. Qualificationem propositionum, & alia huiusmodi.

An Regulares possint administrare Sacramentum Eucharistiæ in alienis Ecclesijs. Quæst. 197.

SVMMA.

1 *Priuilegium Pij V. concessum, Theatinis administrãdi Eucharistiam in alienis Ecclesijs.*
2 *An ex vi dicti priuilegij possint Regulares administrare Eucharistiam in Parochialibus.*
2 *Dictio*, Quibuscunque, *vniuersalis est, & omnia complectitur.*
2 *Comprehendit etiam casus priuilegiatos.*
2 *Dictio*, Etiam, *exprimit casum magis dubitabilem.*
3 *An sit necessaria licentia Parochorum vt Regulares possint in Parochialibus Eucharistiam administrare.*
3 *An Parochi possint resistere, ne ministrent.*
3 *Si resistant an possint coerceri censuris ecclesiasticis.*
4 *Impedientes, aut molestantes, aut inquietantes Regulares super vsu suorum priuilegiorum incurrunt diuersas pœnas.*
5 *Peccant mortaliter.*

1 Adest priuilegium Pij V. cõcessum Clericis Regularibus Theatinis *in Bulla*, quæ incipit. *Ad immarcescibilem. VII. Idus Februari. anno* 1567. & est 31. *eiusdem Pontificis tom. 2. Bullarij veteris*, per quod conceditur, vt in omnibus, & quibuscunque Ecclesijs, etiam ad se non pertinentibus siue ab ipsis confessis, siue ab alijs possint ministrare Sacramentum Eucharistiæ. Ita enim habetur §. 13. *eiusdem Bullæ*. Decernens *Congregationi Clericorum Regularium, ac tunc, & pro tempore existentibus Clericis Regularibus præfatis, vt ipsi, qui idonei forent, Eucharistiæ Sacramentum in omnibus, & singulis, etiam ad eos non spectantibus Ecclesijs quibuscunque vtriusque sexus Christi fidelibus debite etiam non per eos, sed alios confessis, & aliàs, vt moris est, administrare.* Vnde omnes Regulares, qui communicant in Priuilegijs, poterunt tali beneficio frui.

2 Vnde poterunt ministrare Sacramentum Eucharistiæ etiam in Ecclesijs Parochialibus, non solum propter clausulam, *Quibuscunque Ecclesijs ad se non pertinentibus*, appositam in Priuilegio, quæ vniuersalis est omnia complectens, vt notant Riminal. iun. *Consil.* 450 *num.* 35. *vol.* 4. Rolan. *Consil.* 5. *num.* 44. *vol.* 1. Honded. *Consil.* 64. *num.* 4. *vol.* 1. Menoch. *Consil.* 335. *num.* 23. Marta *De iurisdict. par.* 4. *Centur.* 2. *Casu* 130. *num.* 7. Dec. *Consil.* 599. *num.* 2. & 3. Ruin. *Consil.* 18. *n.* 19. *lib.* 2. Rota *Decis.* 791. *par.* 1. *Diuersor.* Et habet tàm efficacem significationẽ, vt comprehendat etiam casus priuilegiatos.

tos. arg. ex *l. Fraudem. §. fin. ff.* De *testam. milit. & l. vnica.* ver. *Sponsum.* C. De *rapt. virg.* & tradunt Crauet. *pro Repub. Sauil. num.* 60. & 62. Tiraquel. *in l. Si vnquàm. in præfat. num.* 116. C. De *reuocan. donat.* Gutierez *lib.* 1. *quæst. canon. cap.* 34. *num.* 57. Sed etiam, quia adest dictio, *Etiam*, quæ exprimit casum magis dubitabilem. *l. Etiam. ff.* De *verbor. significat.* & *l. Conuenticula*. C. De *Episcop. & Cler.* & Cap. *vnico.* De *commodato*. & Clement. *Religiosi*. De *præscriptionib.* & Clemen. *vnica. §. fin.* De *supplen. negligen. Prælat.* & Clemen. *Nolentes* . ver. *Et tam.* De *hæreticis.* vbi Cardin. *num.* 1. Decius *in l. Quamquam. num.* 10. C. De *testam. milit.* Geminian. *in Cap. Cum de beneficio. num.* 7. De *præbend. in* 6. Corneus *Consil.* 163. *n.* 4. *vol.* 2. Socin. *Consil.* 23. *num.* 7. *vol.* 1. Paris. *Consil.* 41. *num.* 5. *vol.* 4. Socin. iun. *Consil.* 41. *num.* 23. *vol.* 3. Alexan. *Consil.* 116. *num.* 14. *lib.* 2. Menoch. *Consil.* 116. *num.* 8. Surd. *Consil.* 303. *num.* 15. Rota apud Farinac. *Decis.* 689. *num.* 4. *in Nouissimis*, & *Decis.* 721. *num.* 6. & 7. *par.* 2. *Recent.* & *in Romana pecuniaria.* 26. *Maij* 1627. *coram Virili*. Vnde cum magis dubitari possit de Ecclesijs parochialibus, quàm de alijs, pro his etiam erit concessum priuilegium.

3 Neque pro vsu huius priuilegij opus est licentia Parochi, quia cum ipsa, etiam absque priuilegio, possunt dictum Sacramentum ministrare. Vnde vt priuilegium aliquid operetur, debet intelligi sine licentia Parochorum. Quia vbi interuenit auctoritas superioris, qualis est auctoritas Summi Pōtificis, quæ operatur in vsu priuilegiorum, non est opus licentia inferioris. Imo nec Parochi possunt resistere. & si resistant, coerceri possunt censuris ecclesiasticis, vt conceditur in eadem Bulla Pij V. §. 21. ibi. *Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis*. Vnde peccant mortaliter, quicunque obstant exequutioni huius priuilegij, quia indebitè impediunt ius alienum in re graui.

4 Et generaliter, qui impediunt, & molestant Regulares super vsu suorum priuilegiorum, incurrunt diuersas pœnas, vt in fauorem Prædicatorum & Minorum, & consequenter omnium communicantium cum ipsis in priuilegijs, decreuit Sixtus IV. *in Bulla maris magni Prædicatorum, & Minorum*, quæ incipit. *Regimini*, & est 34. *eiusdem Pontificis apud Rodriquez in eius Bullario*. Ita enim habet. §. 54. *Districtius inhibentes iisdem locorum Ordinarijs sub interdicto ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum; & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & alijs quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earumdem parochialium Ecclesiarum, & omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent; nec non inhabilitationis ad illa, & alia imposterum obtinenda pœnis eo ipso per eos, qui contrafecerint, incurrendis, ne Ordines prædictos Prædicatorum, & Minorum, ac illorum domos, & professores contra priuilegiorum eis concessorum tenorem molestare, aut inquietare præsumpserint*. Quod etiam aduertit Peirin. *tom.* 1. *priuileg. ad Constit.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *num.* 19.

5 Et similis prohibitio facta est etiam à Pio V. in fauorem P. Minimorū in Constitutione, quæ incipit. *Apostolicæ sedis benignitas. sub die* 9. *Nouemb.* 1567. quæ est 3. *eiusdem Pontificis apud Peirin. De priuilegijs*, vbi hæc habentur. §. 3. *Districtius in virtute S. Obedientiæ, ac alijs arbitrio nostro infligendis pœnis inhibentes locorum Ordinarijs, ac alijs quibuscunque, ne eosdem Fratres Ordinis Minimorum contra eis sic concessa priuilegia molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant.* Quo priuilegio similiter gaudent omnes Regulares, qui habent communicationem. Ex quibus omnibus cōstat, quod præter pœnas, de quibus in dictis constitutionibus, & quas incurrunt, quicunque impediunt vsum priuilegiorum Regularibus, peccant etiam mortaliter, quia in re graui contraueniunt

niunt præcepto Pontificis. & quia prædictæ pœnæ non haberent locum, nisi supponerent peccatum mortale, cum ratione grauitatis pro solo mortali infligi possint.

An Regulares possint ministrare Sacramentum Pœnitentiæ in alienis Ecclesijs. Quæst. 198.

SVMMA.

1 *Approbatus ab Ordinario non indiget licentia Parochi, vt audiat confessiones in eius Parochia.*
1 *Potest audire contradicente Parocho.*
1 *Priuilegium quò adhoc pro Regularibus.*
2 *An sine licentia Parochi possint Regulares audire confessiones sæcularium in Parochialibus Ecclesijs.*
3 *Facultas audiendi confessiones in Regularibus est priuilegium personale.*
4 *Priuilegium personale sequitur personam.*
4 *Priuilegium personale concessum à Pontifice valet in omni loco.*
5 *Regulares possunt audire confessiones in tota diœcesi, pro qua sunt approbati.*
6 *Valet argumentum de loco ad personam, & econtra.*
7 *Regulares sunt coadiutores Parochorum deputati à Summo Pontifice*
8 *Parochus potest audire confessiones suorum Parochianorum in aliena Diœcesi.*
8 *Regulares possunt extra diœcesim audire confessiones Diœcesanorum pro quibus sunt approbati.*
9 *Audire confessiones est actus iurisdictionis voluntariæ.*
9 *Iurisdictio voluntaria potest exerceri in alieno territorio.*
9 *Episcopus in aliena diœcesi potest absoluere proprios subditos à censuris.*

1 Conueniunt communiter, quod non sit necessaria licentia Parochi, vt approbatus ab Ordinario possit audire confessiones in eiusdem Parochia. Ita inter alios docent Glos. *in Clement. Dud m.* verbo. *Liberè.* De *Sepulturis*, vbi & cœteri Canonistæ. D Th. *Opusc.* 19. *contra impugn. relig. Cap.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. D. Antonin. 3. *par. tit.* 17. *cap.* 9. Medina *C. De confess. quæst.* 33. Petrus Sotus *Lect.* 5. *De confess.* Suarez *disp.* 26. *de pœnit. sect.* 1. Henriquez *lib.* 3. *de Pœnit. Cap.* 12. Reginal. *lib.* 3. *praxis Fori pœnit. num.* 46. *&* 47. Zerola *in praxi. cap.* 15. *quæst.* 3. Nauar. *Cap. Placuit. num.* 57. *De pœnit. Dist.* 6. Coninch. *Disp.* 8. *de Sacram. dub.* 3. Bonac. *disp.* 5. *de Sacram. Quæst.* 7. *de pœnit. punct.* 4. §. 1. *num.* 18. ver *Hinc ergo*. Imo etiam contradicentibus Parochis, vt docent Syluester *verbo*. Confessor. 2. *quæst.* 1. §. *Requiritur*, & cœteri Summistæ *verbo eodem*. Megal. *par.* 1. *Inst t. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 14. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 44. *ar.* 14. *conclus.* 2. Rodriquez *in Compen. quæst. Regular. Resol.* 32. *num.* 13. Tamburin. *De iure Abbat. tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 13. *num.* 1. Portel. *in Dub. regular. verbo.* Confessor Regularis. *num.* 8. Peirin. *De priuileg. in Addit. ad Constit.* Sixti IV. *cap.* 2. *num.* 23. Ratio autem est, quia siuè habeat iurisdictionem à Summo Pontifice, siuè ab Episcopo, talis iurisdictio est independens à Parocho, & ideo non potest Parochus eius exercitium impedire, quia non potest ire contra voluntatem sui superioris, qui habet iurisdictionem in illa Parochia. Et adest etiam pro Regularibus priuilegium Alexandri IV. concessum Fratribus Minoribus, vt in *Compendio Priuileg. verbo*. Absolutio *quò ad sæculares* 2. §. 1. per quod conceditur, vt independẽter à Parochis possint quorumcunq. confessiones audire. Et habetur etiam ex Clement. *Dudum*. De *Sepulturis*. Vnde Parochi cum non possint ire contra concessiones Summorum Põtificum, frustra reclamarent; & non essent audiendi. imo incurrerent in pœnas latas contra molestantes Regulares supra indultis, & priuilegijs proprijs, de quibus *quæst. præcedenti*.

2 Sed dubitatur, an Regulares possint in alienis Ecclesijs etiam Parochialibus

libus audire confessiones sæcularium. In qua difficultate Bordon. *in Consil. Regular. Resol. 36. num.* 53. resp. negatiuè, sed grauiter peccare, si audiant, quia perturbant alienam iurisdictionem; & subdit, posse puniri ab Episcopis, quia delinquunt circa munus confessionis. Citat Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regular. quæst.* 60. *art.*4. & *Compendium ipsius Resol.* 32. *num.* 13. Portel. *in Dub. Regular. verbo*. Confessor. *num.*8. Sed in his locis hoc non tradunt, solum Portel ait, quod petenda est licentia, sed an peccet, qui non petit, non vult resoluere.

3 Verum, si loquamur de iure, non mihi videtur necessaria talis licentia, etiam pro ipsa Ecclesia Parochiali; nec posse Parochos impedire Regulares, quin in suis Ecclesijs audiant confessiones, quamuis ex quadam æquitate expediens sit petere talem licentiam. Hoc sequitur ex doctrina eorum, qui docent, facultatem audiendi confessiones esse priuilegium personale, quod non est affixum loco Ecclesiæ Regularium, sed sequitur ipsam personam, & proinde potest illo vti in omni loco. Ita Miranda *tom.*1. *Manual. quæst.* 45. *art.* 14. *conclus.* 3. *in fine*. Villalob. *par.* 1. *Sum. tract.*9. *difficul.*54. *num.*2. ver. *Los Religiosos*. Rodriquez *in Compend. Quæst. Reg. Resol.* 32. *num.*16. Tamburin. *tom.* 2. *De iure Abbat. disp.* 6. *quæst.* 13. *num.*4. ver. *Ex quibus*.

4 Cum enim priuilegium personale sequatur personam. *l. In omnibus. ff.* De *regulis iuris*. & Cap. *Priuilegium. De regulis iur. in* 6. potest priuilegiatus vti tali priuilegio in omni loco, saltem intra territorium concedentis. Vnde cum Summus Pontifex non habeat limitationem territorij, priuilegia personalia ab ipso concessa non habebunt limitationem loci, sed priuilegiatus vbique ijs poterit vti, vt inter alios notat Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 26. *num.*1. Cum ergo Regulares habeant priuilegium à Pontifice audiendi confessiones, & iurisdictionem ab ipso ex Clement. *Dudum*. De *Sepulturis*; nec requiratur nisi præsentatio facta à superiore coram Episcopo, & ex Tridentino approbatio ab eodem Episcopo, & hoc priuilegium sit personale, poterit approbatus hāc facultatem exercere in quocunque loco diœcesis, in qua fuit approbatus, atque adeo etiā in Ecclesijs Parochialibus; nec Parochi poterunt impedire, quia non possunt ire contra facultatem concessam à Summo Pontifice, sicut non posset Episcopus impedire, ne quis in sua Diœcesi vtatur priuilegio concesso à Pontifice contra statuta eiusdem Episcopi.

5 Quod præsertim confir. ex eadem Clement. *Dudum*. De *Sepulturis*. nam tota Ciuitas, & Diœcesis assignantur, in qua Regulares possint confessiones audire. ibi. *Ad præsentiam Prælatorum eorundem locorum se conferant per se, Fratres, quos ad hoc idoneos fore putauerint, humiliter petituri, vt Fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium audire liberè valeant*. Ex quibus constat, quod facultas audiendi confessiones non coarctatur ad locum, sed est extensa ad totam Ciuitatem, & Diœcesim. Et infra coarctans facultatem audiendi cōfessiones restringit ad Ciuitatem, & Diœcesim, ita vt solum extra ipsam nō possint audire: ita enim habet. *Et beneficium absolutionis imposterum impendant, prout superius est expressum, extra Ciuitates, & Diœceses, in quibus fuerint deputati, per quas eos volumus, & non per prouincias deputari, confessiones nullatenus audituræ*. Cum ergo Ciuitas, & Diœcesis sint sphera deputata, intra quam possint audire confessiones, poterunt in quacunque Ecclesia Ciuitatis, & Diœcesis audire.

6 Rursus. Non minus Parochiani sunt sub iurisdictione Parochi, quàm sit Ecclesia Parochialis, & tamen, quia Regulares habent facultatem à Summo Pontifice audiendi quorumcunque confessiones ad se venientium, & approbationem ad Ordinario, possunt Parochianorum confessiones audire, etiam inuitis ipsis Parochis non obstante, quod sint de eorum iurisdictione. ergo quia habent facultatem à Pontifice audiendi

Con-

Confessiones in Ciuitate, & Diœcesi ex citata Clement. *Dudum*. *De Sepulturis*. & sunt approbati ab Ordinario pro Ciuitate, & Diœcesi, poterunt audire in quacunque Ecclesia Ciuitatis, & Diœcesis; quia valet argumentum à loco ad personam, & à persona ad locum. *L.* 1. §. *Officius. ff.* Ne *quis eum, qui in ius.* & Cap. *Peruenit*; & Cap. *Cum Ecclesia*. De *immunit. Eccles.* & notant Petrus Ancharan. *Consil.* 11. *num.* 7. ver. *Et in quinto*. Socin. iun. *Consil.* 52. *num.* 8. *vol.* 2. Rimi nal. *Consil.* 118. *num.* 106. *vol.* 2. Dec. *Consil.* 1. *num.* 127. *vol.* 2. Tusch. *littera A. conclus.* 502. *num.* 3. Euerar. *loco* 41. *in* 18. *specie loci à simili*.

7 Et ex eo quoque colligitur, quod Regulares sunt coadiutores Parochorum deputati à Summo Pontifice, vt desumitur ex dicta Clement. *Dudum*. De *Sepulturis*. ibi *Tamquam cooperatores eorum idoneos*, vt notat etiam Rodriquez *tom.* 3. *quæst.* 31. *art.* 4. ver. *Quod ego*. & ibi præcipit Pontifex, quod eos tamquam tales nempe cooperatores admittant, ergo cum non possit inferior impedire coadiutorem sibi datum à superiori in proprio officio, non poterunt Parochi impedire, quin Regulares in Parochialibus Ecclesijs audiant confessiones.

8 Denique Parochus potest audire confessiones suorum Parochianorum, dum est extra Parochiam; imo etiam in aliena Diœcesi, vt communiter docent Ripa *De remed. ad curand. pest.* §. *Sed quia n.* 53. & 63. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 7. *art.* 5. *dub.* 9. Angles. *in Florib.* 1. *par. quæst.* 3. *de Confess. ar.* 8. *dub.* 4. *conclus.* 2. Bartholom. Ledesma *De Sacramen. dub.* 23. *de pœnit. Casu* 4. Imola *in Clement. Dudum. num.* 32. De *Sepult.* qui alios citat. Cardin. *ibid.* §. *Statuim. quæst.* 5. *dub.* 3. ver. *Sed de illis.* Rosella *verbo.* Confessio Sacramẽtalis. 3. *num.* 16. Syluester. *verbo*. Confessor. 1. *quæst.* 14. Tabiena *verbo*. Absolutio. 1. *quæst.* 33. *num.* 55. Nauar. *Cap.* 27. *Manual. num.* 266. Adrian. *in* 4. *quæst.* 5. *de confess. ante dub.* 1. ver. *Ideo pro solutione*. D. Antonin. 3. *par. tit.* 17. *cap.* 10. *in fine* Alexan. *lib.* 1. *Sum. cap.* 3. *de potest. confessar. num.* 28. ver. *In aliquo tamen*. Hostiens. *in Sum. Tit. De pœnit. & remis.* §. *Cui confitendum*. Præposit. *in Cap. Qui in aliquo. Dist.* 51. Capic. *Decis.* 202. *num.* 15. Rodriquez *in Bullam Cruciatæ*. §. 6. *n.* 7. Suarez *De Sacram. disp.* 28. *Sect.* 6. *num.* 4. Henriquez *lib.* 6. *Sum. cap.* 7. *num.* 1. Sayr. *lib.* 2. *Thesauri*. *cap.* 21. *num.* 2. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 34. *num.* 1. ver. *Pro eadem sententia*. Garzias *par.* 5. *de Benef. cap.* 8. *num.* 128. Valer. *in Different. vtriusque fori*. *verbo*. Absolutio. *Different.* 1. *num.* 4. Floronus *De casib. reseruat. par.* 1. *cap.* 4. §. 12. *num.* 3. Bossius *De Iubileo. Sect.* 3. *Casu* 2. §. 6. *num.* 195. Victoria *in Sum. Tit. De confess. num.* 152. Couaruu. *Cap.* 11. *pract. num.* 4. Tolet. *lib.* 3. *Sum. cap.* 13. *in fine*. Zerola *in Praxi Episcopali. par.* 1. verbo. *Parochus*. Chamerota *De Sacram. tract.* 7. *de Confess. dub.* 14. Graf. *lib.* 1. *De casib. reseruat. Cap.* 4. *num.* 57. Hurtad. *De Sacram. disp.* 10. *de pœnit. difficul.* 4. ver. *Obseruandum*. Piasec. *par.* 2. *Praxis Episcopor. cap.* 1. *num.* 10. *ver. Suum.* Reginal. *lib.* 1. *Praxis fori pœnit. num.* 93. & 94. Homobon. *par.* 1. *exam. Eccles. tr.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 16. Molfes. *par.* 1. *Sum. tr.* 7. *cap.* 15. *num.* 89. Campanil. *in Diuer. iur. can. Rub.* 12. *cap.* 13. *num.* 71. Torreblan. *in pract. iur. spiritual. lib.* 14. *cap.* 2. *n.* 20. Barbosa *De paroch. cap.* 19. *num.* 5. Megal. *par.* 1. *Instit. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 25. Quorum plures id docent non solum de Parochis, sed etiam de Regularibus quò ad illos, qui sunt de Diœcesi, pro qua sunt approbati. Quibus etiam quo ad Regulares accedunt Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regular. quæst.* 60. *art.* 5. & 7. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 45. *art.* 14. *conclus.* 3. Beia *par.* 4. *casu.* 20. ver. *Collige*. Peregrin. *in Compend. Priuileg. Cler. Reg. verbo*. Absolutio quò ad Sæculares *in Scholio*. Diana *par.* 1. *tr. De Sacramen. resol.* 144. Hieron. Rodriquez *in Compen. Quæst. Reg. Resolut.* 32. *num.* 14. Bordon. *in Consil. Regular. Resolut.* 36. *num.* 36. quia nimirum Parochi adhuc extra Diœcesim retinent suam iurisdictionem quò ad suos Parochianos, ergo cum etiam Regulares retineant iurisdictionem in quocunque loco Diœcesi, pro qua sunt approbati, poterunt ibi eam exercere, etiã si

ecclesia sit de aliena iurisdictione, cum hoc non impediat, sicut non imped't Parochos, quando sunt in aliena Diœcesi.

9 Neque dici potest. quod fiat iniuria parocho, & perturbetur eius iurisdictio. Quia cum audire confessiones, & absoluere sit actus iurisdictionis voluntariæ, si quidem causa non agitur inter partes, nec cum strepitu, non infert aliquod præiudicium, quia de iure iurisdictio voluntaria exerceri potest in alieno territorio. *l.2.ff.* De *offic.proconsul.* vbi Doctores, & Cap. *Nouit.* De *officio legati*, & notant Bart. *in l. vnicam.num.6. ff.* De *conf.* Couaruu. *lib.3. Variar. cap.20. num.8.* asserens, omnes ita sentire. Megal. *par.1. Instit. lib.1. cap.7. num.25. in fine.* Nauar. *Consil.14. num.3. De cland. despon.* Sanchez *lib.3. De matrim.disp.19. num.8.* Innocent. *in Cap. Nouit.* De *offic. legati.* Panorm. *num.3.* Oldrad. *Consil. 88.* Richar. *in 4. Dist.18.art.9. quæst.3.* Sum. Astens. *par.2. lib.7. tit.13. quæst.1. ar.4.* Angelus *verbo.* Absolutio.2.*num.5.* Syluester *verbo.* Absolutio.1.*num.11. dub. 2.* Tabiena *verbo.* Absolutio.2. *num.15.* ver. *Quæritur vndecimo.* Vnde posse Episcopum in aliena Diœcesi absoluere à censuris proprios subditos in foro fori, docent Gonzalez *ad Reg.8. Cancel.glos. 61. num.12.* Ledesma *2.par.4. quæst.26. ar.2. dub.1.* asserens, esse communem sententiam. Sayr. *lib.2. De censur.cap.21. num.28.* Barbosa *De potest. Episcopi. allegat.6. num.17.*

An statutum laicale obliget ecclesiasticos, si sit confirmatum à Summo Pontifice præsertim ex certa scientia.

Quæst.199.

S V M M A.

1 *Statutum laicale accedente confirmatione Pontificis fit papale.*
2 *Statutum laicale non extenditur ad personas ecclesiasticas.*
2 *Statutum extenditur solum ad subditos.*
2 *Laici nullam habent iurisdictionem in Ecclesiasticos.*
3 *Statutum laciale non habet locum inter laicos, quando agitur de re ecclesiastica.*
4 *Statuta laicalia ex confirmatione Pontificis non extenduntur ad Ecclesiasticos.*
4 *Confirmatio non extendit confirmatum extra suos limites.*
4 *Princeps confirmans statuta vnius ciuitatis non extendit ad aliam.*
5 *Confirmatio tantum operatur, quantum disponit confirmatum, & non vltra.*
5 *Non trahitur ad personas non inclusas in dispositione.*
6 *Confirmare, & de nouo dare sunt diuersa.*
6 *Confirmatio nil de nouo tribuit.*
6 *Tribuit solum validitatem intra proprios terminos, si sit ex certa scientia.*
7 *Quando statuta confirmata à Papa fiant papalia.*
7 *Statuta confirmata à Papa non dicuntur papalia, nisi vnum tantum specificè confirmet.*
8 *Quando Princeps sua faciat, quibus auctoritatem suam impertitur.*

1 VIdetur affirmatiuè respõdendum, quia statutum, laicale, quamuis ex se non extendatur ad ecclesiasticos, accedente tamen confirmatione Summi Põtificis, fit papale, vt docent Paris. *Consil.27. num.12. lib.3.* Crot. *Consil.35.n.46.* Gabr. *Consil.127. num.24. lib.1.* Vrsillus *ad Afflict. Decis.310. num.13. in fine.* Honded. *Consil. 4. num.42. lib.2.* Bar. *in l.Priuilegia.C. De Sacrosanc. Eccles.* Alexander *Consil.59. vol.1.* Abbas *in Cap. Eccles. S. Mariæ.* De *constit.* Dec. *ibid. num.17. & sequent.* Roman. *Consil.387. num 4.* Ruin. *Consil.130. num.8. vol.2.* Rolan. *Consil.86. num.28. vol.1.* Surd. *Consil.535. num.15. tom.4.* Thesaur. iun. *lib.2. quæst. forens. quæst.5. num.13.* Io. Anton.Bellon. *Consil.74. num.125.* Seraphin. *Decis.797.num.26.* Gratian. *Cap.10. Discep. forens.num.4.* Marta *par.4. De iurisdict.Cētur.1. casu 99.* Rota *Decis.452.n.1. par.1. Diuers.* Quia nimirum, inquit tex. Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur. *l.1. §. Omnia.*

tia.C. De *veteri iure enucl.* Et ita hanc partem tenet Bellet.*par.*1.*Disquisit.Clerical.* §.1. *De exempt. Cleric. &c. num.*44. Dominicus Picus *De contractibus sine certa for. non valit. ad stat. vrb. lib.*1. *cap.* 151.*Glos.*2. *num.*27. *& sequent.* Duran. *Decis.*365. *num.*2.*par.*2. Addition.*ad Ludouis. Decis.*576. *num.*18. & idem videtur etiam sentire Rota *Decis.*452. *n.* 1.*par.*1. *Diuers.* & in *Balneoregien. Bonorum*. 30. *Octobris* 1589. *coram Pamphilio*, & alibi.

2 Sed hæc doctrina difficultatem patitur. quia certum est, quod statutum laicale de se non extenditur ad personas ecclesiasticas, à quocunque conditum sit, nec ad ipsorum bona. Cap. *Ecclesia S.Mariæ*.De *Constitut.*& Cap.*fin.* De *reb. eccles.non alienan.* Decius *in citat.Cap.Eccles.n.*5.13.*&* 16.*Felin.n.*88. vbi & cœteri Doctores.Bart.*in l.fin.*C.De *pactis*.Angel. *ibid.circa finẽ.* Alexan.*Cons.*129.*vol.*1. Alber. *Bou. tract. Quod statutib.mas.&c. ar.*3.*prin quæst.*2.*in fine.* Io.Andr.*in Cap. Postulasti. circa fin.*De *foro cõpet.* Cinus.*in l.*2.*circa fin.*C.*Quæ sit lõga cõsuet.* Hostiẽs. *in dict.Cap.fin.* De *reb. Eccles. non alienan.* Quia statuta non plus extenduntur, quã extendatur potestas, & iurisdictio, & proinde non valet quò ad non subditos. *l.*1.*§.Hæc autem.ver. Et ideo. ff.*Quod *quisque iuris in alt.* & *l.*1.C. De *sum.Trinit.* vbi Doctores. & Cap. *A. nobis*.1.De *sent. excommunicat.* & Cap. *Quod autem*. De *pœnit. & remis.* & Cap.2 *De constit.in* 6.& notant Bald. *in l.fin.* C. De *iurisdict. om. iud.* Bart. *in l. Omnes populi. quæst.*1. *princip.ff.* De *iust. & iure*. Ecclesiastici autem nullo pacto subijciuntur laicis, nec laici habent in ipsos aliquam iurisdictionem. dicto Cap. *Ecclesia S.Mariæ*.De *constit.* ibi. *Nos attendentes, quod laicis, etiam religiosis, super ecclesiasticis personis, & Ecclesijs nulla sit attributa facultas imperandi.* Et Leo X. sacro approbante Concilio Lateranensi *sess.*9.*in Bulla*, quæ incipit. *Supernæ dispositionis arbitrio*. De *reformat. Curiæ*, *&c.* ibi. *Et cum à iure tàm diuino, quàm humano laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas attributa sit.* Neque de hoc est aliqua difficultas, cum ab omnibus rectè sentientibus admittatur.

3 Imo neque statutum laicale locũ habet inter laicos, quando agitur de re ecclesiastica, vt esset Emphiteusis Ecclesiæ, vt docent Abbas *in Cap Inter alia. num.*16. De *immunit. Eccles.* Grat. *Consil.* 110. *num.*36. *lib.*1. Rota *in Romana domus de Scapuccis*.19. *Ianuar.*1611. & *in Romana Domus ad S. Onuphrium*.26.*April.* 1626. *coram Durano*. Quia omnia quocunque modo ecclesiastica subtrahuntur à dispositionibus laicalibus, sicut subtrahuntur à iurisdictione.

4 Ex hoc autem infertur, quod dicta statuta laicalia per confirmationem Summi Pontificis etiam ex certa scientia non extendantur ad personas ecclesiasticas, dato quod non extendat expressè. Quia confirmatio non extendit confirmatum extra suos limites, sed solum intra ipsos dat robur, vt docent Dec. *in l.More num.*34.*ff.* De *iurisdict.om. iud.* & *in Rubr.De confir.vtili, vel inut.n.*5. Bald. *in l. Nominationes. in fine.* C. De *Appellat.* Menoch. *Consil* 704. *num.*36. & *Consil.*378.*num.*39. Socin.sen.*Consi* 159. *num.*30. *lib.*2. Ruin. *Consil.*48.*in fine.* & *Consil.*158.*num.* 16. *lib.* 1. Craueta *Consil.* 33.*num.*6. Archidiacon. *in Cap.Seruatis.* 25.*quæst.*2. *num.*2. Corneus *Consil.*224. *num.*1. *vol.*3. Alexan. *Consil.* 122. *num.*2. *lib.*4. Beroius *quæst.*50. *num.*2. Rota *in Romana personis domus.* 16. *Ianuar.* 1598.*coram Lancelloto*.Confirmatio namque cadit supra rem confirmatam secundum ipsius capacitatem, & ideo illam non extendit, sed relinquit intra suos limites. Quod satis ex eo patet, nam princeps confirmans statuta vnius ciuitatis non extendit ad alias sibi subiectas, quamuis iurisdictio confirmantis extendatur: vnde confirmatio nõ extendit statutum iuxta extensionem iurisdictionis confirmantis, sed relinquit intra proprios limites. Et ideo quamuis Pontifex habeat iurisdictionem supremam supra omnes ecclesiasticos, non per hoc quod confirmet statuta laicorum, censetur extendere ad ecclesiasticas personas.

5 Quod amplius confir. Confirmatio tantum operatur, quantum disponit confirmatum, & nihil vltra. *l.Aurelius.§.*

Testamento. ff. De *liber. legat.* & notant Bald. *in l. Nominationes. in fine.* ver. *Illud etiam certum.* C. De *appellat.* Alexan. *Consil.* 123. *num.* 20. *lib.* 4. Rota *in Perusina bonorum.* 20. *Aprtl.* 1592. *coram Penna.* & *in Romana Relocationis domus.* 13. *Martij* 1595. *coram Giptio*, & in dicta *Romana Pensionis domus.* 16. *Ianuarij.* 1598. *Coram Lancelloto.* Cum ergo statutum laicale non disponat, nec possit disponere de personis ecclesiasticis, neque eas obligabit ex eo, quod accedat confirmatio Pōtificia, quæ solum tantum operatur, quātum disponitur per tale statutum; & ideo operatur solum circa obligationem laicorum. Quod præsertim verum est, quia confirmatio intelligitur in terminis, in quibus statuta loquuntur, vt dixit Rota *in dicta Romana pensionis domus.* 16. *Ianuar.* 1598. *coram Lancelloto n.* 12. Statutum autem laicale de se loquitur solum de laicis. Et ideo confirmationē nō trahi ad personas non inclusas in dispositione, docēt Bald. *in Authen. Quibuscūque.* C. De *sacrosanc. Eccles.* Corn. *Cōs.* 9. *n.* 5. & *Cōs.* 25. *n.* 21. *vol.* 3. Ruin. *Consil.* 60. *num.* 3. Georg. Euerar. *Consil.* 28. *num.* 43. *vol.* 2.

6 Rursus confirmare, & de nouo dare sunt diuersa *l. Et quia. ff.* De *iurisdict. om. iud.* & notat Craueta *Consil.* 285. ver. *Sextò contra Baldum.* De natura namque confirmationis est, vt nihil de nouo tribuat Cap. *Inter dilectos.* §. *Porro.* De *fide instrument.* & notant Oldrad. *Consil.* 164. *in fine.* Dec. *in l. More. num.* 29. *ff.* De *iurisd. om. iud.* Bart. *in l. Priuilegia* C. De *sacrosanc. Eccles.* Ancharan. *Consil.* 190. Alexan. *Consil.* 122. *lib.* 4. Paris. *Consil.* 19. *n.* 13. *lib.* 1. & *Consil.* 33. *num.* 50. *lib.* 3. Rubeus *Consil.* 146. *num.* 6. Gozadin. *Consil.* 8. *n.* 19. Abbas *in Cap. Examinata.* De *confir. vtili &c.* vbi & cæteri Doctores cum Glosa *in Cap. Quia diuersitatem.* De *concess. præbend.* vbi similiter Doctores. Et si quando aliquid de nouo tribuit, vt cum sit ex certa scientia, & cum cognitione causæ, tribuit solum validitatem intra proprios terminos actus confirmati, ita vt faciat validum in suo genere, quod aliàs non erat validum. Cap. 1. & Cap. *Veniens.* De *transact.* & notant Dec. *in Cap.* 1. *num.* 8. De *confirmat. vtili, vel inut.* Paris. *Consil.* 3. *num.* 39. *lib.* 4. Vt autem statutum laicale obligaret ecclesiasticos, deberet confirmatio non solum tribuere valorem intra proprios limites, sed etiam tribuere nouam rationem dispositionis, quia cum sit conceptum solum pro laicis non potest extendi ad Ecclesiasticos, nisi acquirat ex noua facultate legislatiua nouam rationem alterius dispositionis.

7 Ad id autem, quod in contrarium allatum est, dici posset, quod tunc statuta confirmata à Papa dicuntur Papalia, quando aliàs seclusa confirmatione nullam haberent vim obligandi, sed ab ipsa confirmatione eam totaliter accipiunt; tunc enim huiusmodi statuta non subsistunt, nisi auctoritate confirmantis, & proinde ab ipso censentur condi, quod est iuxta doctrinam Bart. *in l. Omnes populi. quæst.* 3. *princ. quæstiun.* 4. ver. *Iuxta prædicta. ff.* De *iust. & iure.* Felini *in Cap. Cum accessissent. num.* 5. De *constit.* Bellon. *Consil.* 37. *num.* 8. Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 26. *num.* 16. Granadi 1. 2. *Controuer.* 7. *par.* 2. *tr.* 3. *disput. vlt.* Bonac. *disp.* 1. *De legib. quæst.* 2. *p.* 1. *num.* 16. Palai *par.* 1. *Oper. moral. tr.* 3. *disp.* 5. *p.* 2. §. 2. *num.* 8. Imo Bald. *in l. Ex placito.* ver. *Et hæc faciunt ad quæstionem.* C. De *rer. permut.* vult, Statuta confirmata à Papa non dici papalia, nisi vnum tantum statutum confirmet specificè. Quicquid tamen sit, non per hoc, quod Papalia sint, extenduntur ad personas ecclesiasticas, sed remanēt intra suos limites, & solum ad eos extenduntur, pro quibus sunt condita.

8 Dicitur autem Princeps ea sua facere, quibus auctoritatem suam impertitur, non quomodocunque, & per confirmationem; nam, quæ fiunt auctoritate inferiori, etiam si confirmentur à Papa ex certa scientia, adhuc subsistunt auctoritate illa inferiori. Sed quando ita suam auctoritatem impartitur, vt auctoritate ipsius fiant, & ex ipsa omnem validitatem habeāt, & in hoc sensu procedit tex. *l.* 1. §. *Omnia.* C. De *vetere iure enuclean.* ibi enim Imperator agit de ordinandis legibus, & decernit, quod facta ordinatione tales leges sint valituræ,

etiamsi

etiamsi sint desumptæ ex ijs, quæ à iurisconsultis adnotata sunt. *Tanquam à nostro diuino fuerint ore profusa. Omnia enim meritò nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertietur auctoritas.* vbi notanda est dictio omnis. Et in eodem etiam sensu procedit Pontifex Cap. *Si apostolicæ.* De *præbendis.* dum ait. *Cum ipsa prouisio ipsius Legati post impartitam à nobis auctoritatem nostra censeatur effecta.* hoc enim dicit, quia & ipse delegauerat, vt quod mandauerat Legatus, auctoritate ipsius, atque adeo Pontificia exequutioni mandaretur, vt constat ex verbis, *Vt in huiusmodi prouisionis negocio auctoritate nostra procedant iuxta ipsius Legati continentiam litterarum.* Vnde non est sermo de confirmatione, sed de ijs, quæ fiunt ab inferiori auctoritate Principis delegata.

An facultas nominandi ad beneficia non excedentia valorem centum ducatorum aureorum se extendat ad omnia, stante quod in expeditione Bullarum exprimatur, quod non excedant viginti quatuor. Quæst. 200.

S V M M A.

1 *Valor beneficiorum Germaniæ quomodo apud Datariam exprimatur.*
2 *Facultas nominandi, aut conferendi beneficia non excedentia valorem centum ducatorum aureorum non se extendit ad omnia, quæ ex consuetudine exprimuntur vt non excedentia valorem viginti quatuor ducatorum.*
2 *Obseruantia subsequuta declarat priuilegia, & concessiones.*
3 *Etiamsi non sit longi temporis.*
3 *Obseruantia potest inducere ius nouum.*
3 *Facultas nominandi ad beneficia certi valoris respicit verum valorem.*
4 *Omnis dispositio accipienda in terminis habilibus.*
5 *Dispositio non habet locum, quando verba non conueniunt.*
6 *Concessio Principis, & Priuilegium debet ita accipi, vt aliquid operetur.*
7 *Confessio probat contra confitentem.*
8 *Confessio extraiudicialis facta in precibus probat etiam in verbis enunciatiuis.*
9 *Successor tenetur stare confessioni prædecessoris.*
9 *Successor non debet esse melioris conditionis, quàm prædecessor.*
9 *Concessio intelligitur secundum supplicata.*
10 *Stylus curiæ præsumitur notus Pontifici.*
10 *Notorium præsumitur omnibus notum.*
11 *Solus Pontifex declarat priuilegia à se concessa.*
12 *Pontifex concedens facultatem conferendi beneficia non illam abdicat à se, sed est concessa cumulatiuè.*
13 *Non præscribitur obseruantia, nisi sit pacifica.*
14 *Obseruantia contraria claris verbis priuilegij non valet.*
14 *Contra formam priuilegij non potest aliquid prætendi prætextu obseruantiæ.*
15 *Obseruantia præiudicialis Papæ non valet, nisi sciat, & acquiescat.*
16 *Præiudicialia Romanæ Sedi, & ipsius iuribus sublata à Pontifice.*
16 *Obseruantia subsequuta in nominando ad beneficia sine iusto titulo non subsistit.*

---

1 PEr concordata ad euitandam solutionem annatarum introductum fuit, quod in expeditione Bullarum pro beneficijs Germaniæ, & Belgij exprimatur, quod non excedant valorem viginti quatuor ducatorum aureorum, & de consuetudine huiusmodi testatur Rota *in Leodiensi Canonicatus* 9. *Decembris* 1589. *coram Cardinali Pamphilio.* & *in Coloniensi Canonicatus.* 20. *Maij.* 1602 *coram Eodem.* & *in Leodiensi Canonicatus, & scholastriæ.* 27. *Februar.* 1602. *Coram Cardinali Sacrato*, & alibi passim. Quo stante dubitatur, an cum quædam Vniuersitas in illis partibus habeat facultatem nominandi ad beneficia, quæ non excedunt valorem centum ducatorum aureo-

rum, possit nominare ad omnia, si quidem omnia exprimũtur in Dataria pro expeditione Bullarum, quod non excedant valorem viginti quatuor aureorum ducatorum.

2 Et quamuis stante tali consuetudine exprimendi omnia beneficia sub dicto valore videantur omnia includi sub dicta facultate nominand, tenendum tamen est, quod non comprehendantur, sed attendendus sit verus valor, ita vt facultas nominandi non se extendat ad ea, quorum verus valor excedit summam expressam in litteris concessionis. Cum enim simus in ijs, quæ ex priuilegio conueniunt, attendenda est obseruantia subsequuta, quia hæc optimè interpretatur priuilegia, concessiones, & quoscunque alios actus Cap. *Cum venissent*. De *Institutionibus*. & Cap. *Cum dilectus*. De *consuetudine*. & l. *Sed Iulianus* §. *Porrò si acceperit*. ver. *Sed & si. ff.* Ad *Senatus cons. lib. Macedon*. & l. *Si de interpretatione*. *ff.* De *legibus*. & tradunt Ruin. *Consil*. 38. *num*. 6. *lib*. 1 Paris. *Consil*. 22. *n*. 24. *lib*. 1. Purpurat. *Consil*. 367. *n*. 77. Menoch. *Consil*. 65. *num*. 16. Corneus *Consil*. 193. *num*. 10. *lib*. 2. Dec. *Consil*. 283. *num*. 7. Crauet. *Consil*. 226. *num*. 6. Natta *Consil*. 192. *num*. 4. & *Consil*. 406. *num*. 28. Alexan. *Consil*. 6. *num*. 1. *lib*. 1. Socin. Sen. *Consil*. 111. *circa fin*. & *Consil*. 145. *lib*. 1. Roman. *Consil*. 271. *num*. 3. Aret. *Consil*. 11. ver. *Sed limita*. Bald. *Consil*. 130. & in *l*. *Hi quibus*. C. De *fideicom*. *liber*. Ias. *Consil*. 128. *lib*. 1. Ioseph Ludouicus *conclus*. 38. *illat*. 7. 11. & 12. Castrens. *Consil*. 108. *per totum*. *lib*. 1. Honded. *Consil*. 1. *num*. 36. & 37. *lib*. 2. Molina. *De primogen*. *lib*. 2. *cap* 6. *n*. *m*. 57. Alter Molina *tom*. 3. *De iust*. & *iure*. *disp*. 590. Palaez à Mierez *par*. 4. *de maior*. *quæst*. 20. *num*. 324. & *sequen ib*. Ludouicus Morotus. *resp*. 14. *num*. 9. Mantica *De tacit*. *lib*. 2. *tit*. 1. *num*. & *seq*. Probus ad Monach. *in Rubr*. *De priuileg*. *num*. 5 *lib*. 6. Mantica *Decis*. 320 *num*. 5. Castillus *lib*. 5. *Controuer*. *Cap* 92. §. 7. per totum, alios citans, & afferẽs plures Decisiones Rotæ.

3 Imo obseruantia subsequuta habet vim declarandi priuilegia, etiamsi non sit longi temporis, vt docent Castrens. *Consil*. 437. *num*. 4. *lib*. 1. Roman. *Consil*. 371. *num*. 3. Aretin. *Consil*. 11. ver. *Sed limita*. Socin. Sen. *Consil*. 111. *circa finem*. *lib*. 1. Dec. *Consil*. 156. *circa finem*. Craueta *Consil*. 101. *num*. 4. & *Consil*. 118. *num*. 2. Menoch. *Consil*. 275. *num*. 19. Quia tanta est vis obseruantiæ subsequutæ, vt etiam possit inducere ius nouum. *l*. *De quibus*. *ff*. De *leg*. & *l*. *Nulli*. *ff*. Quod *cuiusque*. *vniuersit*. & *l*. *Obseruare*. §. 5. *ff*. De *offic*. *Proconsul*. In casu autem præsenti obseruantia subsequuta declarat, quod attendendus sit verus valor, & non ille, qui exprimitur pro expeditione Bullarũ, siquidem beneficia excedentia valorem centum ducatorum aureorum vacantia in mensibus reseruatis Apostolicæ Sedi à Summo Pontifice collata sunt. & secundum hanc obseruantiam subsequutam Rota iudicauit, vt præsertim *in Cameracensi Canonicatus*, 20. *Nouembris* 1624. *coram Merlino*. & cum sit obseruantia inducta ab ipso Principe, seu Summo Pontifice, habet vim authenticæ declarationis, siquidem illius est declarare, cuius est condere. *l*. *fin*. C. De *legib*. & Cap. *Inter alia*. De *senten*. *excommunicat*. & Cap. *Sicut*. §. *1 x bis*. 11. *Quæst*. 1.

4 Accedit etiam, quod omnis dispositio accipienda est in terminis habilibus, ita vt disponat de eo, quod aptum est disponi, vt notant Bart. *Auth*. De *nupt*. *num*. 3. *Collat*. 4. Crauet. *Consil*. 307. *n*. 2. Bal. *Consil*. 207. *num*. 3. *lib*. 2. & *Consil*. 424. *lib*. 5. Angel. *Consil*. 33. Tusch. *littera*. *D*. *conclus*. 505. Macerat. *lib*. 2. *Variar*. *Resolut*. 40. *num*. 5. & 6. Gozadin. *Consil*. 35. *num*. 10. Menoch. *De adipiscen*. *posses*. *Remed*. 4. *num*. 755. & *De retinen*. *posses*. *Remed*. 1. *num*. 58. Ias. *in l*. 2. §. *Prætor ait*. *ff*. Qui *satis dare cog*. Cum ergo dispositio priuilegiatiua Pontificis sit circa concessionem nominandi ad beneficia, & extendat concessionem aliàs factam ad beneficia, quæ excedunt valorem sexaginta ducatorum aureorum, & perueniunt ad valorem centum dictorum ducatorum, debet accipi verus valor beneficiorum, non autem fictus pro expressione in ordine ad expediendas Bullas,

las, quia solus valor verus, vt potè maior, & minor, est habilis, vt substernatur huiusmodi dispositioni extensiuæ.

5 Et cum dispositio non habeat locum, quando verba non conueniunt dispositioni *l.4.§.Toties.ff.* De *dam.infect.* & *l.Quod constitutum.ff.* De *milit.testam.* & notant Roman. *Consi.*197. *init.* ver. *Neque.* & *Consil.*199. *init.* & *Consil.*442. *num.*2. Alexan. *Consi.*17. *num.*2. *lib.*1. Dec. *Consi.*9. *num.*24 *lib.*1. Bald. *Consi.* 486. ver. *Secundo prob. lib.*2. Imola *Consil.*9. *init.* Geminian. *Consil.*65. ver. *Secunda pars.* Cum dispositio Pontificis concedentis facultatem nominandi ad prædicta beneficia loquatur de beneficijs, quæ non excedunt valorem centum aureorum ducatorum, ad quam summam extendit facultatem aliàs concessam pro beneficijs non excedentibus valorem sexaginta aureorum, manifestum est, quod huiusmodi dispositio non habeat locum in beneficijs consideratis secundum valorem, qui exprimitur in explicatione Bullarum, cum nullo modo tali valori verba dispositionis aptari possint; vnde concludendum est, quod procedat de beneficijs consideratis secundum verum, & realem valorem.

6 Quod etiam ex eo conuincitur, siquidem si dispositio procederet de beneficijs quò ad valorem fictum pro expeditione Bullarum, frustratoria esset concessio Pontificis extendens facultatem nominandi ad beneficia, quæ pertingunt vsque ad valorem centum ducatorum aureorum, cum omnia exprimantur, vt non excedentia valorem viginti quatuor ducatorum aureorum, vnde si in nominatione attendendus esset hic valor, non opus fuisset extensione. Cum ergo concessio principis, & priuilegium debeat accipi, vt aliquid operetur, & non sit frustratorium Cap. *In his.* De *priuileg.* & Cap. *Si Papa.* De *priuileg. in 6.* & *l. Si quando. init.ff.* De *legat.*1. & notant Decius *in l.*1. *circa finem.* C. De *secund. nupt.* Felin. *in Cap.*1. *num.*4. & 161. De *rescrip.* Ripa *ibid.n.*44. Craueta *Consi.*135.*num.*24.& *Consil.*294. ver. *Quinto loco.* Cephal. *Consi.*159.*n.*29. *lib.*2. Menoch. *Consil.*276. *num.*20. Hostiens. *in Cap.*1. *num.*9. De *rescrip.* per text eundem. Germon. *tract. De indult.* §. *Etiam si sæcularia. num.*14. concludendum est, quod dicta concessio accipienda sit attento vero valore beneficiorum.

7 Insuper cum prædicta Vniuersitas supplicauerit Gregorio XV. vt extenderet valorem annuorum fructuum beneficiorum ad eam summam, quam Leo X. in suo indulto in fauorem eiusdẽ facultatis concesserat, ita tamen, vt ad constituendum valorem huiusmodi, grossi fructus dumtaxat, quos absens in studio perciperet, quibuscunque oneribus deductis, attenderetur, vt habetur ex Indulto Pauli V. *Kalend. Decem. anno* 1616. ver. *Ac demum S. Memoriæ*, iam ex confessione ipsius vniuersitatis habetur, quod in huiusmodi dispositionibus attenditur verus valor fructuum, siquidem supplicat, vt habeatur ratio fructuum, quos deductis oneribus potest absens percipere. Confessio autem probat contra confitentem *l. Generaliter.* C De *non numer. pecuni.* & *l. Perinde.ff.* Ad *leg. Aquiliam.* & *l.*1. *ff.* De *confess.* & *l. vnica.* C. De *confess.* & Cap. *Per tuas.* De *probat.* & inter alios notant Riminal. iun. *Consi.*242. *num.*64. Bursat. *Consil.* 139. *num.*56.& *Consil.*140. *num.*22. *vol.*2. Menoch. *Consil.*180. *num.*24. Surd. *Decis.*10. *num.*12. & *Consi.*60. *num.*1. Ludouis. *Decis.*352. *num.*3. & 4.

8 Neque obstat, quod sit confessio extraiudicialis, quia cum sit facta in precibus, probat etiam in verbis enunciatiuis, vt notant Caputaquens. *Decis.* 220. *num.*3. & 4. *par.*2. Pedemont. *Decis.*238. *num.*3. Mancinus *De confess. cap.*2 *num.*10. asserens plenè probare. Quod præcipuè locum habet in casu præsenti, quia narratio facta in precibus est ordinata ad obtinendam gratiam, quò ad ea, quæ Oratores in narratiua confitentur.

9 Quæ confessio etiam de præsensenti obligat eandem Vniuersitatem, ita vt nõ possit ab ipsa recedere, quia successor tenetur stare confessioni prædecessoris *l. Post mortem. ff.* De *adopt.* & *l. Generaliter.*

raliter.C.De non numer.pecun.& Cap.*Cautis.* De *fide inſtrumen.*& notant Aretin. *Conſi.*112. Socin.Sen. *Conſi.*13. *num* 4.& *Conſil.*82. *num.*3. *lib.*3.Crauet.*Conſil.*217. *num.*7. Ripa *in l.Si aliquam rem.num.*42. *ff.* De *acquir.poſſeſ.* Menoch.*lib.*3.*Præſumpt.*101 *num.*16. & *Conſi.*2. *num.*373. Rota *Deciſ.*797. *num.*7. *par.*1.*in nouiſſis.* & *Deciſ.*161.*num.*2. & *Deciſ.*109. *num.*1. *par.*3. *Recentior.* Cuius rei ratio eſt,quia non debet ſucceſſor eſſe melioris conditionis,quàm ſit ſuus prædeceſſor. *l. In omnibus officijs.* §. *Non debet.* & *l. Aliud eſt vendere.* §. *fin.ff.* De *reg. iur.* Quod ſpeciali modo habet locum in caſu noſtro quia agitur de gratia Summi Pontificis, quæ non ſubſiſtit, nec poteſt exequutioni mandari, niſi in terminis, in quibus eſt conceſſa, atque adeo niſi iuxta petitionem aliàs factam à prædeceſſioribus apud Summum Pontificem, quia conceſſio intelligitur ſemper ſecundum ſupplicata. Cap. *Inter dilectos.* De.*fide inſtrumen.* & notant Becc. *Conſi.*21. *num.*2.Menoch. *lib.*2. *Præſumpt.*29. *n.*8. & dictum eſt etiam. *Centur.*1. *quæſt.* 13. *num.*6.

10 Denique. Vel Pontifex notitiam habuit ſtyli curiæ, quod omnium illorum beneficiorum fructus exprimantur tamquam non excedentes valorem viginti quatuor ducatorum aureorum ad effectum vitandi ſolutionem annatarum. vel non habuit. Si habuit, vt dicendum eſt habuiſſe, quia agitur de eo, quod cõceſſione ipſius practicatur quotidie coram ipſo, & quod tanquam notorium præſumitur omnibus notum, vt dicunt Glos. *in l.*1.*C.* De *peric.tut.* Angel. *in l. Si à duobus . ff.* De *acquiren. hæred.* Alexan. *Conſi.*94. *lib.*1. Ias. *in l.Titius.* §. *Lucius, ff.* De *lib. & poſth.* dicendum eſt, quod non reſpexerit ad hunc valorem, quia non erat capax limitationis ad valorem centum aureorum. Si verò non habuit;neque etiam conceſſio procedit quò ad hunc valorem, ſed quò ad certum, quia conceſſio principis non ſe extendit ad incognita ;cum non poſſint cadere ſub intentionem ipſius.

11 Quod ſi hæc non conuincerent, vt reuera conuincunt, conceſſionem prædictam procedere de beneficijs quò ad verum valorem nec ex ipſa diſpoſitione Pontificis, & indulto conſtaret hoc ipſum, cum neque conſtet, quod procedat de beneficijs quò ad valorem, qui exprimitur in expeditione Bullarum, adminus eſſet dubium, de quo valore eſſet conceſſio intelligenda. Et proinde recurrendum eſſet ad Summum Pontificem pro declaratione, & non ex propria auctoritate inducenda, quia ad ipſum ſpectat priuilegia à Sede Apoſtolica conceſsa declarare, vt communiter docent Cotta *in Memorabilibus.* verbo *Priuilegium.* Gutierez *lib.*3.*pract.quæſt.* 28.*num.*2. Io. Garzias. *De nobilit.glos.*1. §.1. *num.*1. & 2. Gironda *De priuileg.n.* 83. Cochier. *De iuriſdict. Ordinar. in exemp. par.*2. *quæſt.*13. *num.*2. Surdus *Conſil.*558.*num.*6. Alderan.Maſcar. *De general. ſtat. interpr. conclus.*2. *num.*156. Gail *lib.*1.*Obſer.*1.*num.*7.Miranda *tom.*2. *Manual. quæſt.*44. *ar.*1. *conclus.*2. Tambur. *tom.*1. *De iure Abbat.diſp.*16. *quæſt.*6. Barboſa *in Collect. Ad Cap. Cum veniſſent.* De *iudicijs* cum Glos. *ibid.* verbo. *Iudicari.* & haſıetur ex dicto tex.Cap. *Cum veniſſent.* & *l. Ex facto. ff.* De *vulg. & pupil.* ſubſtit. Cuius rei ratio eſt,quia illius eſt interpretari, cuius eſt condere. *l.Si Imperialis maieſtas.* & *l. Leges ſacratiſſimæ.C.* De *legib.* & ideo priuilegia debēt explicari ab ijs,qui ea conceſſerunt.

12 Ex quibus deducitur. Non poſſe prædictam vniuerſitatem impedire ſub prætextu priuilegij prouiſiones Apoſtolicas; quia etiam ſi beneficia prouiſa clauderentur ſub facultate ipſi conceſſa, adhuc prouiſio Apoſtolica præualeret; nam quando Pontifex concedit alicui facultatem conferendi beneficia, non abdicat à ſe illam poteſtatem, ſed eam ſupremam retinet tanquam Ordinarius totius orbis iuxta Capitula *Cuncta per mundum.*9. *quæſt.*3. & Cap. *Dudum.* De *præbendis.in* 6. ibi. *Nos igitur attendentes, quod & ſi memorato Epiſcopo prædictam conceſſimus poteſtatem, penes nos tamen nihilominus remanſit maior.* & notat Abbas *in Cap. Quia diuerſitatem.* De *conceſſ. præbend.*

præbend. Vnde Pontifex concedit tantum facultatem cumulatiuè, non priuatiuè quò ad ſeipſum. Cap. *Si à Sede. De præbend. in 6.* vbi Doctores. Gomez cum Baldo, & Monaco *tract. De gratiar. expect. num.* 14. Io. de Sylua *tract. de Benef. par.* 3. *quæſt.* 60. *in fine.* Coſmas Gunyer. *in Pragm. ſanct. tit. De collat. §. Neque etiam. in glos. Præuentionem.* Staphileus *De grat. & expect. init. num.* 4. *&* 5. & *§. Poſt hæc. num.* 4. Francis. de Marchis *par.* 1. *quæſt.* 196. *num.* 3. & *quæſt.* 980. Rota *Decis.* 17. De *præbend. in nouis.* Et ideo huiuſmodi prouiſiones Apoſtolicæ non poſſunt impediri, quia cœteri prou ſores ſequuta prouiſione Pontificis habent manus ligatas, nam vbi Papa manus apponit, ligat inferiorum manus, vt dictum eſt *quæſt.* 161. *num.* 5. *in fine.*

13 Nec prodeſt dictæ Vniuerſitati, quod prætenditur de obſeruantia præſcripta nominandi ad omnia præfata beneficia. Quia non poteſt dici obſeruantia præſcripta, cum non fuerint pacifica, & prouiſiones Apoſtolicæ in contrarium emanauerint per ea, quæ tradunt Bart. *in l.* 2. *num.* 22. *ff.* Soluto *matrimonio.* Craueta *Conſil.* 113. *num.* 4. alios citans. Alexan. *Conſil.* 5. *num.* 7. *lib.* 5. Dec. *Conſil.* 8. *num.* 4. Corneus *Conſil.* 196. *per totum. lib.* 4. Rota *Decis.* 365. *num.* 1. *par.* 2. *Recent.*

14 Neque habet locum obſeruantia in contrarium, quando verba priuilegij ſunt clara, vt in caſu noſtro. *l.* 3. *in fine.* C. De *liber. præter.* Rota *Decis.* 126. *num.* 3. *par.* 2. *Recent.* alios citans. Quia prætextu obſeruantiæ non poteſt aliquid prætendi contra formam, & diſpoſitionem priuilegij, vt tradunt Aretin. *Conſil.* 117. *num.* 2. Rota *citata Decis.* 126. *n.* 3. *par.* 2. *Recent.*

15 Accedit etiam, quod huiuſmodi prætenſa obſeruantia eſt præiudicialis Summo Pontifici, quia tendit ad vſurpandum ius nominationis ad beneficia, & ad reſtringendum collationem faciendam à Summo Pontifice ad perſonas nominatas; vnde non prodeſt, etiam ſi perlongun tempus continuata fuiſſet, niſi conſtet de ſcientia, & acquieſcentia Summi Pontificis, vt tradunt Abbas *in Cap. Cum acceſſiſſent. num.* 3. De *conſtit.* Dec. *ibid. num.* 94. Gabr. *Conſil.* 151. *n.* 16. Rota *in Romana Concordiæ S. Petri.* 12. *Februari* 16 · 0. *coram Caualero.*

16 Quod præſertim valet, quia Vrbanus VIII. in Conſtitutione pro præſeruatione iurium Sedis Apoſtolicæ, quæ incipit. *Romanus Pontifex in ſacra B. Petri.* ſub die 5. *Iunij* 1641. reijcit omnia præiudicialia Sedi Apoſtolicæ, quæ prætextu obſeruantiæ ſubſequutæ introducta ſunt, declarans eſſe nulla, & irrita. Ita enim habet. *Idcirco etiam ſi prædicta omnia, & ſingula Sedis Apoſtolicæ iuriſdictioni, vel immunitati, aut libertati eccleſiaſticæ, ſeu Eccleſijs, vel perſonis Eccleſiaſticis, earumue bonis, iuribuſque, ac fructibus quomodolibet præiudicialia per prædictos, & alios quoſcunque contra, aut præter facultates eis conceſſas, facta, eo ipſo fuerint, & ſint nulla, & inualida, nihilominus abundantiori cautela vti volentes, omniumque, & ſingulorum quomodolibet præiudicialium quandocunque, & à quibuſuis, & ex quacunque cauſa, & quouiſmodo factorum, & geſtorum, ac inde ſequutorum quorumcunque, cæterorunque hic de neceſſitate forſan exprimendorum, ac inſerendorum tenores, etiam maiores, & veriores pro plenè expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes Motu proprio, certaque ſcientia, ac matura deliberatione noſtris deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, motique ex prædictis cauſis, aut illarum altera, ſeu ex alijs iuſtis, & rationabilibus animum noſtrum mouentibus, ad quarum omnium, & ſingularum verificationem Eccleſiam Romanam præfatam, Sedemque Apoſtolicam, & quamcunque alium nunquam teneri volumus, vltra quaſcunque reuocationes hactenus factas, quas innouamus, hac noſtra perpetua conſtitutione declaramus omnia, & ſingula acta, decreta, indulta, conceſſiones, ordinationes, concordias, & pacta, etiam nomine eiuſdem Sedis Apoſtolicæ inita* &c. *etiam cum prætenſa illarum exequutione, & obſeruantia quantumlibet longiſſima, ac alijs inde quomodolibet ſequutis quibuſcunque etiam in ſauorem ſeu intuitu, vel contemplatione Imperatoris, Regum, aliorumque*

rumque Principum etiam supremorum etiã laicorum, Nationum, Rerumpublicarum, Prouinciarum, Regnorum, aliorumque Dominiorum, & officialium quorumcunque, vel Ciuitatum, Vniuersitatum, & studiorum, Generalium, Collegiorum, Religionumque, seu militarium Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcunque ordinum, vel aliorum quorumuis, etiam speciali nota dignorum ex quacunque ratione, occasione, vel causa quantumlibet pia, publica, fauorabili, seu priuilegiata, etiam transactionis, vel concordiæ, treguæ, vel pacis etiam vniuersalis, & ad maius malum, vel scandalum, vt asseritur, euitandum, seu ex alijs rationibus, & causis, & omnibus insimul cõcurrentibus, aliàs indiuiduam expressionem requirentibus &c. Et infra reijcit ea, quæ introducta sunt ex minus legitima Constitutionum, Litterarum, seu dispositionum Apostolicarum interpretatione introducta sũt, qualis est hæc prætensa obseruantia nominandi ad omnia beneficia cuiusuis valoris, quia non exprimuntur cum valolore excedente viginti quatuor ducatos aureos.

17 Imo in specie in eadem Bulla declarat Pontifex, ac reijcit vt nullas, & erroneas præsentationes, nominationes &c. ad beneficia, quæ non habent solilidum fundamentum concessionis Apostolicæ, non obstante quacunque obseruantia in contrarium. Ita enim habet. *Insuperque cum etiam nobis innotuerit, quod aliquando in prouisionibus Ecclesiarum Cathedralitm, Metropolitanarum, Primatialium, alijsque gratijs, & dispositionibus Apostolicis fuit ob incuriam quorundam Sedis Apostolicæ, seu Romanæ curiæ Officialium inaduertenter in præiudicium liberæ prouisionis earum, narrata, vel etiam forsan de facto admissa præsentatio, nominatio, vel supplicatio alterius, quãtumlibet, vt præmittitur, qualificati, absque eo quod de eius iure præsentandi, nominandi, vel supplicandi constitisset, & aliquando prædicta, seu alia eidem Sedi Apostolicæ narratiua præiudicialis fortasse in prætenso Ecclesiarum vltimo statu fundata extitit, etiamsi de contrario statu, aut aliàs de libera prouisione, etiam per litteras erectionis, aut alio modo appareret, seu constare posset. &c.* Idcirco motu, *scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus præsentium litterarum tenore præfatas narratiuas, enunciatiuas, seu assertiones quomodolibet eidem Sedi præiudiciales factas, seu admissas, ac respectiuè easdem facultatum, indultorum, & gratiarum Apostolicarum concessiones, ac litterarum expeditiones factas non expectatis, nec acceptis litteris ipsorum priuilegiatorum, seu priuilegiandorum, concessiones quoque in vim conuentionum, & pactorum quomodolibet expiratorum fuisse, & esse erroneas, erronèque respectiuè expeditas, nullum propterea, cum non sit æquum, vt error veritati præualeat, intulisse, nec inferre potuisse neque in futurum posse præiudicium Sedi Apostolicæ, &c. declaramus, & decernimus, & respectiuè omnia præiudicialia tollimus, & irritamus, &c.* Et quibus satis liquet, prætensam obseruantiam, de qua modo loquimur non posse obtendi tamquam eamque, vt præiudicialis Sedi Apostolicæ, nulla, & erronea iam declarata est à Summo Pontifice. Et quia in hac materia extat Decisio S. Rotæ Romanæ, eam subijciam in confirmationem prædictorum.

Hæc autem omnia, quæ in hoc volumine dicta sunt, S. Romanæ Ecclesiæ iudicio omninò submitto tuoque benigne Lector. In quibus si quid, quod tibi arrideat, deprehenderis, Dei dona agnosce; si quid, quod displiceat, humani ingenij imbecillitatem excusa; atque si te non pigebit admonere, charitati tuæ plurimum debebo.

FINIS.

R. P. D.

R. P. D.

MERLINO

Cameracen. Canonicatus.

Merc. 20. Nouembris 1624.



Vm vacasset Canonicatus in Cathedrali Ecclesia per obitum Pœret de mense Ianuarij proximè præteriti, fuit de illo vti reseruato ratione mensis fixi à Sanctiss. D.N. prouisus Dauid, & illius prouisioni se opposuerit Guilielmus ad eundem Canonicatum nominatus in vim indulti per Romanos Pontifices concessi vniuersitati Gymnasiorum Louanien. nominandi Clericos ad quæcunque beneficia quouis mense etiam Apostolico, vel ordinario vacantia. Dubitatum fuit. An Dauidi prouiso apostolico obstent huiusmodi priuilegia.

Et fuit resolutum non obstare, quia supradictum indultum est limitatum, & restrictum ad beneficia, quorum fructus non excedunt summam ducatorum 100 de Camera, vt apparet ex indulto fel. rec. Pauli V. qui nominationes concessas, & limitatas ad valorem 60. ducatorum per suos prædecessores Sixtum IV. Leonem X. Adrianum VI. & Gregorium XIII. ampliauit vsque ad hanc summam ducatorum 100. vnde Guilielmo nominato, vt sibi suffragetur indultum huiusmodi, & repellat prouisum apostolicum incumbit onus probandi canonicatum, de quo agitur, non excedere summam prædictam 100. duc. *Fel. in c. ad aures, num. 4. concl. 3. vers. similiter dicit. de rescript. Rot. decis. 10. de probat. in nou. Put. decis. 322. num. 3. in fin. lib. 3.* & fuit dictum in *Leodien. Canonicatus 13. Nouembris. 1587. & 2. Iunij 1589. coram bo. mem. Cardinale Pamphilio, & in Leodien. Capellæ 30. Maij 1616. coram R.P.D. meo Remboldo*, quæ probatio nedum deficit, sed imò ex deductis pro Dauide probatur contrarium, quod scilicet canonicatus longè excedat summam prædictam.

Nam præsupposito, quod vltra distributiones quotidianas dari consuetas ijs, qui personaliter inseruiunt diuinis officijs, adsint in dicta Ecclesia Cathedrali quædam portiones mensæ capitularis nuncupatæ Assisa maior, & Assisa minor, quæ Canonicis præsentibus, & absentibus causa studij, vel aliàs ex priuilegiò æqualiter assignantur.

Et quod ista quantitas excedat valorem annuum ducatorum 170.

Et demum, quod canonicatus, de quo agitur nullo sit onere grauatus.

Visum fuit Dominis, non posse dubitari, quin huiusmodi etiam portiones sint computandæ in fructibus canonicatus, tum attenta dispositione Iuris communis, iuxta quam appellatione fructuũ canonicatus veniunt, nedum, qui colliguntur ex præbenda, verum & compræhenduntur illi redditus, qui percipiuntur ex massa grossa, statisque mensibus inter Canonicos præsentes, & absentes ex causa priuilegiata æqualiter diuidi solent iuxta notata per *Glos. in cap. licet, vbi Abb. num. 8. de præb. Calder. cons. 21. eod. tit. latè Paris. cons. 32. num. 10. 16. & 17. lib. 4. Garz. de benef. 3. par. cap. 2. num. 249. Monet. de distribut. quotid. par. 1. quæst. 3. num. 5. & 6. & quæst. 6. num. 12. & seqq.* Tum etiam ex speciali dispositione fel. rec. Gregorij xiij. qui idem videtur

detur sensisse in eius indulto, dum expressis verbis declarauit, in valore fructuum exprimendorum per nominatum ab vniuersitate Louanien habendam esse rationem onerum quoruncunque, siue illa sint personalia, siue realia, vel perpetua, ac etiam pensionum, quibus grauati sint fructus grossi canonicatus, vel alterius beneficij ad absentem in studio, vel alio loco priuilegiato spectantes, ita vt onera prædicta diminuant valorem canonicatus, & cessare visa est difficultas ex responso Illustrissimorum Concilij Interpretum, quod fructus dictæ Assisæ maioris, & minoris sint censendi fructus præbendæ, vt vocant grossi, non autem distributiones quotidianæ.


Nec suffragatur Guilielmo, quod fructus Canonicatuum illarum partium soleant exprimi per non excessum in ducatis 24. vt de consuetudine totius Germaniæ dixit *Rota in Leodien. canonicatus 9. Decembris* 1589. & in *Colonien. canonicatus* 20. *Maij* 1602. *coram bo. mem. Cardinale Pamphilio. in Lodien. Canonicatus, & scholastriæ 27. Februarij* 1612. *coram bo. mem. Cardinale Sacrato*, & in *Paderbornen. Canonicatus* 29. *Maij* 1610. *coram Reuerendiss. D. meo Decano*, quoniam talis consuetudo vim obtinet quidem in prouisionibus, quæ fiunt in Curia ad effectum iustificationis narratiuæ factæ in gratia concessa per Papam, & in his terminis procedunt dictæ decisiones, & hoc introductum fuit per concordata, vt euitetur solutio annatæ in Curia: non autem ad alios effectus cum imò, vt validè fiant nominationes concessæ ex priuilegio verus valor, prout est, veniat omnino exprimendus quemadmodum in his terminis pulchrè notat *Rebuff. in prax. benefic. in 3. par. signatur. ver. nec non verus valor. num. 7. in fin.* & latius in *tract. nomination. quæst. 9. num. 32. & 33.* Aliàs enim frustrà in prædictis indultis concessis Vniuersitati fuisset limitata facultas nominandi ad beneficia valoris 60. vel 100. ducatorum, cùm scirent summi Pontifices, valorem cuiuscunque etiam opulentissimi beneficij in illis partibus non exprimi nisi in 24. ducatis, & alioquin etiam illusum esset voluntati Romanorum Pontificum, si dum ipsi restrinxerunt indultum ad beneficia valoris duc. 100. dumtaxat, sub hac tamen postea cautela consuetudinis Germaniæ exprimendi in ducatis tantum 24. Louanienses inuaderent beneficia valoris tercentorum, & quatercentorum, & vltra ducatorum.

Et tamen intentionis Summorum Pontificum in dd. indultis fuit succurrere clericis pauperibus de honesto subsidio Ecclesiastico vsq. ad dictam summam duc. 100. annuam; in quam computan esse omnia beneficia per nominatos vigore aliarum nominationum obtenta, etiam quod illa resignauerint, vel nominationes prosequuti non fuerint, resoluit aliàs Rota in *dicta Leodien. Canonicatus 2. Iunij* 1589. *coram Illustrissimo Cardinale Pamphilio*, & huiusmodi summa duc. 100. visa est congrua pro clericis, vt litterarum studijs incumbant, etiamsi lectoris munere fungantur, prout etiam ducat. 100. congruam, competentem pro Rectoribus Parochialium Ecclesiarum existimauit *Sac. Concilium Tridentin. sess. 24. cap. 13.*

Vnde in hanc sententiam eo libentius DD. inclinarunt, quia præsupponebatur, Guilielmum olim in vim similis nominationis obtinuisse satis commodum canonicatum, quem tamen postea resignauit reseruata sibi pensione scutorum 100. & ita se reddidit quoque incapacem alterius nominationis, prout expresse cauetur in indulto fel. rec. Greg. XIII. ibi quod si fecerint cessiones huiusmodi, nullæ sint, & cedentes ad futuras (scilicet nominationes) omnino inhabiles censeantur eo ipso, & sic cum indulto iam contrauenerit Guilielmus eiusdem indulti priuilegio gaudere non debet, vt in terminis istius priuilegij Gregorij XIII. *dixit Rota in Leodien. Canonicatus 11. Martij 1596. coram bo. me. Cardinale Blanchetto.*

Et ita resolutum Dauide solum informante.

INDEX



INDEX RERVM

Primus numerus Centuriæ: Secundus Quæstionis: Tertius Lateralis est.

A

Appellatio quò ad Regular.

Appellatio à quo fiat.

Apostata.

Approbatio.

Argumentum.

Augmentum.

B

Bannitus.

Baptismus.

Beatificatio.

Belgę.

Bellum.

Lega-

Capitulum.

Capitulum Generale.

Caput.

Carcer.

Cardinalis.

Castratio.

Casus.

Casus Reseruatus.

Causa.

Causa finalis.

Causa iudicialis.

Cedulones.

Celebrans.

Censura.

Census.

Certum.

Chorus.

Citatio.

Ciues.

Ciuitas.

Clausula.

Clau-

Concilium.

Concilium Mileuitanum.

Concilium Tridentinum.

Concionator.

Conclaue.

Conditio.

Conditio quò ad statum.

Confessarius.

Con-

Confessarius, quò ad facultatem.

Confessarij Electio.

Confessarij electio quò ad Regulares.

Confessio.

Confessio extraiudicialis.

Confessio Sacramentalis.

Confirmatio.

Con-

Confirmatio in forma communi.

Confirmatio in forma specifica.

Confirmationis Sacramentum.

Confiscatio.

Congregatio.

Congregatio Clericorum Sæcularium.

Congregatio Rituum.

Connexa.

Conscientia.

Consensus.

Conseruator.

Consilium. Consiliarius.

Consuetudo.

Consuetudinis interpretatio.

Consuetudo ex quibus inducatur.

Contractus.

Conuentus.

Conuitium.

Delegatio.

Delegatus.

Delictum.

Dictio.

Di

Dictum.

Difficile.

Dignitas.

Dimissoriæ.

Dispensatio.

Facultas dispensandi.

Dispositio.

Distributiones quotidianæ.

Diuersitas.

Diuortium.

Doctoratus.

Dolus.

Domus.

Donatio.

Duellum.

Quan-

E

Ecclesia.

Ecclesia Cathedralis.

Effectus.

Eiectus.

Electio.

Emptio.

Ens.

Episcopus.

Episcopus quò ad facultatem dispensandi.

Euchatistia quò ad ministrationem.

Examen.

Exceptio.

Exceptus.

Exclusio.

Excommunicatio.

Exemptio ecclesiasticorum.

Exemptio Regularium.

Hæresis.

Honor.

Horę Canonicę.

Hospes.

Hospitale.

I

Ignorantia.

Illatio.

Cauj

Iudex.

Iudicare.

Iudicium.

Iuramentum.

Iurare.

Iurifdictio.

Iurifdictio ordinaria.

Ius.

Ius naturale.

Iuspatronatus.

Ius publicum.

L

Laicus.

Legatarius.

Legatum.

C

Legitimatio.

Legislator.

Lex.

Legis cessatio.

Legis dispensatio.

Legis extensio, & restrictio.

Legis obligatio.

Legis interpretatio.

Legis reuocatio.

Lex derogans.

Lex fauorabilis, & odiosa.

Lex æterna.

Lex naturalis.

Libel-

M

Mate-

N

Noui-

Odium.

Officialis.

Officium.

Omissum.

Onus.

Operari.

Opinio.

Oraculum.

Oratorium.

Ordinarius.

Ordinandus.

Præscriptio.

Preses.

Præsumptio.

Præsumptio iuris.

Praxis.

Princeps.

firm-

Prohibitio.

Profitens Professus.

Promissio.

Promissor.

Protestatio.

Regularis quò ad confeßiones.

Regularis quò ad exemptionem, & conuentionem.

Regularis quò ad Moniales.

Regularis quò ad Priuilegia.

Relatiuum.

Relegatus.

Religiosus.

Religiosus claustralis.

Reliquiæ Sanctorum.

Rehunciatio.

Res.

Rescriptum.

Reseruatio.

Restitutio.

Restitutio in pristinum.

Reuelatio.

Reus.

Roma.

Romanus.

S

Sacramentum.

Salarium.

Satelles.

Satisfactio Sacramentalis.

Scandalum.

Spectaculum.

Spoliatus.

Statutum.

Stylus.

Subditus.

Subiectus.

Subrogatio. Subrogatus.

Subscriptio. Subscribens.

Successor.

Suffragium.

Testis.

Textus explicati.

Theatini.

Tonsura.

Tortura.

Totum.

Tribunal.

Vin-

Vindicta.

Violentum.

Virtus.

Vis.

Visitatio.

Vniuersale.

Voluntarium.

Voluntas.

Voluntas vltima.

Vltimæ voluntatis commutatio.

Commu-

F I N I S.